PERIODICA

DE RE

MORALI, CANONICA, LITURGICA

TOMUS NONUS DECIMUS

(IV novae seriei)

ALMA COLLEGE
LIBRARY
APDRM
Alma, California

BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT
Via Notre-Dame

ROMAE (101)
UNIVERSITÀ GREGORIANA
Piazza della Pilotta

1930

16763

V. 19

IMPRIMI POTEST

ADULFUS MARIOTTI S. I.
Praep. Prov. Rom.

IMPRIMATUR

Sorae, die 28 dec. 1930

† ANTONIUS M. IANNOTTA
Episcopus Sorae, Aquini et Pontiscurvi

ISOLA DEL LIRI — SOCIETÀ TIPOGRAFICA ARTURO MAGIOCE & PISANI

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De Vicario substituto

1. *Vicarius substitutus* est sacerdos cui cura paroeciae committitur tempore quo parochus *vel* legitime abest ultra hebdomadam, *vel,* privatus beneficio sententia iudiciali, ad S. Sedem appellavit (can. 474. 1923, § 2).

Igitur duplici in casu habetur vicarius substitutus.

2. Iste, in casu *legitimae absentiae* ex praevia scripta licentia Ordinarii loci, *designatur* a parocho, sed ab eodem Ordinario approbandus est. Si parochus sit religiosus, requiritur etiam approbatio Superioris religiosi, quae tamen non est eiusdem valoris atque Ordinarii loci approbatio.

Si parochus ob repentinam causam a paroecia discedere cogatur, sufficit, ad constitutionem vicarii substituti, ut parochus Ordinario loci sacerdotem supplentem indicet; qui iure manet in officio donec Ordinarius aliud statuerit.

In casu *privationis beneficii paroecialis*, nominatio vicarii substituti ab Ordinario loci libere fit.

3. Ex dictis sponte manifesteque consequitur, vicarium substitutum non haberi in sequentibus casibus: 1^0 si parochi absentia a paroecia non sit ultra hebdomadam; 2^0 si vicarius non fuerit praevie approbatus

ab Ordinario loci, extra casum repentini discessus; 3° si in tali casu eidem Ordinario sacerdos supplens indicatus non fuerit; 4° si parochi amoti a paroecia sacerdos vices gerat, pendente recursu ad S. Sedem contra decretum amotionis, ad normam can. 2146.

4. Vicarius substitutus, *legitime* designatus, *ipso iure* locum parochi tenet in omnibus quae ad curam animarum spectant, nisi Ordinarius loci vel parochus absens aliquid exceperint (can. 474). Proinde valide ac licite sacramenta administrat, matrimoniis assistit, functiones paroeciales exercet.

5. Potestas, quae competit vicario substituto, estne *ordinaria* an *delegata?* Certe non est delegata *ab homine*, quia independenter a *commissione* parochi vel Ordinarii loci vicarius curam animarum exercet, utpote qui ab ipso iure potestatem obtinet.

Nonnulli censent esse *delegatam a iure;* nam, aiunt, officium vicarii substituti non est officium stricto sensu, de quo in can. 145, § 1, cui dumtaxat dicitur adnexa ordinaria potestas (can. 197, § 1). Ceterum etiam patroni huius sententiae admittunt potestatem in casu esse a iure delegatam *ad universitatem causarum.*

Communius Auctores docent potestatem esse *ordinariam* (1). Hanc sententiam amplectimur (2), eamque ut veriorem, omnibus mature perpensis, habemus; quo in casu eadem ac parochi erit potestas, dummodo vicarius substitutus universam curam animarum exerceat, ita ut Ordinarius loci vel parochus aliquid ne exceperint.

Sane ea dicitur potestas ordinaria, quae ipso iure est adnexa officio (can. 197, § 1). Atqui officium

---

(1) Matth. a Coronata, *Institutiones iuris canonici*, I, n. 490; De Meester, *Compendium iuris canonici*, II, n 370; Fanfani, *De iure parochorum*, n. 251, et alii.

(2) Cappello, *De Poenitentia*, n. 385; *Summa iuris canonici*, II, n. 556.

vicarii substituti stabiliter constitutum habet adnexam potestatem, ita ut necessaria non sit peculiaris commissio vel deputatio. Ergo.

Praeterea, in can. 873, § 1, dicuntur expresse frui *ordinaria* iurisdictione « *qui loco parochi sunt* ». Atqui vicarius substitutus ex can. 474 « *locum parochi tenet* in omnibus quae ad curam animarum spectant ». Ergo.

Si loci Ordinarius vel parochus aliquid exceperint, non ideo potestas vicarii substituti cessat esse ordinaria, quia semper censetur adnexa officio eaque *ipso facto* obtinetur per constitutionem rite factam; sicuti potestas Vicarii generalis manet ordinaria, licet ad normam can. 368, § 1 nonnulla forte Episcopus sibi reservaverit et quaedam ex iure requirant speciale Episcopi mandatum.

6. Quaeri potest utrum praevia approbatio Ordinarii loci requiratur *explicita* ac *determinata*, an potius sufficiat quoque *implicita* et *indeterminata*, ad legitimam vicarii substituti constitutionem. Ex. gr., quidam Episcopus semel pro semper concedit facultatem alicui parocho vocandi religiosum a Superiore designatum eique committendi curam animarum tempore absentiae a paroecia ultra hebdomadam. Potestne id iure fieri ?

Nulla videtur solida ratio dubitandi, quin id fieri possit indeque legitima vicarii substituti designatio. Sane in casu habetur vera et proprie dicta approbatio ex parte Episcopi, non quidem quoad religiosum nomine et cognomine designatum, sed in genere quoad omnes religiosos degentes in tali domo religiosa, in specie vero quoad sodalem a Superiore religioso in singulis casibus designatum. Huiusmodi approbatio profecto sufficit, cum nullas conditiones aut restrictiones Codex in hac re praefiniat.

7. In praefata hypothesi, potestne Superior religiosus, durante parochi absentia, subditum accire aliumque in eius locum mittere qui parochi absentis vices gerat? Ex dictis, responsio affirmativa manifesta est. Sane habetur ex parte Episcopi approbatio antecedenter et universim data, ex parte religiosi legitima designatio a Superiore facta. Quare nihil deest.

8. Utrum vicarius substitutus *ante Ordinarii loci approbationem* possit valide et licite matrimoniis assistere? Pontificia Commissio Codicis, 14 iul. 1922, ad V, respondit ad propositum dubium: *Negative* (1). Quae responsio perspicua apparet ex ipso conceptu vicarii substituti superius tradito (n. 1). Inde tamen concludendum statim non est pro nullitate matrimonii ex assistentia praestita a praedicto vicario. Matrimonium in casu potest esse validum ex delegatione rite facta ad normam can. 1096.

9. An vicarius substitutus parochi religiosi possit valide et licite matrimoniis assistere, si nulla limitatio apposita fuerit, *post* approbationem Ordinarii loci, sed *ante* approbationem Superioris religiosi? Pontificia Codicis Commissio, eadem responsione diei 14 iul. 1922 modo citata, authentice declaravit valide et licite vicarium assistere posse matrimoniis ante approbationem Superioris religiosi. Hinc patet maximum esse discrimen inter approbationem Ordinarii loci et approbationem Superioris religiosi.

10. Sacerdos qui supplet parochum discedentem ultra hebdomadam *ex repentina et gravi causa,* potest valide et licite matrimoniis assistere aliaque munia ecclesiastica obire, « quoadusque Ordinarius, cui significata fuit designatio sacerdotis supplentis, aliter non statuerit » (2).

---

(1) *A. A. S.* XIV, 527. *Per.*, XI, 163.
(2) *Pontif. Comm. Cod.* 14 iul. 1922, ad V.

11. Si parochus paroeciam reliquerit cum intentione discedendi **ultra hebdomadam,** at reapse post duos vel tres dies, cessante causa discessus, revertatur, vicarius ad normam iuris est semper substitutus.

Si parochus putaverit absentiam non esse duraturam ultra hebdomadam, sed postea ob aliquam iustam causam protrahatur de facto ultra hebdomadam, vicarius seu sacerdos supplens legitime curam animarum exercet ac valide nuptiis assistit. Expedit tamen ut parochus quam primum loci Ordinarium certiorem faciat indicans ei causam discessus et sacerdotem supplentem; imo si absentia praevideatur duratura ultra hebdomadam, ad id omnino tenetur (1).

12. Si parochus absit nec ultra nec infra hebdomadam, sed praecise **ad hebdomadam** v. g. a feria secunda ad alteram feriam secundam, vicarius dicendus ne est **substitutus,** gaudens proinde plena potestate paroeciali ?

Responsio negativa certa videtur, quia can. 474 expresse remittit ad can. 465, §§ 4 et 5. Porro iste canon tam in § 4 quam in § 5 diserte loquitur de absentia « **ultra hebdomadam** ». Quae vox « **ultra** » accipienda est secundum propriam significationem, ad normam can. 18.

13. Si parochus ex mera inadvertentia seu oblivione omiserit significare Ordinario designationem vicarii, non ideo statim concludendum, hunc invalide munia paroecialia exercere invalideque matrimoniis assistere.

Idque valet etiam in casu quo litterae parochi ad Ordinarium missae, quacumque de causa, v. g. infortunio, malitia, incuria publicorum tabellionum, etc., ad eum non pervenerint, ita ut Ordinarius designationem vicarii non approbaverit, et parochus discessum e pa-

---

(1) Cappello, *De matrimonio*, n. 649.

roecia differre non potuerit. Item in casu quo approbatio Ordinarii non innotuerit parocho abeunti ex gravi et urgenti causa (1).

14. Sacerdos qui supplet parochum absentem non ultra hebdomadam, cum vicarius substitutus non sit, certe non gaudet potestate ordinaria, nec potestate delegata a iure, sed solum potestate delegata ab homine i. e. vel a parocho, ut ordinarie fit, vel in aliquo casu particulari a loci Ordinario. Quae delegatio, nisi aliud expresse cautum sit, censetur ad universitatem causarum concessa.

15. Necesse non est iure communi (aliud forte iure particulari, ex Synodo vel Concilio provinciali), ut iste sacerdos supplens praevie approbetur ab Ordinario loci.

Fingamus casum. Parochus cum Superiore religioso convenit ut, durante absentia infra hebdomadam, cura paroeciae assumatur ab aliquo religioso a Superiore designato, cui parochus expressis verbis affirmat omnes facultates ad curam animarum gerendam esse concessurum. Quid dicendum ?

Tria quaeri possunt: 1^0 utrum in casu adsit vera et sufficiens delegatio ex parte parochi; 2^0 utrum vi huiusmodi delegationis possit sacerdos omnia munia paroecialia exercere, etiam audire confessiones et matrimoniis assistere; 3^0 utrum Superior religiosus valeat subditum designare, quem maluerit, aut plures successive, ita ut singuli per unum alterumve diem curam animarum exerceant.

1^0 Ex parte parochi in casu habetur vera et sufficiens delegatio. Paucis doctrina de potestatis delegatae concessione et acquisitione exponenda.

Potestas delegari debet *ab eo* qui illam habet et quidem expeditam, atque *ei* dumtaxat deleganda, qui

(1) Cfr. CAPPELLO, *De matrimonio*, n. 649.

capax est seu qui potest eam accipere, secundum principia iuris generalia. Deleganda est actu externe *manifestato*, ab *errore substantiali* immuni.

Ante Codicem fere communis erat Doctorum sententia, delegationem sine expressa vel tacita *acceptatione* non valere, Superiorem autem posse quidem *subditum* cogere ad eam acceptandam, sed hanc specialem voluntatem non praesumi eo ipso quod deleget, sed positive esse probandam (1).

Ex parte delegati non requiritur *acceptatio*, si potestas sit delegata *a iure*, ut palam est; si sit *ab homine*, ordinarie requiritur, sed Superior potest etiam ita concedere potestatem, ut haec competat delegato *antecedenter* et *independenter* a positiva eiusdem acceptatione.

Si delegatus est *absens*, regulariter loquendo, potestas non intelligitur ante data, quam *directe* illi a delegante significata fuerit. Dicimus *regulariter*, quia ex voluntate Superioris potest interdum delegatio, si peculiaria adiuncta id postulent, vim atque efficaciam sortiri ante *directam* significationem factam delegato.

In casu haec omnia locum obtinent; quare nihil deest verae et propriae delegationi.

2⁰ Sacerdos supplens vices parochi non ultra hebdomadam absentis potest profecto ex recepta delegatione curam animarum exercere. Id sponte consequitur ex ipsa rei natura.

Sed, quoad audiendas fidelium sacramentales confessiones, religiosus seu sacerdos supplens, nisi iurisdictionem a loci Ordinario obtinuerit ad normam can. 874, certe non potest illas excipere. Nam parochus huiusmodi potestatem, licet ordinariam, delegare nequit (2).

---

(1) Cfr. D'Annibale, I, n. 74; Reiffenst. lib. I, tit. 29, n. 66 ss.

(2) *Pontif. Comm. Codicis*, 16 oct. 1919, ad 3; *A. A. S.* XI, 477. *Per.*, X, 100.

Quoad matrimoniis assistentiam, res, sincere fatemur, difficultate non caret. Sane ex can. 1096, § 1 licentia assistendi matrimonio « dari expresse debet sacerdoti *determinato* ad matrimonium *determinatum*, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de *vicariis cooperatoribus* pro paroecia cui addicti sunt; *secus irrita est* ».

In casu sacerdos supplens procul dubio nec est nec dici potest vicarius cooperator, de quo in can. 476. Videndum, igitur, utrum sacerdos vi praefatae delegationis sufficienter *determinatus* censeri possit ad normam cit. can. 1096, § 1.

Attento responso Pontif. Comm. Codicis diei 20 maii 1923, ad VI, videretur *negative* respondendum. Sequens dubium propositum fuit: « Utrum, ad normam can. 1096, § 1, sacerdos sit determinatus, si parochus Superiori monasterii in casu particulari declaret, se ad matrimonium proxima dominica in ecclesia filiali celebrandum delegare aliquem sacerdotem religiosum, qui a Superiore sequentibus diebus ad Missam die dominica ibi celebrandam deputabitur ». Responsum fuit: « *Negative* » (1).

Si res penitius consideretur, perspicue apparet dari discrimen inter priorem casum et alterum. Sane in priori casu agitur de sacerdote qui vices parochi gerit quoad universam curam animarum, cui proinde omnes expresse conceduntur facultates; in altero, contra, datur solummodo licentia assistendi alicui determinato matrimonio. Quare deest omnino delegatio ad universitatem causarum. Verba can. 1096, § 1 respiciunt solam assistentiam matrimoniis, et non videntur extendenda ad actum quo quis delegetur ad causarum universitatem.

Valida certe foret delegatio si parochus in casu

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVI, 115. *Per.*, XIII, 80.

omnia et *singula* membra religiosae communitatis intenderet seu *omnes* et *singulos* sacerdotes Superiori religioso subiectos in eiusque domo degentes. Idem dicendum, si parochus ipsum Superiorem delegaret ad assistendum matrimoniis determinatis eique licentiam daret alium vel alios sacerdotes determinatos subdelegandi ad assistendum eisdem matrimoniis (1).

Quoad matrimonia iam celebrata, censemus standum omnino esse pro eorundem valore ad norman can. 1014. In posterum accuratius et prudentius procedendum, ne dubium ullum supersit de matrimoniorum validitate.

16. Utrum principium statutum in can. 209, scil. quod Ecclesia in errore communi et in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti iurisdictionem supplet, applicari possit vicario substituto et sacerdoti supplenti in casibus supra expositis? v. g. quoad facultatem audiendi confessiones.

Si agitur de *iurisdictione* proprie dicta, certum est praescriptum can. 209 esse applicandum ideoque Ecclesiam supplere, dummodo verificetur conditio, nempe aut *erroris communis* aut *dubii positivi* et *probabilis*.

Si agitur de *licentia* assistendi matrimoniò alicui sacerdoti concessa, *controvertitur*. Huiusmodi licentia seu delegatio improprie dicta est actus, quo testis *auctorizabilis*, scil. testis qui actui cui interest legalem auctoritatem praestat plenamque facit fidem (cfr. can. 1791, § 1), alium sibi substituit. Sicut autem assistentia ab ipso substituente praestita non est actus *iurisdictionis*, ita etiam concessio facultatis non est delegatio proprie dicta, ideoque *licentia* potius quam delegatio (can. 1095, § 2 et 1096, § 1) vocatur. Attamen dicitur passim *delegatio* (can. 1094, 1096, § 1), quia

(1) *Pontif. Comm. Cod.* 28 dec. 1927, ad IV, *A. A. S.* XX, 61. *Per.*, XVII, 38.

fit reapse ad normam delegationis eique eadem fere ac verae delegationi applicantur principia (1).

Nobis nedum probabilis aut probabilior sed certa videtur sententia, quae tenet praescriptum can. 209 applicari etiam licentiae seu delegationi praedictae. In praxi tamen *dubium* positivum et probabile potest quidem facile verificari; at *error communis,* ubi agitur de hoc aut illo sacerdote peculiariter delegato seu de licentia in casu particulari concessa, vix aut ne vix haberi potest. Nobiscum cl. P. VERMEERSCH, qui ait: « Ac nota competentiam delegati particularis nulli errori communi locum dare posse » (2).

Id ex ipsa rei natura manifestum apparet.

FELIX M. CAPPELLO, S. I.

De die qua leges Pontificiae vim suam exserere incipiunt.

Notae supplementariae.

I. In postremo fasciculo anni 1929 huius ephemeridis, p. 179*-183*, breviter tractatum est de die qua leges Pontificiae vim suam irritandi vel obligandi sortiuntur; ac normas propositas ad mixta Germaniae matrimonia applicavimus.

Iam vero in ista applicatione neglecta est consideratio n. 2 Const. *Provida,* qua vis obligandi istius Constitutionis ad proxime sequentem diem Paschatis, i. e. ad diem 15 aprilis differtur. Quare, non a 19 ianuarii, sed ab ineunte illa assignata die obligare coepit.

II. Responsio *S. C. Concilii,* 28-30 mart 1908, quae Constitutionem *Provida* restricte interpretata est, lata

(1) CAPPELLO, *De matrimonio,* n. 672.
(2) *Theol. mor.,* III, n. 795.

fuit adhuc vigente Decreto *Tametsi*. Itaque, iis qui extra Germaniam vel nati erant vel matrimonium celebrabant suppressit, etiam si mixtum matrimonium faciebant, exemptionem a decreto *Tametsi* usque ad Pascha istius anni; a Paschate autem exemptionem a decreto *Ne Temere*.

III. Restrictiva etiam fuit declaratio S. C. *de Sacramentis*, 18 iun. 1909 ad I, quae negavit beneficium C. *Provida* aliis prodesse quam iis qui ambo nati in Germania, vel ambo nati in Hungaria, matrimonium in Germania, si in Germania nati, vel in Hungaria, si in Hungaria nati, nuptïas celebrabant, exclusis proinde etiam matrimoniis mixtis quae Hungarus cum parte Germanica, vel contra, in Germania vel Hungaria faceret.

Profecto, ut scite nobis observavit R. P. Hecht, e Pia Cong. Missionum, mirum esse potest isti declarationi non fuisse approbationem Pontificiam petitam; sed id naturam restrictivam eius non tollit. Hanc ceterum agnovit etiam Suprema C. *S. Officii*, cum 12-13 augusti 1914 ad sequens dubium, ab archiepiscopo Monacensi propositum :

« Utrum condiciones (requisitae responsis 28 maii 1908 et 18 iun. 1909) pro futuro tantum valeant an ad praeteritum etiam, scilicet ad ipsum tempus C. *Provida*, retrotrahendae sint ac si ipsi Constitutioni insint, ita ut matrimonia mixta in quibusvis imperii Germanici provinciis et locis ante diem Paschae 1906 contracta, nisi ambo coniuges in Germania nati fuerint pro validis habenda non sint ».

Respondit: « *Affirmative* ad primam partem, seu condiciones pro futuro tantum valere, et *Negative* ad secundam partem, seu matrimonia de quibus agitur, per se, ex hoc capite esse valida ». (*Archiv*, 1915, p. 306.)

III. P. 180* scripsimus, cum insertatio in *Acta*

Apostolicae Sedis non demonstretur vel supponatur facta media nocte, in supputandis tribus vacationis mensibus ipsam diem commentario officiali appositam non esse computandam; quod auctoritate BARBOSAE et D'ANNIBALE confirmavimus.

Conclusio tamen ista non est tam certa ut authentica eius declaratio non foret opportuna. Dubium enim quispiam moveri possit, quia dies apposita non semper eadem sit dies distributionis vel expeditionis.

De Clausura Monialium

I. — Cum, obtenta debita S. Sedis licentia, Monialis quaedam, ad conferendam se in aliud monasterium, pernoctare deberet in civitate ubi aliud exsistebat monasterium sub clausura quae papalis dicitur, a matre abbatissa istius monasterii facultatem petiit ut posset diem transigere cum Monialibus. Abbatissa dubia haesit, num posset istam monialem intra clausuram admittere. Ingressus tamen istius monialis intra clausuram videbatur ipsi et magis congruens cum professione itinerantis monialis, et magis utilis recollectioni monialium a quibus hospitium petebatur. Pax enim et silentium facilius servatur intra saepta monasterii quam si moniales extraneam Sororem in locutorio ad crates excipere cogerentur.

Interrogatus Ordinarius, ipse dubius, mansit tum de necessitate alicuius licentiae, tum de potestate, cui competebat licentiam dare.

Responsum. Attentis doctorum sententiis, distinguendum videtur utrum Monialis eiusdem Ordinis fuerit a quo petit hospitium, an diversi.

1. Si Monialis iter faciens non solum ad eundem Ordinem pertineat, sed etiam eiusdem monasterii fuerit

professa, tunc ipsi omnino licet claustra istius Monasterii repetere.

2. Si non ad idem monasterium sed solum ad eundem Ordinem pertinuerit, est auctor LLAMAS, a SANCHEZ allegatus, qui tenet monialem istam recipi posse, « quia sic ingrediens servat clausuram eo modo quem potest, et recipientes hanc observationem fovent. Neque credendum est Pontificem hunc ingressum ita honestati monialis convenientem interdixisse ». Ipse SANCHEZ, *In Dec.* L. 6, c. 16, n. 10, id concedit, quia monialis eiusdem Ordinis et habitus non est *extranea* a conventu, sed moraliter propria illius. Hanc sententiam profitentur etiam PELLIZARIUS, De *Monialibus*, c. 5, sect. III, n. 107; LAUR. DE PEYRINIS, O. Minimorum, *De Officio Praelati regularis,* in Const. 6 PII V, qui haec distinguit: « Respondet bene SANCHEZ... Vel loquimur de moniali iter agente, accedente ad monasterium Ordinis, ut hospitio recipiatur. Et licite potest ingredi et admitti absque alia Superioris licentia, quia ista extranea non est et debitum fraternitatis id postulat. Vel loquimur de moniali egressa pro recuperanda salute, quae recreandi animi gratia, vel moniales invisendi, vellet aliud Monasterium sui Ordinis ingredi. Et dicendum est quod possit, propter eandem rationem. Vel loquimur de moniali iter agente per loca ubi non esset monasterium eiusdem Ordinis sed alterius, et poterit admitti de licentia Superioris illius monasterii, quia religiosa charitas, quae personas religiosas maxime decet, et honestas status monialis id petit. Vel loquimur de moniali quae recreandi animi tantum causa vel invisendae monialis cognatae, vellet Monasterium alterius Ordinis aut habitus ingredi. Et tunc non est ingressus causa, nec Superior eam dare potest ».

Negat vero CASTRO-PALAUS, *De religione.* Tr. XVI *De statu religioso*, Disp. IV, Punctum X, § 1, quia Monialis de qua quaeritur non pertinet ad istud mo-

nasterium, et quia secus possent omnes eiusdem Ordinis Moniales pro libitu ingredi clausuram, quod prorsus falsum est. Sed deficiente hospitio conveniente, licentia dari potest a Praelato cui subsunt. — Fatendum est rationem istam CASTRO-PALAI, hodie saltem esse valde debilem. Moniales enim egredi prohibitae quo pacto possent sic circumire Monasteria?

3. Si Monialis velit adire ad monasterium diversi Ordinis, LLAMAS et PELLIZARIUS et PEYRINUS, ut vidimus, sinunt ut admittatur, si re vera causa itineris id postulet, cum tunc charitatis et honestas ipsius status id requirat.

Negat autem SANCHEZ, l. c., quia haec est extranea; fortiore ratione id negat CASTRO PALAO. Deficiente tamen hospitio convenienti, licentia dari poterit.

Itaque, hoc saltem constat, simpliciter licere ut Monialis eiusdem Monasterii clausuram ingrediatur: quod usu venire potest, si Monasterium, cum debita facultate, Monialem ad domum succursalem instaurandam miserit. Si autem ad eundem Ordinem pertineat, admitti poterit, cum licentia Superioris. Is hodie est semper Episcopus, cui custodienda committitur Monialium clausura. Si autem agitur de Moniali alius Ordinis, non poterit, ne cum licentia quidem Praelati admitti, nisi, in ipso Monasterio desit alius locus decens extra clausuram; et aliud hospitium honestum desideretur.

Datae solutioni obici quidem potest, Codice iuris canonici S. Sedi reservatam esse facultatem permittendi ingressum in clausuram Monialium, quae antea pertinebat ad Episcopum, una cum Superiore regulari, si Moniales erant ipsi subiectae. Cfr BENEDICTUM XIV, *De synodo* L. 13, c. 12, n. 23; LEHMKUHL, S. I., II, n. 1232. Verum agitur in casu de rigore quo intellegendum sit vocabulum *Nemo*, initio can. 600 positum. Quod videmur interpretari posse ad normam iuris anti-

quioris. Tunc autem, vi cuiuspiam epikeiae, non censebatur applicari debere ad Moniales eiusdem Ordinis vel ad casus necessitatis ubi decenti Monialium hospitio erat providendum. Quia autem etiamnum Ordinarius loci est custos clausurae Monialium, approbationem istius Ordinarii postulavimus, si tempus suppetat, ut exigitur canone 600, 4.

N. B. Anno 1929, S. C. *de Religiosis* non ita facile concessit ut Monialis Carmelitana itinerans ab alio Carmelo recipi possit. Verum in huiusmodi indulto nulla directa iuris interpretatio continetur. Tantum alicui casui prospicitur, qui cum in re non usuali versetur, deciditur, sine iuris praeiudicio, etiam cum clausulis quae ultra ius sunt severae.

II. — Canon 600 ingressum positive concedit S. R. E. *Cardinalibus. Quaeritur* autem utrum necne possint ingredi cum comitatu, sicut expresse permittitur iis qui supremum actu tenent populorum principatum, eorumque uxoribus dum Codex mere haec verba adhibet « itemque S. R. E. Cardinales ».

Ac mira severitate, R. P. Blat, O. P., cum desint verba « *cum comitatu* », etiam vetat ne unum socium secum ducant. « Verumtamen, — sic ipse, in hunc canonem, II. n. 675, — comitatu, sicut videtur, excluso, etsi unius personae ».

Sed, num decet ut Eminentissimus vir ingrediatur sine ullo comite? Canon autem nonne decentem ingressum Cardinali S. R. Ecclesiae permittit? Vox autem « *itemque*, » nonne significat potius: similiter pari ratione, ac proin sicut iis qui summum principatum tenent, i. e. cum comitatu? Quam ceterum interpretationem profitetur, ut accepimus, non unus Cardinalis in Urbe.

A. Vermeersch, S. I.

De exercitiis spiritualibus ante ordinationem, quod ad religiosos.

Die 2 maii 1928, S. C. *de Disciplina Sacramentorum* (1) decretum edidit, quo statuit canonem 1001 § 1 de exercitiis spiritualibus quae ordinationibus praemitti debent litteraliter observandum esse, quotiescumque sit materialiter possibile, etiam si variae ordinationes brevissimo tempore sint separatae.

Quaeritur iam, utrum necne Religiosi hoc decreto servando teneantur.

Resp. Ut huic quaesito prudenter et ea quam bonum commune postulat ratione satisfacere conemur, ius obiectivum, sine ullo praeiudicio consultum adire debemus.

1. Cuiusnam naturae est illa Em. Patrum resolutio?

Non est authentica canonis interpretatio. Etenim, Motu Proprio, *Cum iuris canonici*, 15 sept. 1917 (*Per.* IX, 16), BENEDICTUS XV authenticam Codicis interpretationem reservatam voluit Pontificiae Commissioni quam in hunc finem instituit, SS. Congregationes rogans ut tantum Instructionibus Codicem canonicum potius ad usum cotidianum traducerent.

Resolutio igitur ista est *ordinatio* quam Em. Patres, pro sua prudentia, pro suis subditis faciendam decreverunt.

2. Itaque quaerendum nobis est quinam, in re praesenti, sint subditi *S. C. de Disciplina Sacramentorum*. Cum non agatur de re quae ad intrinsecam Ordinum rationem pertineat, causa haec, quod ad religiosos, pertinet ad *S. C. de Religiosis*, a qua, occurrente casu, etiam dispensatio ab istis spiritualibus Exercitiis pe-

(1) Cfr. *Per.*, XVII, 240, ss.

tenda foret, sicut in ipso ieiunio eucharistico eadem S. Congregatio religiosos dispensat.

Quare, *respondendum* putamus : Quaenam sint exercitia spiritualia, ad normam c. 1001 § 1 obeunda a Religiosis, id decernere spectat ad *S. C. de Religiosis*. Hi proinde, donec ista S. Congregatio nihil praescripserit, prudenti auctorum interpretatione stare non prohibentur.

Confirmamur hoc exemplo. Die 25 octobris 1918, *S. C. Consistorialis*, Decretum condidit De clericis e militia redeuntibus (*Per.* IX, 124). Iam vero ut decretum istud, quod opportunissimum appellat, Missionarios obligaret, *S. C. de Propaganda Fide*, 15 ian. 1919, praefatum decretum expresse applicavit « ad Instituta, Seminaria et Collegia Missionum suae iurisdictioni subiecta ». Cfr *Per.*, X, 74.

A. VERMEERSCH, S. I.

De probabiliter valida voti irritatione.

In erudita disputatione quam in *Apollinaris*, iam anno 1928 de irritatione et suspensione votorum, Rev. P. DAMEN, C. SS. R. scribere coepit et nondum penitus absolvit, quaestionem movet utrum, post Codicem, vi can. 89, Pater omnia filii minoris natu, nondum emancipati, vota directe irritare possit, an eius potestas irritandi, eadem qua ante Codicem aetate, i. e. pubertatis circumscribatur. Quam quaestionem cl. auctor solvit opinando nihil esse, quod ad aetatem, mutatum in Codice. Simul tamen lectores docet triplicem haberi hodie de hac re sententiam, et plures allegat scriptores qui existimant potestatem directae irritationis ad omnes minores natu non emancipatos esse extensam. Praeter nostram Theol. moralem, citat. (*Apollinaris*, 1929, p. 500), ARREGUI, COCCHI, BLAT, O. P.,

FERRERES, S. I., TANQUEREY, et GÉNICOT-SALSMANS, S. I. Inter quos ARREGUI et TANQUEREY sententiam suam mere ut probabilem proponunt.

Non aliter S. ALPHONSUS, L. 3, n. 230 de quaestione utrum necne etiam praesente patre mater vota filiorum irritare directe possit, agnoscit *duas aeque probabiles* sententias.

His positis, statim occurrit dubium. Si mater, praesente patre votum filii irritaverit; si pater votum irritaverit filii qui, non emancipatus annum octavum decimum compleverit, potestne uterque filius se practice liberum a voto reputare? Sane probabilis est sententia quae hanc potestatem matri, praesente patre et patri respectu filii natu minoris addicit. Concedamus etiam probabilitatem sententiae quae talem potestatem negat. Itaque post factam irritationem, votum dicendum est probabiliter exstinctum et probabiliter subsistens.

Verum can. 15 statuit leges in dubio iuris non urgere; quod, propter analogiam, ad materiam voti traduci potest. Praeterea auctores generatim docent, cum agitur de votis, pro minima obligatione esse respondendum. Sic in dubio positivo et probabili de impleta voti obligatione censent iam voventem ad nihil teneri. Iam vero probabilis irritatio probabili impletioni prorsus aequiperatur. Igitur, constat probabilem usum potestatis in vota practicos certae potestatis effectus sortiri. Ceterum, si S. ALPHONSUS de huiusmodi casu aliter sentiret, pro sua prudentia, postquam probabilem agnovit sententiam quae negat et sententiam quae affirmat potestatem matris in vota filii, quando pater est praesens, monuisset de practice inutili usu probabilis tantum potestatis maternae.

A. VERMEERSCH, S. I.

De Epis. proprio pro ordinat. subiecti Orientalis

In regione quadam solus habetur Episcopus ritus latini, quamvis non nullae familiae Orientales ibi iam diu sedem posuerint, ita ut earum filii in illa latina dioecesi originem simul ac domicilium habeant. Unus autem ex istis, studiis clericalibus feliciter peractis, velit ordinibus augeri. Episcopo omnino idoneus probatur. Quis autem ipsum ordinare legitime poterit?

Resp. Si satis commode Episcopus ritus Orientalis conveniri queat, is, acceptis litteris dimissoriis Episcopi latini, erit legitimus ordinationis minister. Si autem Orientalis haberi nequeat, rituum diversitas obstabit quominus Episcopus latinus Orientali subdito ordines conferat. Restat igitur ut adeatur S. Sedes, i. e. *S. Congregatio ritus Orientalis*, quae vel transitum seminaristae ad ritum latinum vel ordinationem alieno ritu, pro sua prudentia et adiunctis concedat.

A. VERMEERSCH, S. I.

De suffragiis ante mortem oblatis.

Pia quaedam Teresia, valde commota verbis BENEDICTI XV, « profuturum sibi (fidelibus) multo magis missae sacrificium quod, se vivis, ipsimet quam quod in ipsorum levamen defunctorum heredes, propinqui vel amici perlitari iusserint » (A. A. S., XIII, 344), Titium sacerdotem rogat ut velit pro ipsa *tricenarium Gregorianum* celebrare. Quid ad haec Titius?

Resp. Plus prosunt viventibus Missae quas ad expianda peccata ipsi, dum vivunt celebrare iubent, quatenus: *a)* Certior est piae eorum voluntatis exsecutio; *b)* magis se produnt liberales, dum ipsi statim stipendia solvunt, quam si eadem ex patrimonio post mortem relicto sumenda sint; *c)* ipsi quoque missae assistere possunt et sic alia etiam ratione offerre eam

possunt; *d)* quadantenus magis certa est applicatio propitiatoria ad viventem qui eam postulaverit, quam applicatio per modum suffragii facta.

Verum, expiatio ista non est efficax nisi pro culpis tunc, cum Missa celebratur, luendis; neque hic ullus locus est appellandi speciale subsidium S. Gregorii, quod, quantum id novisse possimus, animabus purgatorii reservatur.

Dicat ergo piae Teresiae: si id cupis, libenter celebrabo missas pro expiatione debitorum temporalium quae usque ad tempus missarum celebratarum contraxeris; Gregorianas autem Missas pro persona vivente celebrare non possum. Cum id proderet quandam fiduciam nullo motivo innixam, celebratio ista quandam supersitionem redoleret.

A. Vermeersch, S. I.

Casus Conscientiae De Iustitia

I. In hereditate quadam reperta sunt duo testamenta, vel quasi talia: uterque est holographum, sed alteri deest praescripta lege indicatio datae; alterum non est subscriptum.

Quaeritur, utrum haeres ab intestato quidpiam de istis testamentis iis quibus prodessent manifestare debeat, an utrumque lacerare vel comburere licite possit.

Si tamen voluerit testamentorem informium rationem habere, utrum attendendum sit prae alio?

II. Reperto testamento cui data deerat, Pulcheria ancilla quae heres instituebatur, modum scribendi testatoris perfecte imitata, annum et diem supplevit. Quaeritur num id salva iustitia facere potuerit; quod si id negetur, a quonam momento: a suppleta data, an ab usu testamenti sive extra sive intra iudicium magistratus, iniustitia sit consummata, et quamnam obligationem restitutionis contraxerit.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De oratione Sanctissimi in Missa propter SS.i expositionem.

Dubiorum occasio. Resolutione *S. Congr. Rituum* 11 ian. 1928 *(Acta Apost. Sedis* XX, 90; Per. XVII, 68), declaratur:

1, Orationem SS.i Sacramenti, extra tempus orationis XL Horarum, dicendam esse in qualibet Missa (ergo in Missa sive cantata sive lecta) quae celebratur ad altare ubi, statim post Missam, SS. Sacramentum *exponatur pro publica causa*, dummodo Missa vel commemoratio in Missa occurrens non sit de identico Domini mysterio.

2. Perdurante per aliquod tempus, extra aliam sacram functionem, expositione et adoratione SS.i Sacramenti pro publica causa, orationem istam dicendam esse in *omnibus Missis* quae per istam expositionem ad quodlibet ecclesiae vel oratorii altare celebrantur. Excipiuntur Missae quae apparatu violaceo in Commemoratione omnium fidelium defunctorum celebrandae sunt.

Dubia. Inde quaeritur:

1. *Quaenam expositio SS.i Sacramenti dicenda sit facta pro publica causa;*

2. *Quaenam expositio pro publica causa requiratur ut praefata Resolutio locum habeat.*

Responsa. Ad 1. Licet ante Codicem regulae de Expositione SS. Sacramenti frequenter ob ignorantiam vel usus locorum neglectae fuerint, per se tamen sola distinguebatur expositio *sollemnis seu publica* i. e. detecta hostia in ostensorio, quae *pro publica tantum causa* imperari poterat (Cfr HAEGY, C. S. S., *Manuel de liturgie,* 12 édit, I, p. 550, 551, allegantem BEN. XIV, *Instit.* XXX, n. 9. GARDELLINI in *Insti. Clem.* 36, n. 2), et non sollemnis seu *privata in pyxide.* In can. autem 1274; expositio sollemnis, quae, ut antea, licentiae Ordinarii loci subordinatur, facienda dicitur *praesertim* pro causa publica, ita ut causa privata non excludatur, nec iam ex forma sollemni colligere possimus SS. Sacramentum pro causa publica esse expositum.

In *Epitome iuris can.* n. 599, causam publicam sic descripsimus: « Causa publica vero est in genere spiritualis utilitas populi, v. g. ne totam diem vel magnam partem diei festi in rebus profanis transigat; in specie vero sollemnitas festi maxime festi SS. Corporis Christi; arduae causae pacis et publicae necessitatis vel utilitatis ».

Non dixerim igitur esse *publicam*, causam fovendi devotionem seu spiritualem consolationem communitatis Sororum. Sed si expositio apud Sorores imperetur ut orent pro salute patriae, pro conversione peccatorum, pro missionibus, pro Summo Pontifice, iam eius causa erit existimanda publica. In arbitrio igitur Antistitis loci est ut publicam causam definiat. Ad 2. Observes in primis a S. Rituum Congregatione suum stilum mutatum esse, postquam obtinuit ut Missae coram SS.mo sollemniter exposito omnino rariores fierent. Antea enim, ut habet *Index generalis* qui *Decreta authentica* sequitur: « Expositione Sanctissimi Sacramenti durante, collecta de ss. Sacramento in Missis celebratis extra festa, vel 2 classis dici potest (in Missis privatis erat liberae optionis), non autem in iis quae

ante expositionem celebrantur ». His verbis resumitur responsum datum in Veronensi 27 aug. 1836 ad 6 (Decr. auth. n. 2745), dum num facienda prae scribitur in Missa quae celebratur ad altare expositionis, *immediate ante expositionem.*

Quaeritur iam quaenam expositio SS.requiratur facta pro publica causa ut praefata Resolutio applicanda sit.

a) Ut nostra responsio probe intellegatur, observes expositionem SS.amari et intendi posse qua talem seu propter se, i. e. ad adorandum Sanctissimum, vel eligi ut medium benedicendi populo per sacram hostiam.

Ita in Urbe non desunt ecclesiae in quibus, die dominica, post Missam principaliorem, populo cum Sanctissimo Sacramento benedicitur. Iam vero, ubi sola benedictio quaesita fuerit, commemoratio de Venerabili in nulla Missa facienda est. Verba enim Resolutionis intellegi possunt de casu in quo ipsa expositio intenta fuerit. Consonat receptus mos. Usus non est in Urbe ut propter sequentem istam benedictionem post Missam, oratio de SS. in Missa praecedente addatur. Praeterea in III vox *adoratio* cum *expositione* coniungitur.

Quaeres forte quandonam brevis huiusmodi expositio qua talis intenta fuerit.

Respondemus, intenta erit si ista expositio post Missam suppleverit expositionem quae antea intra Missam celebrabatur. Etenim in expositione per Missam ipse honor expositi SS.mi profecto intendebatur, et benedictio erat secundaria sed necessaria conclusio.

Intenta etiam erit si, ut in aliquibus locis, semel in mense (die dominica) post Missam processio cum SS.o Sacramento inter vel extra ecclesiam instituatur. Tunc iterum finis esse cernitur ipsa SS.mi adoratio.

Extra hos casus, benedictio potius quam adoratio SS.i qua talis quaeritur, ita ut nulla sit facienda commemoratio.

b) Quando autem agitur de expositione quae *per aliquod tempus* perduret, in quo casu Sanctissimum in *omnibus* Missis quae inter istam expositionem offeruntur commemorandum foret, ipsa Resolutio addit condicionem, ut expositio ista fiat extra tempus orationis XL Horarum et *extra aliam sacram functionem*.

Itaque commemoratio in Missis non erit facienda, quando post missam exposito Sanctissimo functio fiat SS. Rosarii; vel iam mane canantur Laudes ut functione vespertina.

Sed commemoratio ad omnia altaria facienda erit, si post Missam SS. Sacramentum per semi-horam proponetur adorandum, maxime si adoratio fiat in silentio.

Ratio solutionis ea iterum est, quia dum alia functio peragitur, ipsa SS.i adoratio non videtur qua talis quaesita.

Verba porro Resolutionis, 2, « *Per aliquod tempus* », nobis videntur intellegenda de tempore minimo semihorae, ut saltem Missa intra istud tempus absolvi queat.

Quaeres quid faciendum sit in Missis quae cum expositio ad finem vergit inchoantur, ita ut neque secreta neque postcommunio recitandae praevideantur nisi post repositum SS. Sacramentum.

Resp. Cum deficiamur omni decreto, neuter sacerdos reprehendi poterit, neque is qui Sanctissimum commemoraverit quia inter orationes ante epistolam SS. Sacramentum expositum erat; neque is qui commemorationem praetermiserit, quia post absolutam expositionem secreta et postcommunio recitandae fuissent.

Observes enim recto Missae ordine postulari ut recitata prima oratione congruentes quoque cum oratione secreta et postcommunio recitentur.

Quia autem terna ista commemoratio in Missa vere cum expositione SSi dici possit conexa, melius esse arbitramur ut Sanctissimum etiam ab eo comme-

moretur qui per expositionis tempus primas saltem orationes Missae persolvere queat.

N. B. Ipsa resolutio 11 ian. 1928 nos memores efficit commemorationem istam etiam in sollemnissimis festis peragendam esse, nisi sint de identico mysterio; ac sub unica conclusione cum prima Missae oratione tunc tantum dicendam esse, quando Missae votivae impeditae locum teneat.

A. VERMEERSCH S. I.

De locis in quibus Episcopi indulgentias concedere possunt.

Vi can. 349 § 2, 2⁰ Episcopi residentiales, a capta possessione concedere indulgentias possunt quinquaginta dierum « in suae iurisdictionis locis »; vi can. 914 possunt Episcopi, in sua quisque dioecesi bis in anno, secundum praescriptam formulam impertiri Benedictionem Papalem cum indulgentia plenaria.

Propter verba can. 349 « in suae iurisdictionis locis », dubitatur utrum necne indulgentiam istam 50 dierum concedere possint regularibus exemptis et in eorum ecclesiis.

Resp. Episcopos id sane posse. Monasteria seu conventus regularium sunt in dioecesi, ac proin in loco iurisdictionis Episcopi. Loca ista non, ut scripsimus in *Theol. mor.* I, n. 288, secundum se sunt exempta sed tantum ratione religiosorum. Praeterea, ipsa Regularium exemptio non est ita universalis ut non sit quibusdam exceptionibus circumscripta et Episcopus non possit dici *suus,* in re favorabili, a Regularibus (Cfr. *De Religiosis,* I, n. 382). Immo communis hodie sententia permittit Episcopo usum erga Regulares suae iurisdictionis, quae

ultro, annuente Praelato sit accepta, ne offendamus reg. 61 iuris in 6⁰: « Quod ob gratiam alicuius conceditur non est in eius dispendium retorquendum » Conclusio nostra egregie confirmatur responso S. C. *de Sacramentis,* 12 mars 1910 ad 8, quo parochus dicitur valide posse in ecclesiis regularium assistere matrimonio, quia ecclesiae istae existimari possunt « tanquam territorium parochi seu Ordinarii, in quorum territoriali districtu sunt sitae, ad effectum assistentiae matrimonii », Cfr. nostrum *De forma sponsalium ac matrimonii post decretum Ne temere,* ed. 5, n. 127.

Quocirca poterit etiam Episcopus in ecclesia regulari exempta impertire Benedictionem Papalem cum indulgentia plenaria, de qua agit can. 549.

De Canone, 1116, seu de legitimatione per subsequens matrimonium parentum.

I. Ex modis quibus filii non legitimi beneficium legitimationis consequuntur semper aliis potior habitus est contractus subsequentis matrimonii inter parentes. Quocirca canonem de legitimatione per matrimonium excipit can. 1117: « Filii legitimati per subsequens matrimonium, ad effectus canonicos quod attinet, in omnibus aequiparantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit ». Ac ratio istius favoris non est obscura. Per hanc enim legitimationem non solum proli sed etiam moribus publicis consulitur. Quid enim plerumque magis optandum est, nisi ut coniunctio peccaminosa in matrimonialem convertatur, et sic optima specie veluti obducatur. Iam vero, ut ait SCHMALZGRUEBER, in L. IV, T. 17, n. 49, « illegitime copulati amore liberorum alliciuntur ad coniunctionem legitimam seu matrimonialem ».

II. Non omnis tamen proles ad beneficium istud admittitur. Obstare enim potest peior macula qua origo prolis inficitur, vel ipsa minus optanda matrimonii ratio. Hinc iam Decr. IV, t. 17, c. 6, legitimatio per subsequens parentum matrimonium negatur proli adulterinae; quod confirmavit BENEDICTUS XIV Const. *Redditae nobis,* § 2, 5 dec. 1764. In Codice porro can. 1116 condicionem isti legitimationi necessariam generali formula, qua etiam iam utebatur SCHMALZGRUEBER, T. cit. n. 63-68, his verbis exprimit: « Per subsequens parentum matrimonium... legitima efficitur proles, dummodo parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis, vel praegnationis vel nativitatis ».

III. Novi iuris interpretes nullo commentario vim istius condicionis extenuare conantur.

Nonne tamen casus sunt in quibus suavior sanctio per se optanda videatur?

Huiusmodi haberi modeste existimamus, ac duo exempla proferemus.

1. Iuvenis nondum sedecim annos natus, puellam quacum peccavit gravidam fecit. Filius nascitur. Legitimam aetatem consecutus, sine ulla dispensatione valide et licite matrem uxorem ducere potest.

In iure superiore, cum principium vigeret, aetatem malitia suppleri, nihil legitimationi istius prolis obstabat. Hodie autem, cum ista suppletio iam non sit admissa, filius iste attingitur exceptione quae negat legitimationem proli cuius parentes non poterant inter se valide matrimonium contrahere sive tempore conceptionis, sive tempore praegnationis, sive tempore nativitatis.

2. Titius catholicus rem habet cum muliere non baptizata, quamvis fortasse catechumena. Post natam prolem, mater baptizatur catholice. Etsi nihil parentum matrimonium impediat, iterum tamen formula Codicis

legitimationem prolis per subsequens matrimonium parentum excludit.

3. Nonne probabiliter conici potest formulam can. 1116 futuram fuisse magis restrictam, si uterque casus expresse menti legislatoris obversatus esset? Neque casus istos contemplatos fuisse eo facilius explicatur, quod de priore exemplo quod tunc temporis, in regionibus catholicis, solum relative frequens praevideri poterat, ius antiquum benignam solutionem dabat.

Hoc etiam addas, per extensionem sanctionis quae prius solam adulterinam prolem beneficio legitimationis privabat, ad formulam generaliorem esse perventum. Quocirca, quando REIFFENSTUEL, in L. IV, t. 17, n. 28, eos numerat qui per parentum matrimonium non legitimantur, istos designat: « adulterinos, sacrilegos, incestuosos, nefarios » (qui ex ascendente et descendente erant concepti). De nostris exemplis non cogitavit.

Consideres etiam condicionem eorum quorum parentes ad matrimonium sine ulla dispensatione facti sunt habiles, dici aliquo modo posse peiorem condicione eorum quorum parentes non possunt sine dispensatione matrimonium facere. Vi enim can. 1051, per dispensationem datam ex potestate ordinaria vel delegata ex indulto generali, re ipsa legitimatur proles iam nata vel concepta, nisi fuerit adulterina vel sacrilega.

4. Haec cum ita sint, nonne in exemplis quae attulimus possit ex mente legislatoris admitti legitimatio prolis quae non sit adulterina et quorum parentes mere inhabiles erant propter impedimentum quod sine ulla positiva dispensatione cessavit? In has partes inclinamus. Sed cum verba can. 1116 sint clara, cum nullus scriptor ea temperanda putaverit, et agatur de condicione ad valorem necessaria, nobis non licet nisi authenticam declarationem sperare.

A. VERMEERSCH S. J.

De vi quod ad praeterita mutatae reservationis censurae.

Species facti. Titius catholicus, obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis, contraxit cum Bertha acatholicae sectae addicta nuptias prius coram parocho catholico, ac dein, ut uxori placeret, coram ministro haeretico qua tali. Inde commisit excommunicationem l. s. quae, iure antiquo, erat S. Sedi specialiter reservata, nunc autem canone 2319 § 1, 1°, Ordinario reservatur.

Delictum autem commisit anno 1915, i. e. ante vigentem Codicem, confessarium vero adit 1920. Is iam dubius haeret utrum excommunicatio qua Titius tenetur ut S. Sedi specialiter an ut Ordinario reservata tractanda sit. Priore casu, ad absolvendum Titium facultate, generali vel peculiari, S. Sedis opus habebit, altero casu facultas Ordinarii ipsi prorsus sufficit.

R. P. Michiels, O. M. C. (*Normae generales Iuris canonici*, I, 206) casum nostrum explicite contemplatur, solutionem dubiam esse pronuntiat, et quamvis per verba: « Opinamur tamen contrarium », benigniores partes amplecti videatur, re vera tamen casum severe enodat. Benignitatem enim suam circumscribit solis poenis vindicativis quae tractum successivum habeant, dum in proposito casu de *medicinali* sine tractu successivo agitur. Eius autem argumentatio est tota de poenis, poenam mutatam esse dicens eo quod antea specialiter S. Sedi nunc autem Ordinario excommunicatio reservetur.

Verum estne mutata poena cum eius reservatio mutatur? Cum reservatio non sit poena sed avocatio ad iudicium Superioris (can. 893 § 1 et 2), re vera, propter mutatam solam reservationem, non ipsa poena sed forum competens mutatur.

Certa autem est regula iuris, quod ordo iudicandi nova lege statutus, cum melior antiquo esse praesumatur, ad causas ante novam legem natas applicatur (1).

Iam vero recepta principia de modo quo leges regant futura et praeterita etiam ad Codicem applicanda sunt. Neque ullatenus obstat can. 10: « Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur ». Haec enim est ratio dicendi quae iam ab antiquo usurpabatur. Cfr v. g. REIFFENSTUEL l. c.

Haec igitur erit nostra certa conclusio, censuram de qua in casu, etsi tunc contracta fuerit cum casus erat S. Sedi specialiter reservatus, nunc ut Ordinario reservatam tractandam esse.

Neque aliter, si excommunicatione specialiter reservata S. Pontifici punitus casus, iam in nova lege nemini reservaretur, diceremus casum iam a simplici confessario absolvi posse etiam si casus sub vetere lege accidisset.

A. VERMEERSCH S. I.

Non nullae quaestiones canonicae.

I. Quinam sit sensus et valor can. 63, § 2.

1. Can. 63, § 2 generale sollemneque statuit principium: « *Possessio centenaria vel immemorabilis inducit praesumptionem concessi privilegii* ».

Hic, ut liquet, sermo est de possessione quae *civilis* vocatur et proprie definiri potest: *rei iurisve*

(1) Ceterum de ipsis poenis non est aliter dicendum. Cfr. Card. LEGA: *De Iudiciis*, t. 3, n. 77. Cfr *Epitome* I, n. 72 in fine; REIFFENSTUEL L. I. T. 2, n. 108 in fine; et alios.

detentio animo domini. Iste *animus domini* semper et necessario requiritur, quatenus quis rem *quasi suam* detinere debet, idest cum intentione eam sibi habendi, ideoque animo domini, non opinione tantum.

Possessio alia est *legitima,* alia *illegitima.* Possidet *legitime,* qui nec vi nec clam detinet; *illegitime,* contra, qui vi aut clam detinet, ideoque non pacifice.

Praeterea possessio alia est *bonae fidei,* alia *malae fidei.* Illa habetur, cum quis ignorat rem (vel ius), quam possidet, esse alienam; haec adest, cum quis scit rem (vel ius) esse alienam (1).

2. Possessio, de qua in can. 63, § 2, respicit directe et immediate praescriptionem; idcirco debet esse legitima et bonae fidei. Nam sine legitima seu pacifica possessione et bona fide praescriptio haberi nequit (cfr. can. 1512).

Non nulli dicunt respicere quoque *consuetudinem,* ita ut principium in can. 63, § 2 contentum valeat etiam pro possessione vi aut clam habita ac bona fide destituta. Toso haec habet: « Qui per centum annos privilegium possederit, *iuste* aut *iniuste, bona* aut *mala fide,* iure praesumitur legitime possidere et ideo, centenaria et *a fortiori* immemorabili probata, quavis alia probatione eximitur » (2).

3. Quod etiam in consuetudine possessio aliqua reperiatur, manifestum est. Porro si possessio, de qua in can. 63, § 2, referatur quoque ad consuetudinem, quomodo explicatur praescriptum can. 5? Iste canon statuit consuetudines praescriptis Codicis contrarias, quae expresse *reprobentur,* esse corrigendas, licet immemorabiles, nec in posterum inducendas; consuetudines, non reprobatas, centenarias vel immemorabiles, *tolerari* posse, si Ordinarii pro locorum ac persona-

(1) Cfr D'Annibale, II, n. 119.
(2) *Normae generales,* p. 157.

rum adiunctis existiment eas prudenter amoveri non posse. Si possessio centenaria vel immemorabilis ex can. 63, § 2 inducit praesumptionem concessi privilegii, cur consuetudo seu possessio quae habetur ex illa, dicitur in can. 5 solummodo *toleranda,* et quidem in peculiaribus tantum adiunctis, quamvis sit centenaria vel immemorabilis? Nonne aliqua contradictio adesse videtur inter praescriptum can. 5 et praescriptum can. 63, § 2, ad possessionem centenariam vel immemorabilem quod attinet?

4. Si res accurate spectetur, quaevis contradictio aut oppositio inter relatos canones evanescit.

In can. 5 agitur de consuetudine proprie dicta, quae solum a communitate (cf. can. 26) introduci potest; in can. 63, § 2 sermo est de possessione in ordine ad privilegium. Hoc autem acquiri potest tum a communitate tum a persona physica (vel morali) quae capax non est consuetudinis introducendae, diversa quidem ratione. Communitas, quae legis ecclesiasticae saltem recipiendae capax est, v. g. Capitulum, dioecesis, potest (num sensu proprio et stricto, an potius improprio et lato, dicetur infra) acquirere privilegia *consuetudine;* persona, contra, physica vel moralis, quae incapax est legis recipiendae, v. g. parochus, beneficiarius, *praescriptione* consequi valet privilegia. Proinde possessio, de qua sermo est in can. 63, § 2, cum respiciat privilegii acquisitionem, per se referenda est ad praescriptionem: secus personae physicae (et morales, legis recipiendae incapaces), quae proprio et stricto sensu privilegiorum capaces sunt, excludendae forent ab applicatione principii in citato canone contenti.

Igitur possessio, de qua in can. 63, § 2, ea est, quae consideratur in ordine ad praescriptionem, non autem ad consuetudinem proprie dictam, ad quam inducendam bona fides non requiritur. Consulto dicimus: *ad consuetudinem proprie dictam,* quia nonnulli censent

possessionem, de qua in citato canone, respicere etiam *consuetudinem praescriptivam,* utpote quae regitur ad normam praescriptionis (1).

Quod utique admitti potest, dummodo tamen vitetur quaevis terminorum confusio aut aequivocatio. Aliud sane, iuridice loquendo, est *consuetudo,* aliud *praescriptio*: haec ab illa multiplici differt ratione.

5. At quis forte quaerere valet: si ex can. 63, § 1 obtineri possunt privilegia *consuetudine* 40 annorum vel *praescriptione* 30 annorum, inutilis videtur possessio *centenaria* vel *immemorabilis,* de qua in § 2 eiusdem canonis, quippe quae nihil conferat ultra consuetudinem aut praescriptionem, immo minus conferre videtur, cum dicatur dumtaxat inducere *praesumptionem* privilegii.

Tria sedulo animadvertenda, ut responsio perspicue et adaequate tradatur.

1°. Vi possessionis centenariae vel immemorabilis, de qua in can. 63, § 2, ea quoque iura obtineri valent, quae ad normam can. 1509 praescriptioni obnoxia non sunt, quaeque nonnisi ex privilegio apostolico haberi possunt.

2°. Privilegium acquiritur per concessionem a Superiore competente factam, quae concessio est titulus privilegii seu eius acquisitionis. Qui titulus habetur etiam in consuetudine quadragenaria vel praescriptione, sed neutra gignit iuridicam praesumptionem; dum e contra possessio centenaria vel immemorabilis non modo sufficit ad acquirendum privilegium, sed gignit etiam *praesumptionem iuris,* praesumptionem nempe quod privilegium *revera* concessum fuerit a competente Superiore ecclesiastico.

3°. Proprie et accurate loquendo, consuetudo et praescriptio potius quam modi acquirendi privilegii, diicendae sunt *vim privilegii* aliquando obtinere.

---

(1) Ojetti, *Commentarium,* I, p. 284.

Suarez egregie docet: « Est communis iuristarum sententia, consuetudinem sufficere ad privilegium conferendum, vel sub aliis verbis consuetudinem privilegio aequiparari... Haec sententia absolute vera est et efficaciter probatur; *in modo vero explicandi vel fortasse loquendi est aliqua varietas*... Nihilominus dico, quando consuetudo talis est, ut ratione illius liceat, quod liceret per privilegium, tunc inducere verum et proprium privilegium: *quod*, ut rem declarem, *est univoce privilegium cum privilegio non scripto, et sub absoluta privilegii appellatione comprehenditur* » (1).

6. Quaeri potest, utrum praesumptio concessi privilegii, quae inducitur ex possessione centenaria vel immemorabili, *sit iuris* tantum, an *iuris et de iure*. Neminem latet, maximum esse discrimen inter hanc et illam. Sane praesumptio *iuris* cedit veritati eaque non solum indirecte sed etiam directe impugnari potest; contra praesumptio *iuris et de iure* excludit directam probationem contrariam, et solam admittit indirectam (can. 1826).

Quidam docent esse praesumptionem iuris tantum. Ita v. g. Blat, qui ait: « Huiusmodi possessio iuducit praesumptionem iuris simpliciter, contra quam admittitur probatio tum directa tum indirecta » (2). Alii censent esse praesumptionem iuris et de iure, ut Ojetti (3).

Etiam ante Codicem duae erant Doctorum opiniones. Suarez scribit: « Alii denique dicunt, consuetudinem non dare privilegium, sed esse signum vel probationem eius, et maxime quando est immemorialis, *quae facit praesumptionem iuris et de iure*, contra quam non admittitur probatio, et acquiparatur veritati » (4). — Alii iuxta Suaresium aliter sentiunt eisque favet eximius Doctor.

---

(1) *De legibus*, lib. VIII, cap. 7, nn. 5. 6 et 7.
(2) *Comm.* I, n. 131.
(3) *Comm.* I, p. 184.
(4) *De legibus*, lib. VIII, cap. 7, n. 6.

Benedictus XIV docet: « Inest quippe immemorabili (consuetudini seu possessioni) ipsa etiam apostolica auctoritas, quoniam is, qui eiusdem praesidio fulciatur, potest quodcumque privilegium allegare » (1).

Passim canonistae affirmant possessionem centenariam vel immemorabilem esse « optimum titulum », « vim privilegii » habere, esse « titulum meliorem de mundo ».

Engel ait: « Possessio immemorialis, quae tamdiu duravit, ut initium eius hominum memoriam excesserit... est in iure *maximae auctoritatis* et *vim privilegii*, in subiecto tamen capaci possessionis, habere asserit Glossa in cap. *Super quibusdam* » (2).

Pignatelli dicit: « Possessio immemorabilis *optimum tribuit titulum* habetque vim privilegii » (3).

Reiffenstuel docet: « Possessio temporis immemorialis est instar tituli; imo non potest allegari *melior titulus de toto mundo* » (4).

Schmalzgrueber haec habet: « Ex quo sequitur, adversus eiusmodi tempus immemoriale, etiam cum fama privilegii iunctum, admitti probationem; quamvis enim faciant praesumptionem, *illa tamen praesumptio ex nullo iuris textu probatur, quod sit iuris et de iure:* et hinc si vitium tituli in possessione eiusmodi demonstretur, *praesumptio inde orta cedere debebit veritati* » (5).

Card. De Luca, quamvis vocet possessionem centenariam et immemorabilem *optimum titulum, meliorem de mundo,* tamen expresse affirmat inducere praesumptionem iuris tantum, ita ut contraria probatione tolli queat. « Habens enim centenariam (possessionem) habere dicitur titulum de mundo meliorem... *quoties efficacior praesumptio in contrarium non obstet* » (6).

---

(1) *De Synod. dioec.* lib. XIII, cap. 8, n. 21.
(2) Lib. II, tit. 26 n. 34.
(3) *Consult.* to. IV, *consult.* 29, n. 19.
(4) Lib. I, tit. 4, n. 189.
(5) Lib. I, tit. 4, n. 32.
(6) *De iure patronatus,* disc. 9, n. 9.

Et alibi: « In probatione ordinaria iuris patronatus non cadentis sub rigorosa forma Concilii Tridentini, sufficit centenaria (possessio), quae aequipollet titulo explicito. Attamen haec est *iuris praesumptio,* sufficiens quidem *ubi non constat de contrario,* sed *absque dubio elidibilis per contrariam probationem expressam,* vel etiam praesumptam ex fortioribus praesumptionibus resultantem... *Quod habemus in iure receptum in omni probatione, quae resultat a iuris praesumptione,* quoties non disponitur istam esse debere iuris et de iure, *cum semper praesumptio cedat contrariae veritati,* ut frequenter in foro habemus *in materia beneplaciti apostolici praesumpti,* vel praesumptivae probationis alterius extrinsecae sollemnitatis resultantis *ab observantia longissimi temporis, quod cessat ex contraria probatione* » (1).

Omnibus mature perpensis, censemus praesumptionem, quae ad normam can. 63, § 2 inducitur ex possessione centenaria vel immemorabili, esse iuris simpliciter, non autem iuris et de iure. Sane eatenus aliqua praesumptio est iuris et de iure, quatenus lex ipsa expresse vel aequivalenter eam uti talem habeat. Porro can. 63, § 2 minime statuit agi de eiusmodi praesumptione. Proinde iure concludere licet verbis clariss. SCHMALZGRUEBER: « Illa praesumptio ex nullo iuris textu probatur, quod sit iuris et de iure » *(l. c.).* Ergo.

II. — **Irrogatio poenae per modum praecepti extra iudicium.**

1. Certum est poenas per modum praecepti extra iudicium quandoque infligi posse. Id clare liquet ex can. 1933, § 4: « Poenitentia, remedium poenale, excommunicatio, suspensio, interdictum, dummodo delictum

(1) *De iure patronatus,* disc. 8, n. 7, s.

certum sit, infligi possunt etiam per modum praecepti extra iudicium ».

Plures sunt canones qui huc spectant, scil. 2168-2194, 2217, 2225, 2243, 2244, § 3, 2310.

2. Non nulli censent enumerationem can. 1933, § 4 esse *taxativam*, adeo ut aliae poenae extra iudicium infligi nequeant per modum praecepti. Imprimis animadvertendum, *poenitentiam* hic sumi sensu canonico (cfr. can. 2312 ss.) et nomine *remedii poenalis* intelligi monitionem, correptionem, praeceptum et vigilantiam (can. 2306 ss.).

Suspensio et interdictum per modum praecepti infligi possunt sive *qua censurae* sive *qua poenae vindicativae*.

Putamus alias quoque poenas (cfr. can. 2291 et 2298) irrogari posse per modum praecepti, ideoque enumerationem can. 1933, § 4 taxativam non esse. Requiritur tamquam *condicio sine qua non,* ut delictum sit certum, et quidem non solum quoad factum materiale, verum etiam quoad moralem imputabilitatem, scil. ut transgressio legis poenalis certo cognoscatur qua *verum delictum* ad normam can. 2195.

Proinde, ubi processus iudicialis sit impossibilis aut prorsus inutilis aut bono animarum noxius ratione scandali sive damni inde derivantis, attentis peculiaribus personarum et locorum adiunctis, poena in delinquentem infligi potest etiam per modum praecepti, iudiciali forma praetermissa, quoties delictum sit plane certum. Id exigit ipsa iustitia, quae secus obtineri nullatenus posset, si iudicium foret impossibile. Id suadet natura et ratio ordinis iudicialis, si processus esset omnino inutilis aut animarum bono noxius, cum iudicia, quoad fieri potest, sint vitanda et bonum animarum sancte religioseque tuendum ac procuradum. Quod principium Codex ipse dilucide atque expresse ratum habet (can. 2191, § 3, 3^{0}).

3. Quaerunt Auctores, utrum praecepto, quo poena infligitur, tribuendi sint iidem effectus iuridici qui sententiae condemnatoriae (vel declaratoriae) adiudicantur. Isti effectus iuridici plures sunt ac maximi momenti (can. 765, 2°; 795, 2°; 1240, § 1, 2°; 2260, § 1; 2261, § 3; 2264; 2265, § 2; 2266; 2275; 2284).

Codex nullibi loquitur de *praecepto* sed semper de *sententia* eaque tantum, ut cuique patet ex canonibus modo citatis. Hinc ratio dubitandi auctorumque dissensus.

Si praeceptum, quo infligitur poena, publicetur v. g. in *Commentario officiali* S. Sedis (1) vel in ephemeride officiali dioecesana, illud sententiae aequivalet, perspecto fine legis seu notorietate, ideoque eosdem ac sententia parit effectus iuridicos. Quod eo vel magis dicendum, quia Codex vocabulum « *sententia* » non semper sensu proprio et stricto sumit. Ita v. g. in can. 1992, vox « *sententia* » certe accipi nequit pro ea iudicis pronuntiatione, quae stricte proprieque ad normam can. 1868, § 1, sententia iudicialis dicitur.

III. Collatio primae tonsurae.

1. Quaeri potest an Episcopus *alienum* subditum sine Ordinarii *proprii* litteris dimissoriis ad primam tonsuram licite promovere valeat.

Quidam affirmant, perspecto can. 111, § 2, quia, aiunt, per receptionem primae tonsurae clericus incardinatur dioecesi, pro cuius servitio promotus fuit, ita ut Episcopus ordinans licentia seu litteris dimissoriis Ordinarii, cui laicus ante receptionem tonsurae subditus erat ratione originis et domicilii, minime indigeat ad licite eum promovendum.

At contraria sententia retinenda omnino est. Nam ex can. 955 « unusquisque a proprio Episcopo ordi-

(1) Cfr *Acta Apost. Sedis*, XXII, 138.

netur, aut cum legitimis eiusdem litteris dimissoriis ». Qui autem hanc legem violaverit, poenam incurrit de qua in can. 2373, scil. in suspensionem per annum ab ordinum collatione.

Porro dubitandum non est quin citati canones 955 et 2373 etiam primae tonsuram collationem respiciant, *tum* quia primam tonsurae nullatenus excipiunt, *tum* quia ex can. 950 « in iure verba *ordinare, ordinatio*.... comprehendunt ipsam primam tonsuram, nisi aliud ex natura rei vel ex contextu verborum eruatur ». Nec est profecto cur in casu prima tonsura excipiatur.

Prae oculis habendum est praescriptum can. 956, ex quo liquet quinam sit Episcopus *proprius,* ad ordinationem saecularium quod attinet, nimirum est Episcopus dioecesis, in qua promovendus habet domicilium cum origine aut simplex domicilium sine origine, praestito tamen in hoc altero casu iureiurando de perpetua commoratione retinenda in dioecesi. Tunc laicus efficitur ipso facto *subditus* Episcopi quoad ordinationem, ut valide et licite ordinari queat ab illo, qui inde factus est vero proprioque sensu Episcopus *proprius.*

2. Potestne laicus, *inscio aut invito Episcopo originis,* in aliam dioecesim se conferre ibique acquirere domicilium qualificatum iureiurando, quo animum perpetuo ibidem manendi firmet, atque ita primam tonsuram ceterosque ordines recipere?

Non nulli negant. At perperam omnino. Olim in pluribus dioecesibus quaedam litterae quasi excardinationis *laicis* ipsis tradi solebant. S. Congregatio Concilii, decreto diei 24 nov. 1906, huiusmodi usum approbavit, addita lege ut laicus ita dimissus formaliter incardinaretur. Codex hanc disciplinam praetermisit ideoque penitus sublata dicenda est.

3. Si laicus primam tonsuram receperit ab Episcopo *non proprio* ad normam can. 956, cuinam dioecesi incardinatur? Quidam tenent incardinari dioecesi

Episcopi ordinantis; alii dicunt incardinari dioecesi *suae*, in qua nempe habet domicilium cum origine; alii putant nulli dioecesi adscribi ideoque uti acephalum habendum esse.

Verius ita distinguendam. Si Titius primam tonsuram receperit ab Episcopo *non proprio*, Episcopus *proprius* semper habet ius reclamandi. Si Titius intentionem habuerit se incardinandi dioecesi Episcopi ordinantis, et nonnisi ex errore aut dolo fuerit ordinatus ab Episcopo non proprio ob praetermissas condiciones a iure statutas, habendus est tanquam incardinatus dioecesi Episcopi ordinantis, at quamprimum debet animum ibi perpetuo manendi iureiurando firmare. Contra, si Titius animum se incardinandi dioecesi Episcopi ordinantis nullatenus habuerit et ex fraude sive dolo aut errore promotus fuerit ab Episcopo non proprio, nec dioecesi Episcopi ordinantis incardinatus censendus est, nec iusiurandum emittere tenetur de perpetua commoratione ibidem servanda. Si Episcopus *proprius* talem clericum reclamet, is habendus est uti incardinatus illius dioecesi. At Episcopus proprius non tenetur illum recipere; quo in casu, si clericus nolit incardinari dioecesi Episcopi ordinantis, debet *vel* alium Episcopum receptorem invenire, *vel* ad statum laicalem regredi ad normam can. 211, § 2, *vel* S. Sedem adire, quae, mature omnibus perpensis, quid faciendum sit sapienter decernet.

IV. **Vis et ratio monitionis de qua in can. 1513, § 3.**

1. Can. 1513, § 3 statuit: « In ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiae serventur, si fieri possit, sollemnitates iuris civilis; hae si omissae fuerint, heredes *moneantur* ut testatoris voluntatem adimpleant ». Vox « *moneantur* » estne exhortativa, an potius praeceptiva? Si praeceptiva, denotatne obligationem in

foro interno dumtaxat, an etiam in foro externo, ita ut urgeri revera possit?

2. Palam est illam vocem esse *praeceptivam*. Finis can. 1513, § 2 non eo spectat ut nos doceat obligationem quae aliunde manifesta est. Constat quippe heredes teneri in conscientia legitimam testatoris voluntatem implere; ac proin multo magis voluntatem piam. Neque omissio sollemnitatum civilium valorem testamenti dubium efficere potest, quatenus pias voluntates contineat.

Ante Codicem id communiter tradebant classici Doctores. Card. D'ANNIBALE (1) diversam quidem profitebatur opinionem; sed, non obstante magna eius auctoritate, moraliter solus mansit, ita ut ipsius sententia solide probabilis ante Codicem dici non poterat (2).

3. Codex apertissime declarat pias voluntates exacte implendas esse (can. 1514). Immo ex can. 2348 Ordinarii iubentur etiam poenis ecclesiasticis cogere eos qui non impleant legatum pium a se receptum. Igitur mens legislatoris perspicua est. Eo sane fine prudens monitio praecipitur, ut piae voluntates re vera impleantur. Consulto dixi: *prudens monitio,* tum ex una parte ut omnis offensio auctoritatis civilis praecaveatur, tum ex alia parte ut aptetur ad praxim S. Poenitentiariae, quae, ut ipsamet die 10 ian. 1901 declaravit, ita se habet: « Praxis S. Poenitentiariae in similibus casibus est, ut generatim legata pia habeantur ut valida et obligatoria in foro conscientiae; facile tamen admittuntur heredes ad compositionem cum Ecclesia vel pia causa cui legatum est ».

4. Hinc patet quinam sit genuinus sensus can. 1513, § 2. Ultimae voluntates ad pias causas, licet careant sollemnitatibus iuris civilis, validae sunt atque

(1) *Summ.* II, n. 339.

(2) Cfr. VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* II, n. 835; *Nouvelle Revue Théologique,* t. 28, p. 141 et 143.

re vera ut tales habendae. Posita illarum validitate, vis et ratio *monitionis* faciendae probe intelligitur; ea denegata, vera et proprie dicta monitio locum habere non posset.

5. Obligatio adimplendi huiusmodi pias voluntates *per se* gravis est eaque urgeri potest a confessario etiam sub poena denegandae absolutionis, si heredes contumaciter nolint saltem amicam compositionem cum S. Sede inire. Quae obligatio tenet in utroque foro. At, dum legislator statuit heredes esse *monendos*, eosdem non *cogendos* ipso facto declaravit, nempe iudiciali praecepto et canonicis poenis. Quod tamen nullatenus prohibet, quominus, necessitate exigente; sanctiones quoque poenales adhiberi possint ad contumaciam frangendam, si praemissa monitio aliaque remedia incassum cesserint.

FELIX M. CAPPELLO S. I.

De Consecrationis Forma.

Titius sacerdos, animo distractus, sic intervertit verba quae in canone formam consecrationis immediate praecedunt, ut dixerit: « Qui pridie quam pateretur, accepit et hunc praeclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, benedixit, fregit deditque discipulis suis dicens: Hoc est enim corpus meum ».

Quaeritur de valore istius consecrationis.

Resp. Valorem istius consecrationis non esse ambigendum.

Rev. quidem P. DE LA TAILLE, in egregio suo opere. *Mysterium Fidei*, p. 355 ss. ut solide probabilem habet sententiam SCOTI, qui (4 D. 8, 2, n. 4) tenet ad valoren consecrationis necessarium esse ut ex narratione praecedenti constet a sacerdote desi-

gnari corpus Christi, quando, in forma consecrationis, dicit: Hoc est enim corpus meum ».

S. THOMAS tamen istam necessitatem negat (35. 78, 1. 4^um); GREGORIUS autem de VALENTIA (in 35. 78. 1. 2. 3) existimat determinationem sensus etiam ex circumstantiis exterioribus colligi posse.

His positis, cum sententia S. THOMAE longe facta sit communior et ut communior in libris theologiae moralis proponatur, sic ratiocinamur:

In casu praesenti sacrificium istud fuit valide confectum, quia:

1. Etiamsi speculative magis probabilem habeas sententiam SCOTI, altera est tamen practice certa. Quia fieri nequit ut S. Sedes doceri sinat errorem de essentialiter requisitis ad Missae sacrificium;

2. Quia ex circumstantiis exterioribus et ipsa prolatione verborum significatio verborum formae, ut vult VALENTIA, satis est definita;

3. Quia, etiam si, ut R. P. DE LA TAILLE, determinationem per verba exigas, ea quae prolata sunt, nonobstante errore, sufficiunt ut verba « corpus meum » ad Christi corpus referri debeant.

A. VERMEERSCH S. I.

De Calicis exsecratione.

Receptum est, separatione pedis calicis a cuppa calicem exsecrari vel consecratum manere, prout sola fractione vel mere evoluta cochlea divisio facta sit. Ac, simili modo, de alba cuius manicae a vestis corpore sint divisae, distinguitur alba cui manicae sint mere linteo coniunctae et alba cui manicae sint consutae: in hoc altero, non autem in priore casu benedictionem perire dicunt.

Quid autem, si ipsi pes qui cochlea ad cuppam aptatur, inferius in duas partes fractione vel usura dividatur ?

Calix in mutilato pede consistere nequit, ita ut, in isto statu, ad usum suum improprius sit factus. Iam vero, ex c. 1305 § 1, « Sacra supellex benedictionem aut consecrationem amittit, 1^0 Si tales laesiones vel mutationes subierit ut pristinam amiserit formam et iam ad suos usus non habeatur idonea ». Dicemus igitur calicem istum iterum esse consecrandum. Neque possit ad calicem istum alium pedem integrum cochlea aptari, quia, etsi duabus partibus quae separari possint calix constet, ambae tamen per modum unius sint consecratae.

A. VERMEERSCH S. I.

De usu patinae, in s. dapis distributione.

Quaeritur utrum necne, finita ss. eucharistiae dispensatione, patina sit sicut patena missae a sacerdote digitis abstergenda.

Resp. Instructio *S. C. de Sacramentis* istud non praecipit ; et potius nobis dissuadendum videtur. Etenim, dum per plures manus transierit patina ista, ut moraliter certum est, alios pulveres a vultu, a capite communicantium recipiet. Quare satius est ut mere digito sumantur ea quae fragmenta sacra esse videntur.

Quae *sacra esse videntur,* inquam ; saepe enim res dubia erit; ac tunc satius erit incerta fragmenta non in proprium calicem vel in pyxidem immittere sed eadem in vase quod altari imponitur cum aqua ad abluendos sacerdotis digitos deponere.

Praeterea, ut prudenter monet R. D. BATTISTINI, *Ephemer. liturgicae,* 1930, p. 74, quando Communio

in *leprosorum* hospitiis distribuitur, id semper faciendum erit, etiam si fragmenta sint certo sacra.

Atque id addemus, ubi positiva suspicio adsit, esse inter communicantes affectos morbo qui saliva communicari queat (ut est morbus celticus) eadem cautio, ad vitandum contagium licite adhibebitur.

Cfr. plura alia in laudato scripto D. BATTISTINI, *Ephem. Liturgicae*, p. 72 ss.

A. VERMEERSCH S. I.

De legitimo usu can. 6, 4.°

Canon 6, 4°, hoc habet: « In dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum ». Qui canon, in summa, aliis verbis effert axioma iuris positivi: Correctionem iuris esse odiosam, ita ut *in dubio* pro manente lege superiore concludi debeat.

Iam **quaeritur,** num tamquam recta istius canonis interpretatio ista perhiberi possit: Quotiescumque vis legis anterioris in controversiam veniat, — ita ut alii anteriorem legem ut adhuc vigentem alii vero ut suppressam existiment, — ex praefato canone posterioum sententia morali certitudine reicienda sit tamquam improbabilis?

Resp. Qui ita senserit, speculativas considerationes a practicis non bene distinxerit, et can. 15 cum canone 6, 4° conciliare non possit.

Etenim, can. 6, 4° scriptus est, ut subsidium *speculativae* investigationis iuris vigentis. In qua investigatione facienda, nullus prudens canonem 6, 4° neglegere voluerit. Sed, etiam in sensu composito cum ista attentione, ad hanc conclusionem pervenire potest, legem superiorem probabiliter abrogatam esse. Iam vero, ad istam conclusionem labefactandam, canon 6, 4°

iam non potest appellari, ne bis in eadem causa audiatur. Sed concludendum est: etiam si, attento canone 6, 4⁰, probabile est legem anteriorem iam non vigere, haec lex simpliciter dicenda est *dubia,* de qua canon 15: « Leges, in dubio iuris non urgent ». Cui canoni profecto contradixerit qui urgere voluerit obligationem legis probabiliter antiquatae.

Solutio casus De Iustitia propositi p. 20*.

Solutioni casus pauca praemittenda sunt.

1. Votis naturae consentaneum est, et apprime ad bonum commune conducit, tamquam stimulus asservandi et recte administrandi patrimonium, et sanctio auctoritatis parentum, ius quo etiam de destinatione bonorum post mortem sententia possessoris valere possit. Ratio haec tamen non est tanta, ut ius testandi a solo naturae iure profectum esse pro certo habeamus, praesertim cum aliqua ratione confligere videatur cum iure conaturali familiae continuandi personam patrisfamilias ac proin possessionem eiusdem patrimonii.

2. Inde consequitur facultas et officium potestatis publicae ordinandi rationabiliter ius testamentorum, definiendi quotam legitimam quae heredibus necessariis obtingere debeat, praescribendi sollemnitates ad valorem legalem testamentorum observandas.

3. Verum, cum infirmitas testamenti quod forma legali destituatur plus vel minus plena et absoluta esse queat, non raro controvertitur utrum testamentum informe, ante iudicis sententiam, aliquo modo subsistat an iam tunc prorsus inane et nullum habendum sit.

4. Observes etiam directam iudicis declarationem de valore vel nullitate testamenti non omni iure permitti, sed in non uno iure requiri ut petitio hereditatis

vel restitutionis bonorum a possessore iudici occasionem det testamentum admittendi vel infirmandi.

5. De istis punctis oportet ut suum quisque ius civile consulat; ius civile inquam, quatenus de testamento ad causas pias vel de legatis non agatur.

6. Supponimus autem in casu legem civilem quae ad valorem testamenti exigat, ut testamentum holographum sit subscriptum, apposito etiam die et anno; de vi autem legis non constare utrum testamentum scriptum quidem sed cui desit subscriptio testatoris vel data, sit *plane nullum*, an *mere labile* et infirmum, donec prorsus a iudice destructum non fuerit per occasionem motae litis.

Iam ad solutiones dandas properemus.

Ad I. Haeres ab intestato utrumque testamentum prorsus neglegere potest, ita ut etiam ea sine culpa lacerare vel comburere queat. Ratio est, quia nullo officio tenetur observandi ius legatariorum quod, ut minimum dicamus, labile iam est in se et tale quod sententia iudicis debeat exstinctum iri.

Quaestionem de legatis piis post alteram solutionem attingemus.

Ad II. Pulcheria ancilla, dum, modum scribendi testatoris imitata, annum et diem supplevit, iniuste agere coepit. Quam iniustitiam complevit si, usa testamento, heredem decepit ita ut hac fraude impeditus sit a movenda actione ad recuperanda bona quae Pulcheria ex testamento sibi usurpasset. Nulla ratio est cur, cum quodam auctore, existimes iniustitiam non esse completam nisi Pulcheria testamentum intra iudicium produxerit.

Quid autem Pulcheria restituere debebit? Normam abstractam facilius dabimus quam casum concretum solvemus. Norma enim abstracta haec erit. Restituere debebit quidquid propter fraudem acquisiverit. Inquirendum igitur est quid, seclusa fraude, he-

redes legales ancillae appellanti testamentum informe tenere permisissent. Quod ex adiunctis, ex qualitate, ex condicione heredum prudenter coniciendum erit. Quidquid autem praeterea obtinuerat, Pulcheria restituere debebit.

Quid autem si *legata pia* in alterutro testamento scripta sint? *Resp.* Distinguendum videtur in quonam testamento fuerint contenta. Testamentum enim subscriptum, in quo sola datae indicatio desideretur, aestimari debet moraliter completum.

Quare, salva compositione cum S. Sede, legata pia quae contineat, exsequenda sunt, ut supra demonstravit R. P. CAPPELLO, p. 41*. 42*. Testamentum autem non subscriptum, nisi alia indicia defuncti voluntatem diversam prodant, potius inchoatum et nondum perfectum esse videtur. Quare nullam certam conscientiae obligationem parere poterit. Satius tamen erit ut etiam de legatis piis quae in eo contineantur S. Paenitentiaria interrogetur.

Casus De Iustitia

I. Titius, ad emendam domum, anno 1918 feneraticiam pecuniam accepit, quam anno 1930 moneta papyracea reddere proponit. Creditor autem ipsi obicit imminutum pecuniae valorem, petitque ut moneta aurea, formaliter vel aequivalenter debitum solvat. Quaenam est eius obligatio?

II. Caius tabernarius, aucto pretio mercium quae facile emptorem reperiunt, sibi compensat detrimentum quod patitur ob alias merces quas ipse steriliter servare cogetur. A confessario ideo iniustitiae insimulatur.

III. Sempronius, tabernarius, quibusdam mercibus pretia allectiva (*réclame*) annectit; verum ideo alias merces carius vendit. An iuste?

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De Testamento ad causas pias et canone 1513 § 2.

Gravem profecto quaestionem et omni dignam attentione tractandam aggredimur, cum agere proponimus de vi in foro conscientiae legatorum ad causas pias. Cum enim sine subsidiis pecuniariis opera missionalia atque in universum opera catholica florere nequeant, fere sicut sine materialibus alimentis homo mentem suam intendere nequit, et cum copia mediorum materialium missiones catholicae et in genere catholicae institutiones acatholicis longe cedant, manifestum fit quantum ad tantopere optandam Ecclesiae prosperitatem intersit ut quaestio ista aequam et prudentem solutionem recipiat.

Haec bina autem accurate investiganda videntur:

I. *Quid sit opus pium.*

II. *Quaenam sit obligatio exsequendi legata ad causas pias.*

Priori autem quaesito istud alterum subiungemus, quid sit *pia domus, pius locus.*

Caput I. — **Quid sit causa pia.**

I. Prima causae piae definitio reperitur in glossa in l. Si quis Titio, 17. De legatis et fideicommissis (XXXI), his verbis concepta: « Id legatum esse pium quod legatur ad animae salutem ».

Inter canonistas, Dr. Navarrus (MARTINUS ab ALZPILCUETA) perhibetur a MOLINA (*De Iust.*, D. 134, n. 1) quem, in hac re exscripsit LUGO (*Iust.*, D. 22 n. 265) ut is qui rem magis plene explicat (1).

Loco porro citato, Dr. Navarrus hoc prius observat: « Quae sint opera pia, neminem reperio qui funditus explicuerit, tametsi per plurimos tactum ». Suam dein sententiam hisce promit: « Breviter resolvi potest, omnia et sola esse pia opera quae ad divinum cultum, pietatem et misericordiam pertinent... Quare talia sunt omnia opera quae propter Deum potissimum aguntur. Tales quoque capellaniae, beneficia, Missae, aliaque officia divina et omne quod ad ea praecipue pertinet. Talia etiam septem opera misericordiae spiritualia, septem quoque opera misericordiae corporalia... necnon id omne quod principaliter ad ea dirigitur, etc.

« Hinc colligitur ratio celebris glossae L. Si quis Titio, 17 De legatis, quae asserit id legatum esse pium quod legatur ad animae salutem. In foro externo fit ut non nulla quae apud Deum sunt opera pietatis iudicentur profana, et e converso ».

Itaque opera pia hac ampla significatione usurpabantur.

(1) Ambo locum indicant operis *Apologetici*, qui titulus tamen nulli operi Navarri inscribitur. Sed, in selectute sua, celeber Doctor opus scripsit « *De reditibus beneficiorum ecclesiasticorum* » quod ipse in initio dicit esse Apologeticum (pro ipsius causa), quia cuidam adversario respondet. Opus istud allegatur ut divisum in *Monita*, quia singulae paragraphi, indicato earum ordine, incipiunt a verbo: *Moneo*. Tam MOLINA quam LUGO errant in allegatione, cum pro monito 26 indicaverint 29.

Nec dissentiunt probati auctores, nostri aequales. Audiatur BALLERINI-PALMIERI, *Opus Theol.*, III, 983: « Causae piae eae sunt quae ad cultum Dei et religionem pertinent, nexumque habent cum fine supernaturali ad quem ordinantur.

« Nomine *causae piae* tum finis intellegitur propter quem aliquid relinquitur... tum *loca* omnia et *personae* quibus ob fines praedictos aliquid relinqui potest, et sunt... Pauperes, non solum carentes necessariis ad vitam, sed et destituti necessariis ad *decentem* sustentationem ».

TANQUEREY, *Synopsis theol. mor. et pastor.*, ed. 6, 1921, III, n. 698: « De testamento *ad causas pias* quo videlicet bona relinquuntur ecclesiis, monasteriis, pauperibus, piisve operibus ad cultum divinum aut pauperum sublevamen, in honorem Dei erectis ».

MARC-GESTERMANN-RAUS (L. I, 1083, III, 2.) « Causa pia dicitur omne opus quod ex se (ex fine operis) vel ex fidelium intentione ad finem supernaturalem ordinatur. Finis ille supernaturalis respicere potest non solum Dei cultum vel Sanctorum gloriam, sed etiam utilitatem spiritualem vel temporalem proximi. In hoc casu tamen adesse debet motivum exercendae caritatis sicut christianum decet, et non sufficit motivum *mere philanthropicum*. Probe notandum est associationes mere laicales (ut sunt v. g. Conferentiae Vincentinae) esse causas pias si operentur secundum praedicta motiva supernaturalia. Nec obstat quod huiusmodi associationes non sint erectae per auctoritatem ecclesiasticam...».

« *Causae piae sunt ergo*: missae sacrificium, ecclesiae, monasteria, confraternitates, opera misericordiae, scholae, orphanotrophia (etiam saecularizata), associationes iuvenum ad promovendum in eis amorem fidei et bonos mores: cfr. can. 1489 ss; vide AICHNER, § 143.

« *Causae piae non sunt:* theatra, societates unice ad peragenda exercitia gymnastica institutae; immo hospitalia, orphanotrophia, scholae quae evidenter et unice ex fine mere philanthropico condita sunt, unde eorum administratio totaliter Ecclesiae ministris subtracta fuit.

« *In dubio circa naturam operis,* ad finem operantis est attendendum ».

FERRERES, S. I., I, 961: « Nomine *causae piae* significantur cultus divinus, suffragia, ecclesiae, monasteria, hospitalia, confraternitates, pauperes, quidquid denique fit intuitu Dei et finis supernaturalis. Iure Lusitano 1836, designantur opera caritatis ac beneficentiae ».

CORNELISSE, O. F. M., *Compendium theol. mor.* II, 106, definitionem LUGONIS mere repetit.

DE MEESTER, *Iuris canonici et iuris canonico-civilis Compendium,* III n. 1464, piam causam dicit « religionis vel virtutis christianae ».

AERTNIJS-DAMEN, C. SS. R., causam piam directe non describit. Indirecte tamen, ex ratione propter quam obligare dicit testamentum ad pias causas, colligitur ipsi pias causas esse « quae ad finem spiritualem salutis animae et ad pietatem spectant ».

Plures omni descriptione abstinent. Descriptionem seu definitionem frustra quaesivimus apud CARRIÈRE *De Contractibus,* II, n. 586; D'ANNIBALE, sive I, 44, sive II, 339; GURY-BALLERINI-PALMIERI, I, 832; LEHMKUHL, I, 1214. 1216. 1383; BUCCERONI, *Institutiones,* II, 1030; KOCH, *Lehrbuch der Moraltheologie* § 143; CLAEYS-SIMENON, *Manuale,* n. 1001; WERNZ, *Ius Decr.,* III, n. 279, qui mere causas pias profanis opponit.

Publicae apostasiae atque etiam multorum privatorum defectiones originem dederunt novae quaestioni: Suntne hodie pro piis habenda varia Instituta quae, omnem supernaturalis virtutis respectum consulto seponentes, mere humanam philanthropiam seu humanam

sollicitudinem erga pauperes, orphanos, afflictos exercere intendunt? Atque ex allegatis locis satis constat ea non posse existimari pia. Verum minime repugnat quin quis pia intentione moveatur ad iuvandum opus in se bonum sed mere philanthropica ratione constitutum. Quare hodie, prout pietas est in donante seu legante, in termino ad quem, aut in utroque, habere possumus donationem piam factam subiecto non pio; non piam factam subiecto pio; piam pio. Itaque, potest ex causa pia fieri largitio instituto pio; — ex causa pia fieri donatio seu legatum instituto non pio. Utputa si quis fine supernaturali misericordiae benefacere voluerit pauperibus qui corporaliter levantur etiam in hospitio pagano. — Potest quoque ex causa non pia quidpiam instituto pio legari vel donari; ut si quis incredulus intentione mere philanthropica hospitium Sororum pauperum iuvare decreverit.

Iam vero, ut donatio vel legatum ecclesiasticis legibus regatur, sufficit ut vel causa vel institutum sit pium. Deficiente autem instituto pio, ad solum finem attendendum est; dum etiam terminus observandus est, si donatarius vel legatarius fuerit institutum pium.

De scriptoribus qui definitionem silentio praetereunt nihil observandum per se habemus. Verum apud paucos recentiores non nulla occurrunt quae quandam mirationem movere possunt.

Ita R. P. Pruemmer, O. P., II, 277, testamentum ad causas pias esse dicit quod est « in bonum Ecclesiae ». Existimamus tamen multo latius patere causas pias, ut satis constat ex auctoritatibus supra adductis. Idem sentire videtur cl. Gennaro apud *Perfice Munus,* 1927, p. 25, per verba: « dispositionem in bonum Ecclesiae seu ad causas pias factam ». Unde tunc ad pias causas non foret nisi quod legatur vel donatur « Ecclesiae vel personae morali ecclesiastica potestate in iuridicam personam ad finem religiosum vel caritativum erectae ».

Ac simile quidpiam proferre videtur R. P. Blat, O. P., In L. III, Pars, VI, n. 425, dum scribit: « Ad causas pias, nempe: instituta in finem religionis aut caritatis per Ecclesiam approbata ».

Nobis tamen indubium est Codicem nullatenus a recepta notione recedere voluisse, et minime quidem ut eius notionem restringeret ac proin potestati Ecclesiae subtraheret innumerabilia legata propter aliam rationem ad causas pias pertinentia. Non iam foret, v. g. ad piam causam, testamentum quo testator executori committit curam Missarum in refrigerium animae suae celebrandarum.

Neque ad talem et tantam mutationem inducendam allegare sufficit, titulum inscribi *De bonis Ecclesiae acquirendis*. Etenim, ut inscriptio ista legitima sit, sane satis est ut bona ecclesiastica sint principale tituli argumentum (1).

Ceterum etiam recens notiones usu receptae inculcatae sunt ab Ill. Secretario *S. C. Concilii,* in animadversionibus quas subiecit Resolutioni 23 april.-2 maii 1927, Dioecesis P., Hereditatis. In iis perspicue distinguit dispositiones ad causas pias in genere et eas dispositiones quibus bona fiunt ecclesiastica: « Notum est quamlibet dispositionem ad causas pias *piae voluntatis* nomine donari, sive per actum mortis causa fiat, quo casu dicitur *ultima,* sive etiam inter vivos: cfr. can. 1515 coll. c. 1513. Si alicui personae *morali* in Ecclesia concredatur, habetur *fundatio pia,* ad normam can. 1544 ss. et bona fiunt stricto sensu ecclesiastica. (c. 1497 § 1); secus manent laicalia, ob-

(1) In nuperrimis editionibus, Noldin-Schmitt optime correxit quod de ambitu causae piae antea legebatur *De Praeceptis* n. 556, 4, b, canone 1513 § 2 « Eo quod citatus canon de ultimis voluntatibus *in bonum Ecclesiae* factis loquatur, ambitum causae piae restringit, adeo ut hoc nomine aut Ecclesiam ipsam aut institutionem ecclesiasticam, quae scilicet ab Ecclesia erecta est vel ab ea dependet intellegat ». Recessus enim a notione quae longa iam traditione firmata est non sic fit dispositione incidente cui alia eaque obvia explicatio seu significatio subest.

noxia tamen exsecutioni et vigilantiae Ordinariorum, ad mentem can. 336. 344. 1515-1517 ».

II. Quid quod *causa pia* non dicitur arbitrarie vel artificiose, sed propter ipsam intentionem dantis vel naturam institutionis? Possit quidem Ecclesia regimini rerum profanarum certas causas pias subicere; sed numquam non pium appellabit quod natura sua est pium.

Fons erroris quorundam scriptorum is nobis fuisse videtur, quod § 1 can. 1513 existimaverint esse eiusdem extensionis ac § 2, dum legislator verba sua consulto mutavit. In § 1 agit de omni causa pia et de donationibus sicut de testamentis; in § 2 agit de uno causarum genere, et, ut tenent Claeys-Simenon et De Meester contra Beyersbergen, S. I., de solis testamentis. Canon autem 1514 fit iterum generalis. Nec ratio defuit magis circumscribendi § 2 can. 1513. Positiva enim monitio non erat danda de omni causae piae voluntate. Cum plures causae piae legis civilis praesidio muniri consueverint, monitio tunc fuit commendanda quando habebatur causa quam urgere magis ipsius Ecclesiae intererat, et in qua magis probabilis erat tentatio piam causam neglegendi, i. e. in legatis factis Ecclesiae seu personae morali ecclesiasticae. Praeterea monitio ista insinuat possibilem recursum ad S. Sedem, quae haud aegre, pro salute animarum, secundum responsum S. Paenitentiariae, compositiones admittit, si potest. Compositiones enim non semper admittere potest, ut cum causa pia non est nisi debita restitutio, ad salutem animae imperata (Hanc esse causam piam demonstrat glossae definitio).

III. *De Instituto pio, domo pia.*

1. *Institutum pium* est persona moralis, consociatio, stabile incoeptum, opus erectum ad exercendam ex fine supernaturali, religionem, pietatem, misericordiam spiritualem vel corporalem; congregatio religiosa, con-

sociatio catholica, ut sic dicta « Conferentia a S. Vincentio a Paulo », oratorium, schola catholica, catholicum hospitium, nosocomium, bursa studiorum, pia intentione constituta.

Domus pia est Institutum in quo opera pia per se et etiam per accidens exercentur, quamvis ipsum e nullo pio fine originem ducat. Ita Institutum clinicum quod intentione honesti lucri medicus quidem erexerit, in quo opera pia exercebuntur *per se,* si religiosae Sorores curandis infirmis sint addictae; *per accidens*, si laici operam suam praestant. Ita ipse carcer publicus quem Status areligiosus erexerit, ratione servitii divini quod ibi peragitur vel muneris cappellani catholici qui ibi admittitur.

Itaque differunt *institutum pium*, *domus pia* et *causa pia,* quae latius designat quidquid honestum fine supernaturali imperatur.

Caput II. — **Obligatio exsequendi legata ad causas pias.**

I. Haec sunt *extra controversiam*:

1. Nisi intercesserit legitima condonatio vel compositio, fidelissime exsequendae sunt piae voluntates quae contractu vel testamento etiam *civiliter valido* continentur.

2. Implendae dicuntur dispositiones *fiduciariae* quae, sive ore, sive codicillo (actu a testamento distincto) factae sunt, etiamsi in testamento nullatenus memorentur. Ita Can. Nasoni, in *Perfice Munus*, nov. 1928, seu III, 849.

Fiduciariae dicuntur dispositiones quibus testator, heredi fidens, ei secreto, sive ore sive scripto, committit quaedam exsequenda, donanda, leganda.

3. Implenda dicuntur pia onera quae defunctus

heredibus legalibus, etiam sola voce imposuerit (*Perfice Munus*, l. c.).

4. Plena, soluta omni dependentia a Statu est Ecclesiae potestas urgendi in conscientia legata ad causas pias.

II. Hoc perhibetur *controversum:*

1. Si testator in testamento *civiliter informi,* heredi suo quaedam in bonum causae piae exsequenda praescripserit;

2. Vel si ex parte vel ex toto bona legaverit enti morali ecclesiastico cui Status capacitatem acquirendi denegat:

Exsecutio huiusmodi voluntatis tenetne conscientiam ex stricta iustitia? — Estne solide probabilis sententia quae obligationem istam negat vel pro incerta habet?

Argumenta tum rationis tum auctoritatis aequo et sincero animo perpendamus.

A. Qualis fuerit *ante Codicem status quaestionis,* id in primis exquirere iuvat.

1. Classici theologi morales et canonistae, moraliter omnes, obligationem conscientiae affirmant.

Ballerini-Palmieri, *Opus Theol. mor.*, III, n. 983, relato prius hoc dicto Busembaum, n. XCLXXIX « Quaeres an testamentum sit validum, cui desunt sollemnitates a iure civili requisitae »? Resp. 1. Si testamentum factum sit ad causas pias, etiam in foro externo eas non requiri, sed sufficere eas quae sunt iuris gentium, scilicet duos testes: in foro autem *conscientiae, supposita potestate disponentis, sufficere scripturam, nutum vel aliud signum testatoris absque ullo teste....* « Ball.-Palm., inquam, statim subiungit « *Haec est certa doctrina Theologis et Canonistis* ».

Loquendo dein de sententia d'Annibale, II, 339, aliquantum temperat sua dicta: « Minus improbabilis

dubitatio versari potest non tam circa ius, quam circa factum; an nempe Ecclesia velit adhuc, quemadmodum constat voluisse prius, ut testamenta ad causas pias, etsi irrita ex iure civili, valeant, quando ea forma constent, quam ipsa Ecclesia satis esse iudicavit ».

D'ANNIBALE, II, 339, ALEXANDRO III ascribit originem moris quo, non in sola ditione Pontificia, sed fere ubique testamenta ad causas sive pias sive profanas valida existimabantur (posthabito iure communi), si forma canonica servata erat. Dein pergit dicere: « Post editas NN. Leges, huiusmodi ius extra Ditionem Pontificiam exolevisse in testamentis ad causas profanas, nemo dubitat. Sed utrum etiam quoad causas pias exoleverit, ceu putat CARRIÈRE, an adhuc vigeat, ut rentur PORPORA, SCAVINI, GURY (In nota 29: nituntur cum primis auctoritate veterum T. T.) non satis liquet. Quamdiu igitur S. Sedes locuta non fuerit, existimo non oportere inquietari qui extra Ditionem Pontificiam, non praestant relicta ad causas pias in testamento irrito ex iure civili ». Atque in nota (30), quaestionem inde pendere ait, utrum ALEXANDER III (ex c. *Relatum*) egerit ut Pontifex an ut Princeps. Et cum propter eandem rationem testamenta profana et ad causas pias eidem iuri subiecerit, si egerit ut Princeps, neutra valent extra Ditionem Pontificiam; si ut Pontifex, utraque valent ubique.

Verum doctissimus vir id praeteriisse videtur, capita in authenticam collectionem Decretalium inserta non tam ex auctore suo quam ex Collectionis promulgatione valere. Caput igitur *Relatum* est lex generalis Ecclesiae et afficit ea testamenta in quae Ecclesia etiam hodie suam iurisdictionem exercere potest: haec sunt testamenta ad causas pias.

CARRIÈRE, *De Contractibus*, n. 586 valde haesitanter loquitur « Rem ait non esse generaliter et unica decisione dirimendam... si legata censenda sint purae

donationes, maxime si sint *immoderata*, heredes poterunt non magis ad solutionem adigi quam si ageretur de legatis profanis ».

Ipse allegat DAELMAN, qui classicos auctores impugnat argumentando ex potestate principis civilis. Verum rationem istam mancam esse quis nos videt?

Anno autem 1901, 10 ian., interrogata *S. Poenitentiaria* (Cfr *Monitore*, XIII, de casu concreto, in quo allegabatur sententia Card. D'ANNIBALE), respondit: Praxim huius tribunalis in similibus casibus esse ut generatim legata pia habeantur ut valida et obligatoria in foro conscientiae; facile tamen admittuntur heredes ad compositionem cum Ecclesia vel pia causa cui legatum est ».

Observes autem S. Poenitentiariam, cum sit tribunal, decreta generalia non condere nisi e speciali S. Pontificis mandato. Sed per istud responsum gravissimam auctoritatem sui stili opinioni Card. D'ANNIBALE opposuit.

Itaque, ante Codicem, pro sententia excusante ab obligatione allegari non potest nisi D'ANNIBALE, qui, abstinens categorica affirmatione, mere dicit: « non videri inquietandos eos qui, extra ditionem Pontificiam non praestent relicta ad causas pias in testamento civiliter invalido », et nititur interpretatione iuris quam communi sententiae adversari fatetur.

Post Codicem autem, PRUEMMER, O. P., probabilem esse admittit sententiam quae strictam obligationem negat, quamvis contrariam esse communiorem fateatur; ac prudenter existimat dictum a KENRIK: « vix auderem denegare sacramenta nolenti ea solvere quae legis civilis praesidio carent ». Hoc, subiungit R. Pater, videtur conforme Codici iuris can. c. 1513 § 2 « Praestat vero, sic dicere pergit, ad maiorem securitatem petere a S. Paenitentiaria compositionem quae, ipsa

testante, facile obtinetur ». Laudatus auctor addit locum KENRICK esse approbatum a TANQUEREY, *De iustitia,* n. 700. Frustra approbationem hanc ibi quaesivimus, saltem in ed. 1921.

NOLDIN-SCHMITT, nondum in ed. 20 *De Praeceptis,* n. 554 (antea n. 561_3 concesserat de obligatione iustitiae non constare) categorice loquitur: « Quoad § 2 can. 1513, mens Ecclesiae non tam clare ex verbis elucet » ... « heredes moneantur » (non « obligentur »)... verum subiungit, secundum meliorem interpretationem « obligationem in conscientia adesse » ... « Attamen, sic concludit, sub denegata absolutione confessarius exsecutionem urgere non debet ».

Magis definite, hic supra, p. 42*, P. CAPPELLO statuit ultimas istas voluntates ad pias causas esse validas et ut tales haberi deberi; sub gravi obligare; sub denegata absolutione urgeri posse; neque, ubi necesse fuerit, sanctiones poenales excludi.

GÉNICOT-SALSMANS, I, n. 675: « Testamenta *ad causas pias* in foro conscientiae valent et implenda sunt, quotiescumque secundum ius canonicum sufficienter constat de testatoris voluntate ». Dein subiungit: « attamen prudenter procedendum, ne sine fructu perturbetur bona fides eorum qui sibi persuaserint... obligationem legata pia exsequendi evanescere ».

AERTNIJS-DAMEN, C. SS. R., I, 690: « Testamentum *pium* seu ad pias causas factum certo valet et obligat, modo sufficienter constet de voluntate testatoris ». Si autem testamentum irritum quoad causas profanas, contineat legata pia ei inserta, aliqui, sic ipse, n. 690, 2^0, negant valere quoad legata pia, « quia, ruente principali, corruit accessorium. Sed communis sententia affirmat; quia specialis ratio reperitur in accessorio quae non est in principali, nempe favor causae piae, quae spectat ad iurisdictionem Ecclesiae, et ideo ibi

attenditur tantum ius canonicum, quod nullam sollemnitatem ad valorem exigit ».

MARC-GESTERMANN, C. SS. R., I, n. 1083: « Quoad dispositiones *pias,* certum est quod, si *constat* heredi voluntas testatoris, sive per verba sive per nutum, aut scripturam, *tenetur heres in conscientia* vel cedere hereditatem loco pio, vel legata solvere ».

His perpensis, possumusne, propter extrinsecum auctoritatis argumentum, solide probabilem dicere sententiam quae conscientiae obligationem neget? Unum PRUEMMER, post Codicem, reperimus qui probabilitatem affirmat. Sed errat in TANQUEREY; et dum appellat D'ANNIBALE, DAELMAN, HAINE, excludendus est HAINE, qui est mere exscriptor D'ANNIBALE; excludendus est DAELMAN, cuius ratio nititur falso principio, ita ut secum non habeat nisi timide loquentem D'ANNIBALE, et cuius ratiocinium hodie a nemine probaretur.

Neque, ante Codicem, BALLERINI *solide probabilem* habebat sententiam D'ANNIBALE, dum, l. c., eam *minus improbabilem* dicit.

B. *Argumentum rationis.*

1. Ipse Codex, can. 1513 § 1, perspicuis verbis docet capacitatem disponendi ad pias causas, sive per actus inter vivos sive per actum mortis causa ab omnibus haberi qui *iure naturae et ecclesiastico* (neglecta igitur iuris civilis consideratione) de suis bonis libere statuere valent.

Civilis igitur incapacitas testatoris vel legantis valori et efficaciae testamenti vel legati ad pias causas officere nequit.

Quod dum Codex expresse declarat, simul implicite nos docet haec iure ecclesiastico, minime autem iure civili esse regenda.

Nullus porro canon de forma testamentorum concedit quod de contractibus habet can. 1529. Immo canon mere suadet ut, quantum fieri possit, sollemni-

tates civiles observentur. Istam igitur conformationem minime imperat, nec omissionem aliquo defectu vel imminutione valoris sancit.

Itaque istud omnino est exploratum. Nisi positive ei renuntiet, Ecclesia et causae piae, ex testamento civiliter informi vel nullo mere ob civilem testatoris incapacitatem, ius habent acquisitum ad ea quae ipsis legantur. Nam valida testamenta seu validae dispositiones conscientiam obligant. Nec ulla ratio est distinguendi testamenta quae tota sint ad pias causas, et testamenta quae sint ad causas profanas et legata pia contineant, quasi eorum nullitas ad causas profanas secum trahat nullitatem ad causas pias. Obstat iam principium iuris: utile per inutile non vitiatur.

Ut igitur heredes obligationem declinare possent, demonstranda foret voluntas Ecclesiae renuntiandi iuri suo vel saltem ius suum non opponendi heredi qui sibi totam hereditatem, neglectis voluntatibus ad pias causas, sibi vindicet. Huiusmodi autem renuntiatio vel non oppositio est actus gravissimus qui praesumi nequit vel ex ambiguo signo colligi.

Porro quodnam signum huiusmodi voluntatis habemus? Exstat § 2 c. 1513 qua, de solis relictis Ecclesiae dicitur: Monendi sunt fideles ut pias voluntates impleant. Quis umquam renuntiationem vel non oppositionem intellegere rationabiliter possit e verbis quibus monere iubemur de adimpletione? Quo iure etiam quod specialiter statutum est de relictis Ecclesiae ad omnes causas pias extendere fas est?

Possit etiam haec argumentio fieri. Vel monitio facienda est de *obligatione*, et habemus intentum, vel obligatio non subsistit. Tunc autem etiam non apparet cur monitio facienda foret.

Ergo omnino stat, heredes stricta iustitiae obligatione teneri exsequendi pias voluntates in testamentis

contentas, etiam si sint civiliter nulla, dummodo de iis canonice constet.

Conclusio ista confirmatur communissima sententia doctorum qui sive ante sive post Codicem scripserunt; confirmatur quoque stilo S. Poenitentiariae. Quare, etiam recens in allegata iam causa recente 23 april. 1927, de hereditate delata libere an fiduciarie, ne mentio quidem facta est benignioris opinionis.

Restat igitur ut, negata omni vera probabilitate, solam concedamus aliquam *apparentem* probabilitatem sententiae quae pro invalidis in foro conscientiae haberi permittat testamenta ad causas pias quae civiliter defectu formae laborant. Species ista non est sufficiens cur sententiam istam amplectamur, vel secundum eam respondeamus; sed sufficere potest ut, absolutionem non negando, suae conscientiae committamus eum qui eandem praefracte sequi voluerit, nec subiectivam bonam fidem inutiliter turbemus.

Hactenus quae scripseramus ante ultimum responsum Pont. Commissionis qua nunc, die 17 febr. 1930, opportunissime *praeceptivum* authentice declaravit verbum *moneantur* de quo in can. 1513 § 2.

Dum istud laete legimus, simul hoc alterum optamus ut, si Pont. Commissioni videatur, dignetur altero responso etiam vana effugia dissipare quibus non nulli obligationem ad sola legata Ecclesiae coartare tentant, dum causa omnis legati pii communis agitur.

Familiares in genere et in Codice.

I. **Generalia de Familiaribus.** Argumentum istud iam satis plene versavimus in Supplemento XII quod reperitur in tomo III, p. (85)-(92) huius ephemeridis, ita ut non nulla tantum a nobis utiliter addi possint.

I. Convenit haec generalis et brevis descriptio: *Familiares appellantur ii qui sunt de familia alio titulo ac consanguinitatis vel affinitatis vel adoptionis.* Sunt, ut ait MORONI, *Dizionario di erudizione* (*t. 23 p. 147*), de familia non sua.

Nomine autem familiae designabantur « Servi, coloni, in praediis rusticis commanentes, dominis praediorum famulatum et servitium exhibentes » (DU CANGE, ad vocem *Familia*).

A servis tamen separantur in l. 3 Cod. Theodos. « Ne praeter crimen maiestatis » (9, 6).

In monasterio Noyientensi, ut idem DU CANGE refert, distinguebatur familia *ministerialis* (in ministeriis superioribus inserviens), *servilis* (in inferioribus), et *censualis* (mere censum solvens). Alibi ministeriales destinguebantur a familia.

« Praesertim vero *Familiares* vocabant quos Reges ac Principes in familiam suam peculiariter asciscebant ». Familiares vero Curiae sunt « praecipui Regis consiliarii, quibuscum res maioris momenti disceptabat et diiudicabat » (DU CANGE, ad vocem *Familiares*).

Inde, omissis iam censualibus, duplicem familiarium ordinem facile distinguemus, ubi duplex locum habere potest: eorum qui nobiliora et eorum qui magis humilia servitia praestant.

2. *Familiares S. Pontificis* sunt omnes personae ecclesiasticae et saeculares, addictae servitio personali S. Pontificis et variis officiis palatii apostolici, tam effectivi quam honorarii, tam participantes quam supranumerari. Sunt, v. g. Cardinales Palatini, multi praelati, ac dein alii in vulgaribus muneribus constituti. Sicut S. PAULUS agnoscebat fideles qui erant de domo Caesaris (Philipp. 4, 22), ita familiares quoque S. Pontificis sunt qui de eius domo dici possunt.

3. *Familiares Cardinalium et Episcoporum* sunt

(quotquot) personae quarum ope utuntur et suis expensis alunt: v. g. secretarii, personae comitatus et famuli domestici.

Quaerenti Episcopo quosnam pro *suis* clericis habere possit, Pontifex respondit (De V. S. in 6⁰, V, 2) « Qui vere tui clerici familiares exsistunt, et in tuis expensis continue domestici commensales. Etiam si quos ex illis aliquando pro tuis gerendis negotii abesse contingat. » Duabus igitur notis concrescit ista familiaritas: habituali commoratione cum Episcopo, et alimentis ab ipso praestitis.

4. *Familiares Monasterii* ii sunt qui nec Monachi, nec Conversi, tamen ex familia monasterii habentur, ratione dependentiae, servitiorum et alimentorum.

Vocati quoque familiares sunt qui « omnium Congregationis bonorum spiritualium participes declarantur » (Du Cange ad vocem *Familiares*).

5. Dubia mota sunt de ista qualitate propter effectus iuridicos qui cum ea conectebantur. Ita Paulus III, 22 dec. 1534 et Iulius III, 13 febr. 1513, per Const. *Sanctissimus in Christo* declararunt quinam essent familiares et commensales Pontificis.

Ante Codicem diuturna controversia fuit utrum soli famuli, an etiam alumni convictores inter familiares regularium computandi essent. Argumenta in utramque partem dedimus in *De Religiosis Institutis et Personis,* I, n. 518. Et fatendum est, sicut insinuavimus in Supplemento XII [*Per.* III, (85) - (92)] ex *historica* consideratione nos potius ad partes negativas inclinare. Alumni enim isti non sunt servitio Regularium addicti et propriis parentum expensis aluntur. Controversia tunc fervebat propter consectaria. Regulares enim sua iurisdictione uti poterant in sacramentis quae familiaribus ministrabant, dum ab Ordinario loci pendebant in administratione sacramentorum aliis personis facienda.

II. **De Familiaribus in Codice.** Codex *Familiares Cardinalium* nominat in c. 239 § 1, n. 2°; et in c. 349 (implicite) familiares *Episcoporum,* idque merito propter effectum iuridicum. Possunt enim sibi et familiaribus eligere Confessarium.

In c., 328 nominat familiares S. Pontificis, ut normas confirmet quibus nominantur et reguntur.

Cum autem agitur de Religiosis, ea voce abstinet, sed directe definit quibusnam personis sacramenta ministrare libere possint; et erga quasnam personas ius funerandi possideant.

Dicemusne inde solutam esse authentice controversiam de familiaritate convictorum?

Minime, ut nobis videtur. Sed tum contextus historicus, tum ipse elenchus personarum quae in can. 514 numerantur, tum omissio vocis *Familiarium* demonstrant intentionem Legislatoris controversiam non tangendi, sed eam supprimendi directa concessione facultatum, quae quaestionem efficit inutilem. Haec propter effectus iuridicos movebatur; hodie, sive convictores familiaribus ascribantur sive non, potest omnis Superior religionis clericalis iis viaticum et extremam unctionem ministrare; si autem fuerit Superior religionis clericalis exemptae, potest, vi c. 875, sacerdotes delegare ad audiendas eorum confessiones, ad normam constitutionum. Idque conceditur etiam personis quae numquam familiares censebantur, ut eae quae mere transeunter noctu hospitantur. Quare, quando, die 3 aug. 1906, *S. C. Episcoporum et Regularium* declaravit deputatum cappellanum Ordinis S. Ioannis de Deo posse, sine Ordinarii facultate, confessiones excipere personarum quae in domo hospitali S. Bartholomaei hospitio recipiebantur, observavimus sententiam istam nullo pacto innixam esse iure quodam familiaritatis, quod ne ab Ordine quidem allegabatur, sed ex concessis Ordini privilegiis esse deductam. Cfr haec *Periodica,* II, 171.

Iuvat hoc loco allegare authenticam declarationem quam BENEDICTUS XV, die 18 februarii 1916, dedit Collegio Pio Latino Americano Urbis, ad omnia dubia supprimenda circa iuridicam rationem istius Collegii, quia ipsum collegium non sit Societatis Iesu proprietas. « Apostolica qua pollemus auctoritate usi, statuimus ac decernimus ut Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum, quamvis sit sub regimine solummodo, non vero in proprietate Societatis Iesu constitutum, eadem exemptione fruatur qua gaudent Collegia quae sunt Societatis Iesu totaliter propria, ac propterea volumus ut idem Collegium omnibus etiam effectibus iuridicis frui possit ac valeat qui ex praefato privilegio proficiscuntur.

« Ex aedibus Vaticanis, die 18 Februarii 1916.

BENEDICTUS, PP. XV.

Exstant alia exempla similis concessionis. Collegium Germanicum-Hungaricum in Urbe v. g., id privilegium obtinuit C. *Postquam Deo,* 6 aug. 1573, § 3 et 4 GREGORII XIII. Bull. Rom., 8, 54.

Cfr *Boletin des los alumnos* (Pont. Coll. Pio Lat. Amer.) 1916, p. 2. 4. Inde colligitur *a)* Communicatio calendarii proprii Soc. Iesu, cum alumnis; *b)* usus circa alumnos, can. 514 et 875.

A. VERMEERSCH S. I.

De culpa theologica ad restitutionem imponendam requisita.

Casus. - Titius, iuvenis pio zelo fervens contra cuncta religioni adversa, lapidem proiecit in fenestram domus cuiusdam ducis sectae acatholicae.

Formaliter non peccavit, reputans se virtutis actum exercere.

An tenetur, *independenter a sententia iudicis civilis,* ad damnum reparandum ?

Resolutio. - Tres constanter requiruntur condiciones ad restitutionem: ut actio sit 1. realiter *damnosa,* 2. obiective *iniusta,* 3. theologice *culpabilis,* seu voluntaria.... *seu voluntaria,* inquam, ad mentem auctorum qui alterutram vocem indifferenter adhibent, quasi adesset necessario culpa theologica quotiens adest voluntaria damnificatio *de se* iniusta.

In praesenti supponitur actio vere damnosa et absque iure obiectivo patrata, immo et voluntaria; dicitur tamen non formaliter culpabilis.

Quibus habitis, respondemus distinguendo:

I) *Theoretice,* si revera actio est a culpabilitate subiectiva prorsus immunis, sequitur quod ab obligatione reparandi pariter est soluta. — Ratio est quia, pro restituendo, voluntarietas sine qua non imputaretur damnificatio, debet convenire actioni tum quatenus est efficax causa damni realis, *tum quatenus est iniusta.*

Atqui, in casu, prout proponitur, voluntaria quidem est actio quatenus est damnosa, non autem quatenus est iniusta.

Ergo, deest una ex condicionibus quae coniunctim et plene purificari debent ad gignendam obligationem reparandi damnum.

II) *Practice,* restat videndum num et quomodo facta suppositio potuerit verificari.

A) Nulla sane esset difficultas si absentia culpae theologicae explicari posset eo quod actio damnosa, etsi quadamtenus voluntaria (1), tamen non sit libera, i. e. sit aequiperanda actui *hominis,* non hu-

(1) Voluntarietate scil. imperfecta quae, iuxta S. THOMAM (I-II, q. VI, a. 2), « competit etiam brutis ».

mano. Fac Titium esse prorsus incultum aut insipientem: inconsiderate prorumpit in actum, nihil curans de moralitate eius: liquet nullam esse culpabilitatem; sed simul advertendum est quod haec interpretatio non satis quadrat cum casu proposito Titii « reputantis se virtutem exercere ».

B) Si vero adfuit sufficiens deliberatio, tum circa nocivam indolem actus, tum circa eiusdem moralitatem, hoc, ni fallimur, contingere non potuerit quin simul adfuerit, sin minus clara perceptio inhonestatis actus, saltem suspicio quaedam de ipsius illiceitate.

Profecto nobis videtur impossibile ut homo, sui compos, consilium huiusmodi momenti, necnon *adeo* inter nostrates *insolitum,* capiat, nullatenus cogitans de periculo erroris, seu de incerta moralitate sui gestus. Itaque unum de duobus erit:

a) vel, non soluto prius dubio, ac proinde saltem in confuso praevidens possibilem inordinationem actus, statuit nihilo minus agere; et tunc, imprudentiam commisit voluntariam, seu neglegentiam culpabilem, propter quam respondere debet de damno illato.

b) Vel, priusquam ageret, consilium petivit a doctioribus, atque tunc solummodo ad actum transiit quando certus factus est (subiective) de liceitate gestus. Quo in casu, uti patet, propter bonam fidem excusatur. — Quoad novam quaestionem, utrum scilicet necne isti « consulentes » sint et ipsi excusandi a damno reparando, non est heic inquirendum.

Praeter recensitas hypotheses, aliam non videmus mentione dignam nisi sequentem, quae tamen nec ipsa perfecte concordat cum casu proposito. Titius, quando festinans et dubius de liceitate actus, lapidem proiciebat, propositum habebat resarciendi sponte damnum, sub condicione quod certior postea fieret de iniuria materialiter a se commissa. Tunc utique evitasset reatum imprudentiae sed et teneretur ad repa-

randum damnum statim ac conscius evaderet de eius iniustitia.

E. RANWEZ
Prof. theol. mor.

Quaestio de enc. litteris " Miserentissimus „

Quaeres qua ratione S. Pontifex, in enc. litteris *Miserentissimus,* 8 maii 1928, quae inscribitur de communi expiatione Sacratissimo Cordi Iesu debita, « satisfactionis... seu reparationis, quam dicunt officium Sacratissimo Cordi Iesu praestandum » introducat per haec verba: « Nam si illud est in consecratione primum ac praecipuum ut amori Creatoris creaturae amor rependatur, alterum sponte hinc sequitur, ut eidem increato amori... illatae quoquo modo iniuriae compensari debeant ».

Nonne per haec verba amor increatus ut obiectum immediatum cultus sacratissimi Cordis Iesu proponitur?

Resp. Minime hoc inde sequitur. Hoc enim loco, S. Pontifex obiectum devotionis definire minime cogitat. Verum duplex officium consecrationis et reparationis successive considerat: officium consecrationis et reparationis quod a principio mundi propter labem originalem et innumerabilia hominum peccata praestandum est Deo tam amanti et tantopere offenso. Huius officii munus Christus, qui solus id digne facere poterat, in se suscepit, ex quo coepit esse homo, et implevit maxime in ara Crucis, cuius sacrificium in Missa renovatur. Postquam autem Christus sic nobis exemplo praeivit, iam Eius Cordi id debemus ut, secundum Eius optata, nos eius oblationi et reparationi coniungamus. Verum praeterea, Christo Homini, pro vero dolore et moestitia quam expertus est propter tot iniurias quibus in ipso sacramento

amoris sui etiam nunc cotidie afficitur, alteram compensationem consecrationis et reparationis offerre debemus, qua, ut Pontifex declarat, Eius Cor vere solabimur. Huius proinde consecrationis et reparationis terminus proximus est Cor verum (igitur humanum) Iesu et amor cuius est symbolum.

A. VERMEERSCH S. I.

Quaestio canonica.

Species facti. Cum in quadam dioecesi causa *nullitatis matrimonii* ageretur in tribunali dioecesano, pars conventa palam expressit suum firmum propositum divulgandi acta processus quae ipsi vi can. 1859 tradenda sunt. De re certior factus Ordinarius quaerit:

1. Utrum can. 1859 partibus mere petendi actorum exemplar *facultatem* concedat ita ut iudici integrum sit petitioni annuere vel eam repellere, an verum *ius* sit partium exemplar obtinendi;

2. Quatenus sit partium *ius*, quanam ratione Ordinarius seu iudex damnosam alteri parti vel Ecclesiae divulgationem impedire valeat, praesertim si ne iuramento quidem partis conventae fidendum videatur.

Responsionem perspicue et concinne tradendam curabimus.

1. Can. 1859 loquitur de *processus publicatione*, quae necessario praemittenda est conclusioni in causa eiusque discussioni et sententiae. Ista *processus publicatio* consistit in facultate partibus earumque advocatis concessa *tum* inspiciendi acta processualia *tum* petendi eorum exemplar. Utrumque manifestum. Pars habet ius sese defendendi. Porro eatenus potest congruas suas defensiones seu allegationes iudici exhibere, quatenus cognoscat ea quae in contrarium alia pars ac testes deposuerint. Nec semper satis est acta

processualia oculis semel inspicere; interdum apta accurataque defensio fieri nequit absque eorundem actorum exemplari. Inde sequitur, ex can. 1859 tribui partibus non meram *facultatem* petendi exemplar actorum ita ut Ordinario seu iudici integrum sit petitioni annuere vel eam repellere, sed verum *ius*, ita ut Ordinarius seu iudex nequeat *per se* petitum actorum exemplar denegare.

2. Si Ordinarius ex traditione huiusmodi actorum processualium exemplaris timeret damnum alteri parti vel Ecclesiae inferendum, ex. gr. si forte acta divulgarentur, uti in proposito casu, tunc applicandum foret praescriptum can. 1623, § 3, ubi statuitur: « Imo quoties causae vel probationum natura talis sit ut *ex actorum vel probationum evulgatione* aliorum fama periclitetur, vel praebeatur ansa dissidiis, aut scandalum aliudve id genus incommodum oriatur, *iudex poterit* testes, peritos, *partes earumque advocatos vel procuratores iureiurando adstringere ad secretum servandum* ».

Quare iudex sive initio causae sive in decursu eiusdem sive immediate ante inspectionem actorum processualium eorumque exemplaris traditionem potest, vi can. 1623, § 3, partes earumque advocatos vel procuratores iureiurando obstringere tum ad omittendam actorum divulgationem tum ad secretum quomodocumque servandum circa ea omnia quae ipsis innotuerint ex actis processualibus.

Huc spectatne etiam praescriptum can. 1645? Iste canon expresse loquitur de *notariis, actuario* et *cancellario* (non autem de ceteris), qui « sine iudicis mandato tradere prohibentur exemplar actorum iudicialium et documentorum quae sunt processui acquisita ». Praeterea canon iste supponit iudicium iam esse expletum et acta processui iam esse acquisita. Proinde si ageretur de iudicio iam expleto aut de prohibitione

facienda notariis, actuario et cancellario, praescriptum can. 1645, § 3 posset profecto allegari; non autem in casu proposito.

3. Si pars conventa, ut in casu, palam significet propositum divulgandi acta processus, et Ordinarius seu iudex damnosam existimet huiusmodi divulgationem, nec videatur fidendum iuramento partis conventae, haec procul dubio in sui favorem nequit invocare praescriptum can. 1859. Sane iste canon, ut supra animadversum fuit, eatenus tribuit facultatem inspiciendi acta processus eorumque exemplar petendi, *quatenus partes valeant suas defensiones seu allegationes exhibere iudici,* antequam fiat causae discussio et feratur sententia. Secluso iure se defendendi *in iudicio*, et non alias, nulla competit partibus ex can. 1859 facultas inspiciendi acta processualia eorumque exemplar petendi.

Proinde, in proposito casu, Ordinarius seu iudex nequaquam tenetur exemplar petitum tradere, imo ius et officium habet illud denegandi.

FELIX M. CAPPELLO S. I.

Solutio casuum de Iustitia qui propositi sunt p. 48*.

Ad casum I. Moneta non quaeri consuevit propter se, sed ut medium comparandi sibi res omnis generis. Propterea pecunia mutuo accepta per se reddenda est eiusdem valoris cuius erat pecunia mutua data. Hoc inter auctores constat, quamdiu agitur de *intrinseco* monetae valore. Is variat, pro puritate metalli pretiosi e quo conficitur, pro auctoritate seu existimatione pecuniae papyraceae, quae, ut liquet, multo minoris existimabatur quando usus eius fuit obligatorius. Debetne praeterea attendi ad vices *extrinseci* valoris, propter v. g. aliunde mutata pretia rerum? Auctores classici, ut

MOLINA, *De iustitia et iure,* d. 312; LUGO *Iust*, d. 25, nn. 124-129, etiam istas vices debitori observandas putant ut reddat creditori eandem quam acceperat vim sibi comparandi res; dum iurisperiti potius ad solum valorem intrinsecum per se attendendum esse arbitrantur.

Itaque, per se, noster Titius, anno 1930, reddere debet pecuniam quae saltem habeat valorem intrinsecum pecuniae quam anno 1918 acceperat. Verum, in hodiernis adiunctis etiam leges positivae considerandae sunt et ratio habenda est confusionis omnimodae quam bellum induxit. Etenim, praeter regiones (Angliam, Americam, Helvetiam, Hispaniam, Hollandiam) quarum moneta intrinsecum suum valorem servavit, ita ut de iis quaestio non moveatur, aliae non ita deprimi monetam suam siverunt ut omnem valorem amitteret: ita Belgium, Gallia, Italia, dum aliae, ut Austria, Germania, annuerunt ut earum papyracea moneta omni valore destitueretur.

In prioribus, duplex stadium distingui debet. In priore, Status imminutionem valoris quasi celare vel ut mere transitorium habere voluit. Tunc legi civili satisfit solvendo debita secundum valorem nominalem pecuniae papyraceae. In isto stadio, propter controversias et beneficium legis, Titius qui aes alienum reddere proposuit mere attendendo ad valorem nominalem in moneta papyracea inscriptum, non fuisset absolutione indignus, quamvis id intrinsece minus probare possemus, quia re vera multo minus solvit quam quod acceperat.

Nec in potestate Principis esse arbitramur, ut cives dispenset ab obligatione solvendi nimis notabilem partem debiti quod contraxerunt.

In altero autem stadio, ipse Status monetae suae papyraceae stabilem constituit valorem veritati proximum et quem ipse securum spondet. In isto stadio, moneta est reddenda secundum istum valorem « officialem ».

Neque obici potest incerta ratio, felix vel infelix, qua creditor sua pecunia usus esset, quia mutuatarius periculum acceptae pecuniae in se suscepit. Quare, creditori exigenti ut non mere valorem nominalem monetae solvat sed istam stabilem auctoritatis publicae aestimationem etiam attendat, Titius obtemperare debet.

Attamen, ob generalem rerum confusionem, honestam compositionem Titius creditori suo proponere non prohibetur qua, v. g. pro sextuplo valoris nominalis (secundum aestimationem publicam) triplex tantum solveret. (Re vera fr. Belgii aestimatur 15 cents.; Galliae, 20; Italiae, circa 30.) In regionibus autem in quibus solita moneta papyracea nullius evasit valoris, satis liquet debitorem non potuisse obligationi suae satisfacere tribuendo chartas quae nihil valebant. Postea quidem leges latae sunt *(Aufwertungsgesetz)* quibus definitur quid etiam, secundum legem fori exterioris supplendum vel solvendum sit a debitoribus pro debitis ante certa temporis intervalla contractis. Sed nec de mente legislatoris nec de vi, pro conscientia, huiusmodi legum vere constat. Restat igitur ut, abstinendo omni generali responsione, ac suadendo amicas compositiones, viris peritis committamus ut quid in singulis casibus iustum et aequum sit prudenter statuant. Cfr *Theol mor.*, II., n. 436.

Ad II, Confessarius nimis severus fuit. Etenim, ut scripsimus *Theol. mor.*, II, n. 461, 3, in mercatore multarum rerum *duae personae* considerandae sunt: mercatoris, ut sic, qui singulas merces iusto pretio vendere debet; *tabernarii*, qui industriose multas merces colligit quibus emptoribus satisfacere queat, et sic *artem* quandam exercet. Ars ista habet suam utilitatem, suam difficultatem, suum laborem, sua pericula. Ad congruentem retributionem istius artis percipiendam, fas sane est ut tabernarius, in rebus suis ordinandis, periculi plura non vendendi rationem habeat, ac peri-

culum istud computet in generali pretiorum suorum definitione. (Cfr *Theol. mor.*, II, n. 461.)

Ad III. Sempronius non iniuste aget, si nulla merx ultra summum pretium iustum venumdetur in ipsius taberna. Neque ii qui simul plures merces emunt quidpiam conquerendum habent. Si autem ita quarundam rerum pretium deprimat ut alias cogatur ultra iustum summum vendere, hoc fuerit iniustum, nisi toleratus usus vel necessitas moderate lucrandi ex arte mercatoria haec excusare queant. Per se tamen pretia allectiva non sunt necessaria ad moderatum lucrum obtinendum.

Casus De Iustitia.

I. In hereditate Titii reperta sunt duo testamenta, formae legalis, eiusdem diei; in quorum priore, Titius omnia bona sua legat Camillo, dum in altero, omnia bona sua legat Medardo. Quod cernens, heres ab intestato sibi omne patrimonium servare posse existimat, cum duo contraria testamenta alterum ab altero infirmentur. An recte opinatur?

II. Alfredus testamento forma legali destituto ad hereditatem Sempronii vocatur. Verum in lite inter ipsum et heredem ab intestato, iudex testamentum esse nullum decernit et omnia bona addicit heredi ab intestato. Alfredus tamen sibi clam servat summam decem milium libellarum, quia ex iure naturae poterat defunctus ei, neglecta forma legitima, bona sua legare. An Alfredus recte ratiocinatur?

III. De possidendo beneficio duo clerici in foro canonico litem inter se habuerunt, propter quam collatio beneficii per annum dilata est. Is cui, e iudicis sententia, beneficium collatum est, novam litem movit ut pars victa ipsi compensaret annuos fructus, quos, propter istam litem et consequenter dilatam collationem, victor non percepit. Estne ista compensatio ei debita?

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Dispensatio ab impedimento disparitatis cultus post usum privilegii Paulini.

Species facti quae praesenti disputationi occasionem dedit. Formula tertia maior Facultatum S. C. *de Propaganda Fide,* n. 21, facultatem subdelegabilem concedit « dispensandi, canonicis exsistentibus causis, super impedimentis matrimonialibus sive minoris sive maioris gradus, tam publicis quam occultis, etiam multiplicibus, iuris tamen ecclesiastici : exceptis impedimentis provenientibus ex sacro Presbyteratus ordine, ex defectu praescriptae aetatis et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio ». Textum sequuntur non nullae observationes de servandis regulis Codicis, de exigendis cautionibus, et de peculiari cautela adhibenda in matrimoniis cum hebraeis vel mahumetanis. De simultaneo usu privilegii Paulini tacetur. Fit nihilo minus ut neophita qui coniugem infidelem interpellavit responsum autem obtinuit quo nec converti nec pacifice cohabitare annuit, ad alia vota transire cupiat cum coniuge infideli quae non baptismum quidem sed pacificam cohabitationem admittit.

In isto casu, potestne Episcopus, Vicarius vel Praefectus Apostolicus, si graves concurrant causae,

sua facultate n. 21 uti ad dispensationem istam concedendam ?

Id facere posse existimabat X. Vicarius Apostolicus, nixus generali facultate n. 21, quae casum istum non excipit. Legerat enim in celebri *Summario* R. P. Antonii Aregui, S. I., post discessum partis infidelis « pars baptizata ius habet *cum persona catholica* contrahendi..., non autem *cum acatholica vel infideli*, nisi accedat dispensatio impedimenti mixtae religionis vel disparitatis cultus ».

« Per usum meae facultatis, sic praefatus Praelatus, dispensatio accedet. Ergo poterit baptizata pars cum infideli contrahere. » Alter tamen Antistes contendebat facultatibus formulae tertiae potestatem non fieri dispensandi ab disparitate cultus quando cum usu privilegii Paulini concurrere deberet.

Ac poterat hunc locum nostrae *Epit. Iur. Can.*, II, n. 433, 2. allegare : « In adiunctis ordinariis, Missionarii facultate sua dispensandi super impedimento mixtae religionis vel disparitate cultus ut neo conversus cum acatholico contrahere possit, uti non possunt ».

Quid igitur, qua certitudine tenendum est ?

Disputatio seu examen causae.

1. Minime miramur quod Vicarius Apostolicus facultatem dispensandi in praefato casu, sibi competere extimare potuerit. Etenim :

a) Textu explicito valde perspicuo, quo usus facultatis in isto casu negetur destituimur.

Allegatur quidem responsum S. C. *S. Officii*, 4 iulii 1855 (*Coll. P. F.*, n. 1113), de viro qui successive plures receperat uxores, et prima reneunte converti vel saltem pacifice cohabitare, alteram ducere cupiebat quae non volebat nisi pacifice cohabitare : et negatum est id sibi licere, atque additum : « in particulari casu providebit S. Pontifex ». Sed hic agi

videtur de polygamo qui uti voluerit facultate data a S. Pio V, C. « *Romani Pontificis* », 2 aug. 1571. Hac facultate expresse permittitur ut remanere valeat cum uxore quae *cum ipso baptizetur*, vel *baptizari voluerit*. Hac deficiente condicione, dictae Constitutioni non est locus. Nec directe quidquam dicitur de usu generalis facultatis dispensandi.

Similis est casus de quo allegatur etiam responsum S. C. *S. Officii* 29 aug. 1866 « Negative ; recurrat in casibus particularibus ». Vir erat infidelis qui ante baptismum, uxore infideli dimissa, alteram duxerat, et, obtentis a prima uxore ritę interpellata responsis quibus haec discedebat, mediante dispensatione a disparitate cultus, cum secunda manere voluerat quae tantum cohabitationem pacificam admiserat.

Allegatur quoque responsum S. C. *S. Officii*, 22 nov. 1871 (*Coll.* n. 1377) ad quaesitum secundum : « An liceat dare dispensationem disparitatis cultus quando data fuit antea dispensatio de interpellatione vel quando interpellatio facta fuit in vanum ». Responsum est « Negative, et detur decretum feriae IV 29 aug. 1866 tenoris sequentis : « In casibus de quibus agitur R. P. D. Vicarius Apostolicus adeoque Missionarii ab eo deputati non possunt dispensare super disparitate cultus vi facultatis III Formulae b/ » (tunc datae).

Quid autem quando non fuit data dispensatio ab interpellatione, et responsa negativa a parte interpellata fuere accepta ? (Interpellatio enim facta in *vanum* significat coniugem non potuisse attingi, vel non respondisse). Nihil igitur de casu normali habetur. Quare R. P. Iglesias, O. F. M. « *Brevis Commentarius in Facultates...* » in nota p. 82 haec habet : « Facta utraque interpellatione et habito exitu negativo, pars fidelis restrictiones plures non habet quam ceteri fideles ».

Allegatur demum responsum 3 ian. 1874 (*Coll.* n. 1415) quod permittit ut interpellationes fiant ante

baptismum et possit (neophyta) post baptisma transire ad alias nuptias « cum persona tamen catholica ». Verum hic nihil de usu facultatis dispensandi.

Quid, quod 28 maii 1846 (*Coll.* n. 1007) S. C. de *Prop. Fide* declaravit : « Potest (neo conversus) nubere infideli cum dispensatione super impedimento disparitatis cultus. Quamvis ex recensitis responsis iussu Clem. XIII anno 1659 (sic sed lege 1759) (1). a Suprema Inquisitione latis Titio, eo in casu, non nisi fidelem sponsam ducere licitum eruatur, id tamen pro communi regula traditur ut innotescat quid liberum per se cuique sit.

« Estne concedenda dispensatio ? Id prudenti arbitrio relinquitur illius qui praedicta dispensandi facultate (ab impedimento disparitatis cultus) ab Apostolica Sede ditatus fuerit ».

Si *ipsos iuris interpretes* interrogaverimus, plures vel dicere omittunt cum quibusnam neophyta possit, discedente uxore infideli, contrahere nuptias; ita D'ANNIBALE, III, 373; vel memorando ius nubendi cum parte fideli, quaestionem de dispensatione non movent, ut LINNBORN, *Das Eherecht;* WERNZ-VIDAL, *Ius matrimoniale,* n. 631 IV, p. 757; vel adeo monent matrimonium cum infideli celebrari posse per dispensationem a disparitate cultus. Ita OJETTI, S. I., *Synopsis,* n. 3288 : conversus « nubere potest etiam viro infideli, dummodo accedat dispensatio Romani Pontificis ab impedimento disparitatis cultus » ; et EICHMANN, *(Lehrbuch des Kirchenrechts) :* Privilegium regulariter non valet nisi ad nuptias baptizati coniugis cum parte catholica (c. 1123. 1124); matrimonium tamen cum parte acatholica (cum dispensatione) non excluditur. (2)

(1) Videtur esse resp. S. C. S. *Off.* 5 aug. 1759 (*Coll.* n. 421) in quibus ad 5 dicitur : conversione « acquirit tantummodo ius transeundi ad alias nuptias, *cum coniuge tamen fideli* ».

(2) Das Privileg gilt ferner in der Regel nur für die Ehe des getauften

Ac supra memoravimus conclusionem R. P. IGLESIAS, qui, in casibus ordinariis, putat nihil peculiare dispensationi obstare.

Nihilo minus, pro certo tenendum est usum ordinariae facultatis dispensandi illicitum et invalidum fore si concurrat cum usu privilegii Paulini.

Quod sic efficimus :

Privilegium *in favorem fidei* datum est pro nuptiis cum persona christiana, quacum matrimonium sit sacramentum. Id ex natura rei colligitur (1), et edicitur can. 1123 et 1124 Codicis, qui ius neo converso tribuunt nubendi cum parte catholica.

Ergo nuptiae cum parte infideli non possunt fieri vi solius privilegii Paulini.

Dispensatio autem a disparitate cultus non potest exerceri nisi cum persona quae habeat statum liberum; nullo autem modo cum persona ligata vinculo matrimoniali quod tantum per novum matrimonium solvetur.

Igitur, ut S. Pontifex dispenset in praefato casu, uti debet plenitudine ista potestatis quam habet solvendi propter gravissimas causas matrimonium quod non est sacramentum.

Hanc autem potestatem non delegat in *ordinaria* facultate dispensandi in disparitate cultus.

Quare usus ordinariae facultatis foret illicitus et invalidus. Re vera S. Pontifex interdum hanc dispensationem concedit. Id v. g. fecit in casu 17 iulii 1855 (*Coll.* P. F. n. 1118). Mulier pagana discesserat a viro pagano, qui ipse ad alia vota transivit. Mulier dein baptismum petiit rogans simul quomodo conscientiae satisfacere posset. Primus enim vir eam nullatenus

---

Ehegatten mit einem Katholiken (c. 1123. 1124); jedoch ist die Eingehung einer Ehe mit einem Nichtkatholiken (mit Dispens) nicht ausgeschlossen.

(1) Per se ait R. P. ARENDT S. I., Nota circa can. 112, *Ephem. Theol. Lovanienses*, I, 1924, p. 175 nota, solum matrimonium ratum, mediante gratia sacramentali, constituit christianum in possessione illius « libertatis qua Christus nos liberavit ».

vult; a secundo, plures filios genuerat. Tunc S. C. *S. Officii* declaravit eam baptizandam esse, et, praevia interpellatione prout de iure, si (quod certum erat) prior vir renuat, tunc, data dispensatione disparitatis cultus, matrimonio cum secundo viro copulari posse. — Immo, cum in aliqua regione huiusmodi casus « referrentur non infrequentes, SS.us, supplicante *S. Officio*, ad decennium concessit dispensandi facultatem, remittendam prudenti arbitrio et conscientiae Vicarii Apostolici Siamensis, qui easdem graves causas prius recognoscere debeat » (17 iul. 1850, *Coll.* n. 1045).

Nec desideratur argumentum ex resolutionibus S. Sedis. Plures enim allegavimus quae aperte docent transitum ad novas nuptias privilegio Paulino non permitti nisi cum parte fideli. Facultas igitur permittendi novas nuptias cum infideli condicionibus privilegii Paulini derogat. Huiusmodi derogatio in ordinaria potestate dispensandi impedimentum disparitatis cultus minime continetur.

Sola responsio supra allegata 28 maii 1846 *(Coll.* n. 1007), peculiarem dispensandi facultatem exigere non videtur. Verum responsio, quae est data a S. C. *de Prop. Fide*, efficaciter contradicere nequit pluribus responsis Supremae Cong. *S. Officii*, quae speciali opus esse facultate non obscure significant.

Accedit suffragium auctorum. Necessitatem amplioris potestatis quam communis facultas dispensandi ab impedimento disparitatis cultus explicite docent Sica, S. I., *Casus conscientiae*, p. 415 s.; Michel e Miss. Africae, *Casus de matrimonio*, p. 361; Arendt S. I., apud *Ephem. Theol. Lovanienses*, I, 175 nota 7; De Smedt, *De sponsalibus et matrimonio*, n. 353 ter; Payen, S. I. *De matrimonio* tom. II, n. 2222 et 2223.

Nec nobis contradicunt qui rem silentio praetereunt vel declarant dispensationem a disparitate cultus accedere posse, ita ut sola pauca verba R. P. Iglesias

(*Comment. in facultates*, p. 82 nota) pro diversa sententia appellari queant.

N. B. Perinde dicendum non foret de neo converso qui, privilegio Paulino utens, nubere proponat cum *catholica* sed consanguinea vel alia impedimento retenta. Cum enim nuptias cum catholica facere proponat, fines casus Apostoli non excedit. Quare ordinaria dispensandi facultate ipse ab his impedimentis dispensari poterit.

A. VERMEERSCH S. I.

Quaenam sit causa publica exponendi Sanctissimum.

Postquam supra, p. 21* ss., disputavimus de oratione Sanctissimi in Missa propter SS. Eucharistiae expositionem, quaedam interrogati sumus quae nobis occasionem suppeditant dicendi magis praecise de vera *causae publicae* ratione.

I. Verum in primis duo errata quae in praefata disputatione deprehendimus nobis corrigenda videntur.

a) P. 22*, ultimae lineae hoc modo scribi debuerunt: « Expositione Sanctissimi durante, Collecta de Sanctissimo Sacramento in Missis » (extra festa primae vel secundae classis) « dici potest; non autem in iis quae ante expositionem celebrantur ».

b) P. 24* lin. 5 hoc modo legatur: « ut expositio ista, si fiat extra tempus orationis XL Horarum -- tunc semper commemoratur Sanctissimum in Missis quae non sunt de eodem mysterio, — habeatur *extra aliam sacram functionem* ».

II. His praepositis, publica causa ad triplex genus referri potest. Est enim:

1. *Spiritualis utilitas populi.* Populi autem utilitas habetur quotiescumque interest communitatis qua talis,

quae potest existimari esse populus. Iam vero, ut scripsimus in *Theologia morali,* III, 459, allegantes REIFFENSTUEL, L. 5, t. 1, n. 249, et BALLERINI - PALMIERI, *Opus theol. mor.,* VII, 150, ratio populi inest in omni communitate quae decem saltem sociis componatur.

Praeterea expositio praescripta pro toto Instituto, etiam quae in minore communitate celebretur, dicenda est fieri *publica causa*, quia omnes etiam in loco ubi pauci sint eam celebrant ut pars sunt populi in cuius utilitatem est praescripta.

Haec nostra sententia confirmatur usu ante Codicem. Tunc enim *publica* expositio (in ostensorio) non poterat fieri nisi pro publica causa. Fiebat autem moraliter in omni religiosa domo ubi SS. Eucharistia asservabatur.

2. *Sollemnitas festi*, maxime SS. Corporis Christi. Cum festa enim propter populum indicentur, omni expositione propter sollemnitatem imperata vel permissa censetur utilitati populi esse consultum.

3. *Ardua causa pacis et publicae necessitatis vel utilitatis.* Sicut enim in Veteri Testamento arca foederis circumferebatur ut eius conspectu populus animosior efficeretur, ita in necessitate vel calamitate Christus exhibetur praesens ad augendam fiduciam et fervorem orationum.

Rursus autem publica necessitas vel utilitas iam ea est omnis Instituti vel communitatis quae decem saltem socios enumerat.

III. *Quaeres* iam quaenam sit causa *privata?* Causa privata erit singularum vel paucarum personarum: ut expositio quae pro confratre moribundo permissa est in 4 sept. 1875, Bituntina (Decr. authen. n. 3775 ad l.); vel pro sacerdote neo-mysta aut iubilato.

Immo, si agatur de Pontifice, de Principe vel de persona publica, iam expositio pro ipsis imperata publicam rationem induet.

IV. *Corollarium.* Si ita res se habent, rarae sunt causae privatae, ac proin, ad usum quod spectat, a iure antiquo quo propter solam causam publicam licebat SS. Eucharistiam publice exponere, (1) non valde differt ius novum quod (c. 1274) § 1. mere postulat ut *praesertim* ex causa *publica* Ordinarius loci eam fieri permittat.

A. VERMEERSCH S. I.

Quaesita de rubrica in Parasceve

Quaeritur de recto intellectu Rubricae in Parasceve: « Postea (Ecce lignum Crucis.... tertio cantatum)..... ter genua flectit antequam eam deosculetur..... Postmodum ministri altaris, deinde alii clerici et laici adorant ».

I. Quidam putant crucem discooperiendam a celebrante non sufficere, si ea tantum lignum seu reliquiam verae Crucis contineat *absque imagine Crucifixi.* Estne ita? *Negative.*

II. Vel potius, ut alii putant et faciunt, sufficit crux quae *verae crucis reliquiam* contineat absque imagine Crucifixi? *Affirmative.*

III. Si cruci discooperiendae inhaerere debet imago Crucifixi, ut ex Rub. videtur, debetne ista eadem crux locari in loco ante altare praeparato, an alia crux sine imagine Christi, sed continens reliquiam verae Crucis sufficiat, ut fit in pluribus locis? *Alterutrum fieri potest.*

IV. Saltem, an pro cruce cum imagine Christi post cantum « *Ecce lignum...* » discooperta; postquam haec a Celebrante et a ministris altaris fuerit deosculata, possit apponi in eius loco alia quae habeat reliquiam verae crucis sed absque imagine Christi, populo alii-

(1) Cfr. resp. S. C. *Rituum*, 31 maii 1642. Decr. auth., n. 800.

que clero adoranda, prout defenditur et fit a multis ? *Affimative.*

V. An « finita adoratione, Crux reportanda ad altare » esse possit ea quae habet reliquiam et adorata fuit a populo, quae tamen non continet imaginem Crucifixi, sed tantum reliquiam crucis ; vel e contra Crux reportanda debeat esse illa quae habet imaginem Crucifixi, quamvis reliquiam non contineat ? *Alterutrum fieri potest.*

Nam S. Rituum Congr. 1) Ad quaesitum n. 4081, an. 1901, 20 Augusti, ad V. « Feria sexta in Parasceve post Orationes, debetne *per celebrantem* discooperiri Lignum Crucis, vel imago Crucifixi ? Resp. *Alterutrum fieri posse et debere.*

2) Ad quaesitum n. 2887, an. 1845 ad 4. « Clerici Regulares Sch. Piarum assolent feria VI in Parasceve ad populi venerationem exponere Reliquiam SS. Crucis immediate post adorationem Sanctae Crucis ipsius, et *ante Missam Praesanctificatorum.* Quaeritur num sit retinenda consuetudo, vel potius, post eandem Missam et consummationem SS.mi Sacramenti, supradicta Reliquia exponenda sit ? Resp. *Posse ;* dummodo Reliquia inclusa sit cruci talis mensurae, *ut poni queat inter candelabra Arae Maioris.*

3) Respondit « *non obstare* » ad quaesitum n. 4350, 23 Apr. 1918 ad 1. An, uti accidit in Metropolitana Ecclesia die sancta Paresceves, iuxta immemorabilem consuetudinem, liceat praebere Sacerdotibus et fidelibus *deosculandam* Reliquiam S. Crucis D. N. I. C.

Serventur decreta S. Rituum C. ut iacent in collectione authentica, non autem uti explicantur ab Oratore ; scilicet sufficit *lignum S. Crucis,* pro imagine *Crucifixi,* in casibus expositis. Decretum autem n. 4350 agit de *deosculanda* Reliquia S. Crucis *extra Missam Praesanctificatorum,* ideoque ad rem non facit.

P. BATTISTINI, C. M.

Quaestiones de matrimonio et extrema unctione.

I.

Num R. Pontifex possit dissolvere matrimonium valide contractum inter partem non baptizatam et partem baptizatam, quod consummatum fuerit.

1. Matrimonium *legitimum,* scil. valide initum inter infideles et copula consummatum, potest certe dissolvi a R. Pontifice, modo alterutra pars per baptismum subdita Ecclesiae facta fuerit. Non refert quod consummatio locum habuerit sive ante baptismum sive post baptismum alterutrius partis. Nec refert quod utraque pars baptismum susceperit atque ideo matrimonium evaserit *ratum, dummodo postea consummatum non fuerit,* sed manserit **consummatum** et **ratum.**

Quidam censent R. Pontificem *probabilius* dissolvere posse tale matrimonium (1). Nobis aliisque haec sententia certa omnino videtur, *tum* quia secus explicari non posset modus agendi Ecclesiae in privilegio Paulino applicando ultra terminos a D. Paulo assignatos (2); *tum* quia R. Pontifex dissolvere valet, ut infra dicetur, matrimonium inter partem infidelem et partem fidelem valide initum et consummatum; ergo eadem potestas a fortiori agnoscenda est quoad matrimonium *legitimum,* inter duos infideles contractum et consummatum.

2. Matrimonium valide initum *absque dispensatione* inter partem baptizatam et partem non baptizatam, etiam consummatum, potest a R. Pontifice dissolvi. Dicimus *absque dispensatione,* quia ad normam can.

(1) De Smet, *De sponsalibus et matrimonio,* n. 333, ed. 4.a.

(2) Cfr. Cappello, *De matrimonio,* n. 791; Wernz-Vidal, *De matrimonio,* n. 636.

1070, § 1 impedimentum disparitatis cultus abest, si nuptiae celebrentur inter partem non baptizatam et partem baptizatam *extra Ecclesiam catholicam.*

Matrimonium eatenus efficitur absolute indissolubile, quatenus duae simul verificentur conditiones: 1° character seu dignitas sacramentalis; 2° actus coniugalis perfectus sive consummatio. Atqui prima condicio in coniugio inter partem baptizatam et partem non baptizatam initio non verificatur, quia huiusmodi matrimonium non est sacramentum iuxta communiorem et probabiliorum sententiam, quae nobis aliisque certa videtur (1).

Codex perspicue, quamvis implicite tantum, traditam doctrinam confirmat. Nam in can. 1118 plane indissolubile dicitur solum « matrimonium validum **ratum et consummatum** », quod nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest. Porro ex can. 1115 § 1, dicitur *ratum,* matrimonium validum *baptizatorum.* Igitur si una tantum pars sit baptizata, matrimonium non est ratum sensu proprio sive canonico, ideoque non applicatur praescriptum can. 1118.

Id aperte confirmatur catholica Traditione, quae absolutam indissolubilitatem, amplissimae ipsius R. Pontificis potestati subductam, uni matrimonio *rato,* seu *baptizatorum,* et coniugali copula perfecto tribuit.

Summus Ponfifex de facto huiusmodi matrimonium dissolvit, ut liquet ex responso *S. Officii* diei 5 nov. 1924 ad Episcopum Helenensem. Hic quaestionem proposuit de matrimonio anno 1919 inito inter virum non baptizatum et mulierem haereticam, baptizatam in secta anglicana, a quo matrimonio obtinuit vir divortium, desiderans catholicam fidem amplecti et

(1) Cappello, *De matrimonio,* n. 36; Schmalzgrueber, lib. IV, tit. 1, n. 306; Pirhing, lib. IV, tit. 1, n. 71; Wernz-Vidal, IV, n. 44; Billot, *De Ecclesiae sacramentis,* II, p. 351 ss., etc.

nubere personae catholicae. S. Congregatio S. Officii die 5 nov. 1924 respondit: « Consulendum SS.mo pro gratia dissolutionis vinculi naturalis primi matrimonii contracti a N. N. cum N. N. in favorem fidei » (1).

Aliud simile responsum dedit eadem S. Congregatio die 10 iul. 1924 (2).

Quibus omnibus mature perpensis, concludendum, doctrinam, quae tenet matrimonium valide initum absque dispensatione inter partem baptizatam in secta acatholica et partem non baptizatam, etiam consummatum, dissolvi posse a R. Pontifice, esse omnino certam.

3. Si vero, in casu exposito, pars infidelis convertatur et baptismum recipiat, matrimonium eo ipso efficitur sacramentum; sed non ideo est *ratum* et *consummatum*, si coniuges ante conversionem partis infidelis copulam carnalem inter se habuerint. Matrimonium in tali hypothesi erit quidem *consummatum* ante baptismum, sed *ratum* post illum. Proinde nulla est ratio dubitandi quin R. Pontifex ex plenitudine potestatis possit huiusmodi matrimonium iusta gravique causa dissolvere.

4. Si coniugium inter partem non baptizatam et partem baptizatam in Ecclesia catholica valide initum fuerit *cum dispensatione* super impedimento disparitatis cultus, potestne dissolvi a R. Pontifice, licet iam consummatum sit? Doctores generatim silent de hoc casu. Nobis sententia affirmativa ex dictis certa videtur.

Sane dispensatio concessa ab Ecclesia super impedimento disparitatis cultus non mutat naturam et indolem matrimonii. Posita eius validitate, vinculum, quod exinde oritur, idem est, sive matrimonium celebratum fuerit cum dispensatione sive absque dispen-

(1) Cfr *Eccles. Review*, 1925, to. LXXII, p. 188.
(2) Cfr *L'Ami du clergé*, 1925, p. 409.

satione. Huiusmodi vinculum erit quidem perpetuum, sed legitimum tantum sive naturale. Proinde si R. Pontifex, ut supra dictum est, dissolvere potest matrimonium inter partem baptizatam et partem non baptizatam sine dispensatione initum, nulla apparet solida ratio cur id nequeat ubi dispensatio super impedimento disparitatis cultus concessa fuerit. Omnia argumenta quae vindicant R. Pontifici potestatem ministerialem solvendi omne matrimonium, quod non sit ratum et consummatum (1), in specie matrimonium valide initum inter baptizatum et non baptizatum sine dispensatione, valent quoque pro isto casu.

II.

Num consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis primum tangente sit impedimentum gradus maioris, an gradus minoris.

1. Ratio dubitandi habetur ex can. 96, § 3, collato cum can. 1042, § 1. Iste canon expresse recenset inter impedimenta gradus *minoris* consanguinitatem « in tertio gradu lineae collateralis ». Can. 96, § 3 hanc tradit normam supputandi gradus: « In linea obliqua, si tractus uterque sit aequalis, tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae; si duo tractus sint *inaequales*, tot gradus quot generationes in tractu *longiore* ».

Quibus praemissis, statim animadvertendum censemus, auctores diversimode opinari. Alii quippe dicunt esse impedimentum gradus minoris, alii gradus maioris. Qui postremam sententiam amplectuntur, his praesertim rationibus innituntur:

1° Ante Codicem, nonnisi perquam raro et solum ex causa gravissima dispensatio concedi solebat a

(1) Cfr Arendt, in *Ephem. theol. Lovan.* 1924, I, p. 174 ss.; Creusen, in *Nouvelle Revue théol.*, 1923, 88 ss.; Wernz-Vidal, IV, n. 637.

S. Sede super impedimento consanguinitatis in tertio vel quarto gradu lineae collateralis tangente primum.

2⁰ Can. 1042, § 1 stricte interpretandus est. Atqui in eo consanguinitas dicitur impedimentum gradus minoris « in tertio gradu lineae collateralis », sine ulla additione. Igitur verba sunt accipienda ut sonant, cum aliud sit « in tertio gradu lineae collateralis », et aliud « in tertio gradu lineae collateralis, tangente etiam primum ».

3⁰ Can. 96, § 3 tradit normam generalem, quae huc non spectat, cum impedimentum consanguinitatis in primo gradu lineae collateralis longe probabilius sit iuris naturalis secundarii.

Fatemur rem esse dubiam; nihilominus, omnibus mature consideratis, sententia quae affirmat impedimentum in casu esse gradus minoris videtur speculative praeferenda.

Allatae rationes non valent. — Non *prima*, quia verum non est, ante Codicem nonnisi perquam raro et solum ex causa gravissima S. Sedem solitam fuisse concedere dispensationem super impedimento consanguinitatis in tertio vel quarto gradu lineae collateralis tangente primum. — Non *altera*, quia nulla est ratio cur praescriptum can. 1042, § 1 dicatur stricte interpretandum; imo, attentis canonibus 19, 50 et 85, contrarium dicendum est. — Non *tertia*, quia norma generalis tradita in can. 96, § 3 huic quoque casui applicari debet, cum lex nullam restrictionem aut exceptionem statuat.

Nihil profecto ad rem refert quod impedimentum consanguinitatis in primo gradu lineae collateralis longe probabilius sit iuris naturalis secundarii. Si id forte obstaret, obstaret etiam qua impedimentum gradus maioris: quod ne ipsi quidem patroni alterius opinionis affirmant.

Donec authentice aliud declaratum non fuerit, exposita sententia tuto retineri potest. Proinde, ad nor-

mam can. 1054, dispensatio ab impedimento consanguinitatis in tertio gradu lineae collateralis tangente primum, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit.

III.

Utrum ex infusione sanguinis de corpore unius in corpus alterius oriatur consanguinitas ideoque impedimentum matrimoniale dirimens.

1. Nonnullae ephemerides de hoc casu recentissime egerunt eumque novum, ex progressu modernae scientiae physiologicae ortum, dixerunt. Sed veteres medicos et canonistas huiusmodi casus non effugit, v. gr. ZACCHIAM, SCHMIER, KÖNIG, etc.

2. Mirandum profecto, recentissimos auctores serio quaerere utrum ex infusione sanguinis de corpore unius in corpus alterius oriatur consanguinitas proprie dicta atque proinde impedimentum matrimoniale dirimens annon. Ipsemet genuinus consanguinitatis conceptus quamcumque dubitandi rationem prorsus removet. Sane consanguinitas, ut communiter definiunt Doctores cum S. THOMA (1), est: « Vinculum seu propinquitas personarum quae ab eodem stipite, sive propinquo progenitore, aut earum una ab altera *per carnalem propagationem* descendunt » (2).

Quod expresse ac perspicue tradit can. 96, § 1, loquens de consanguinitate: « In linea recta, tot sunt gradus quot *generationes*... In linea obliqua, si tractus uterque sit aequalis, tot sunt gradus quot *generationes* in uno tractu lineae; si duo tractus sint inaequales, tot gradus quot *generationes* in tractu longiore ».

(1) In IV, D. 40, q. un. art. 1.

(2) Cfr. SCHMALZGRUEBER, lib. IV, tit. 13, n. 7; SANCHEZ, *De matrimonio*, lib. VII, disp. 50, n. 1; PIRHING, lib. IV, tit. 13, n. 2 ss.

Igitur consanguinitas, quae impedimentum dirimens matrimonium constituit, ne concipi quidem potes sine *generatione* seu *carnali propagatione*.

IV.

Quomodo sint intelligenda verba can. 947, § 1 : « salva obligatione singulas unctiones supplendi, cessante periculo ».

1. Vox *periculi* non est intelligenda tantum de periculo mortis infirmi, sed de quocumque periculo etiam forte ipsi ministro imminente ; sive ex incendio aut alluvione aut incursione hostium sive ex terrae motu aliave causa provenerit. Intelligi debet etiam de cessatione *articuli* mortis proprie dicti, ita ut maneat solummodo *periculum*. Magnum quippe est discrimen inter articulum et periculum mortis (1).

Igitur verba : « *cessante periculo* » triplici sensu accipi seu triplici in casu verificari possunt : 1^0 si cesset *articulus* mortis, sed maneat adhuc *periculum* eiusdem ; 2^0 si maneat periculum mortis quoad infirmum, sed cesset quoad ministrum conferentem sacramentum, v. g. occasione incendii, alluvionis, etc. ; 3^0 generatim, « *si tempus adsit* » seu suppetat, ut dicitur ex. gr. in can. 759, § 1 de baptismo collato in periculo mortis.

2. Obligatio supplendi ceteras unctiones gravis dicitur a nonnullis, cum agatur de integritate sacramenti. Sane, aiunt, preces ante et post unctiones recitandae urgent sub gravi, nonne a fortiori gravitas obligationis asserenda est quod unctiones supplendas ?

De huiusmodi gravitate obligationis non constat, ideoque benignior sententia tenenda. Istae unctiones suppleri debent absolute, non autem condicionate, cum non iteretur sacramentum, sed solum perficiatur.

(1) Cfr. CAPPELLO, *De sacramentis*, I, n. 481.

3. *Rituale Rom.* haec habet: « Si quis autem laboret in extremis, et periculum immineat, ne decedat antequam finiantur unctiones, cito ungatur, incipiendo ab eo loco: *Per istam sanctam unctionem,* etc., ut infra: deinde, si adhuc supervivat, dicantur orationes praetermissae, suo loco positae. Si vero dum inungitur infirmus decedat, presbyter ultra non procedat, et praedictas orationes omittat. Quod si dubitet an vivat adhuc, unctionem prosequatur, sub condicione pronuntiando formam, dicendo: *Si vivis, per istam sanctam unctionem* etc., ut infra » (1).

Haec verba sat clara non videntur, eaque omnem dubitandi rationem nullatenus excludunt. Proinde nonnulla animadvertenda:

1. Si, dum sacerdos recitat preces ante unctiones, immineat periculum ne infirmus decedat antequam ungatur, omittendae sunt preces et statim faciendae sunt unctiones; vel, necessitate urgente, unica unctio fiat in fronte. Quod practice, in hisce rerum adiunctis, vix non semper erit faciendum.

2. Si periculum gravissimum mortis superveniat post primam vel alteram unctionem, statim in fronte moribundus ungendus est; postea prosequendae sunt aliae unctiones.

3. Si mors superveniat, item post primam vel alteram unctionem, vel dum recitantur preces ante unctiones, statim unica unctio facienda est in fronte. Idque sub gravi, nostra sententia; quia licet Titius videatur iam mortuus, nihilominus vere mortuus adhuc non est. Agitur quippe de paucis minutis seu de uno aliove momento. Porro, secundum communem ac certam peritorum doctrinam hodie receptam, a statu mortis *apparentis* ad momentum mortis *realis* saltem duo vel tria minuta (iuxta multos, complura) procul du-

(1) Tit. V, cap. 1, nn. 12, 13, 14.

bio decurrunt. Tempore intermedio sacramentum extremae unctionis potest profecto imo et debet ministrari.

4. Hinc patet quomodo intelligenda sint verba *Ritualis Rom.* (l. c.): « Si vero dum inungitur, infirmus decedat, presbyter ultra non procedat, et praedictas orationes omittat ».

Si, dum inungitur, scil. post primam vel alteram unctionem, ut supra, infirmus decedat seu decedere videatur, statim in fronte ungendus est. Si mors superveniat post plures iam factas unctiones, aliae possunt omitti, cum constet de sacramenti valore. At possunt quoque suppleri, additis etiam ceteris orationibus, secundum ea quae modo (n. 3.) tradita sunt. Quare vox « *omittat* » praeceptum nequaquam significat, sed tantum obligationem excludit.

5. Difficultate non carent seu carere non videntur cetera verba *Ritualis Rom.* (l. c.): « Quod si dubitet an vivat adhuc, unctionem prosequatur, *sub condicione* pronuntiando formam »

Haec verba cum praecedentibus coniungenda sunt. Consideratur scil. alia hypothesis. Si dum infirmus inungitur, in eam condicionem labatur ut dubium existat utrum adhuc vivat necne, Rituale dicit unctiones esse prosequendas *conditionate.*

Practice ita rectius procedendum, ut supra. Si, dum inungitur i. e. post primam vel alteram unctionem, infirmus labatur in praedictam condicionem, illico in fronte ungendus est. Qua facta unctione, minister prosequi debet ceteras unctiones, sed absolute, non autem sub condicione, cum sacramentum sit iam collatum. Si, contra, infirmus in dictam condicionem labatur post plures factas unctiones, necesse non est ut minister ungat in fronte, cum sacramentum, pluribus factis unctionibus, iam sit valide collatum; nihilo minus prosequi debet unctiones, sed absolute, non autem condicionate: *tum* quia ex supra dictis mors *realis*

nonnisi post aliquot minuta revera accidit, *tum* quia, si plures unctiones iam factae fuerint, ceterae solum ad integritatem sacramenti praescribuntur.

FELIX M. CAPPELLO S. I.

Nova Bulla Cruciatae pro Hispania

1928-1940

I. Notiones et notae historicae.

1. *Hispana Bulla Cruciatae*, seu diploma Pontificium, plurimas indulgentias et alias gratias Apostolicas, simul cum utilibus privilegiis et dispensationibus quoad abstinentiae et ieiunii legem, continens, habetur pro hispanis tanquam insigne monumentum perpetuae ipsorum Cruciatae contra Religionis Catholicae inimicos, praesertim per octo fere saecula contra acerrimos Mahometi sectatores.

Bulla dicitur ob formam diplomatis durante medio aevo (1), etsi deinceps a saeculo XVI eiusmodi Indulta generatim Brevi Pontificio promulgantur.

2. Incepit privilegium hispanum Cruciatae tempore Urbani II (2), magnanimi expeditionum militarium contra infideles promotoris in Concilio Claromontano, a. 1095; atque iteratum fuit sub sequentibus RR. Pontificibus Gelasio II, Calixto II, Eugenio III saec. XII, Innocentio III et Gregorio IX (3), Benedicto XII ac Clemente VI saeculis XIII et XIV (4).

3. A saeculo XVI, Bulla quae prius, occasione belli gerendi contra infideles, Hispaniae Regnis inter-

(1) Bulla Callixti II, « Pastoralis » 2 april. 1122. — Cf. IAFFÉ, Regesta Pont., n. 7111; Bull. Rom. ed. Taurinen., II, 323.

(2) IAFFÉ, l. c., n. 5401.

(3) IAFFÉ, l. c., nn. 7111; 9355; POTHAST, Reg. 19, 156.

(4) F. LLAMAZARES, *Historia de la Bula de la Santa Cruzada*, c. II et ss.

dum solummodo ab Apostolica Sede, sub diversis indulgentiarum modis, redigebatur, stabilem quandam acquisivit formam tum quoad privilegiorum ambitum, tum quoad periodicam et nunquam intermissam concessionem.

Indulgentiis ac gratiis spiritualibus accesserunt sub Pio IV facultates pro absolutione peccatorum et censurarum, et indulta quoad usum lacticiniorum et ovorum in Quadragesima (1), aliquatenus restricta a Pio V, postea vero amplificata ab Urbano VIII, a. 1624, et potissimum a. 1778 a Pio VI, qui alia privilegia addidit, sub nomine Indulti quadragesimalis, pro usu carnium in plerisque per annum ieiunii et abstinentiae diebus (2).

4. Hisce privilegiis et gratiis, annexis etiam pluribus aliis, a. 1915, a BENEDICTO XV quoad ieiunium et abstinentiam exemptionibus, completur Hispana Cruciatae Bulla.

Indultorum istiusmodi duratio etiam varia exstitit. Ineunte saeculo XVI, concessio fiebat singulis annis aut bienniis; exeunte autem eodem saeculo, singulis sexenniis; sub Pio VI et Pio VII per viginti annos; deinceps, sub Pio IX, Leone XIII et Bened. XV, prorogatio ad duodecim portendebatur annos.

5. Post Codicem Iuris Canonici, cum plura Hispanae Bullae privilegia et iuris communis mitigationes recenseantur inter favores legis generalis pro universa Ecclesia; oportuit aliqua supprimere ex antiquo Bullae diplomate et alia adiungere secundum scopum prioris Indulti.

6. Cuncta perspicue exprimuntur a regnante Pontifice PIO XI in Brevi Apostolico PROVIDENTIA OPPORTUNA, 15 Aug. 1928, *de Bulla Cruciata ad Alphonsum XIII, Hispaniarum Regem Catholicum* (3).

(1) REX⁰. ms. de Bulas de la Santa Cruzada, I., fol. 36. ap. *Archivo de Cruzada*, Madrid.

(2) HERNÁEZ, S. I., *Colección de Bulas*... I, 841

(3) *Acta A. Sed.*, XXI, 12.

II. Indoles novae Bullae Cruciatae.

Eius ambitus.

7. Septem in ea enumerantur Indulta: quoad *indulgentias, divina officia et sepulturam, confessionem et votorum commutationem, dispensationem ab irregularitate et ab impedimentis affinitatis et criminis, beneficiorum convalidationes et compositiones, legem abstinentiae et ieiunii, ac oratoria privata.*

8. Gratiae et facultates septem Indultorum ad praxim dispertiuntur ab Eminentissimo Commissario in *quinque praecipua Summaria:* 1) *Summarium generale Cruciatae* sub duplici forma (pro clericis et laicis); 2) *Summarium Indulgentiae plenariae pro defunctis;* 3) *Summarium seu Bulla compositionis;* 4) *Summarium Indulti abstinentiae et ieiunii;* et 5) *Summarium de oratoriis privatis.*

Extensio Bullae.

9. Comprehendit omnes fideles « qui in Hispaniarum territorio *versantur* vel in alio quocumque Hispanicae ditioni subiecto », vel etiam, ut in Litterarum Apostolicarum clausulis apponitur, « Christifideles in Hispaniarum regno et in locis civili ipsius regni Gubernio subiectis *degentes* », qui praedicta Summaria accipiunt et pro vario ipsorum gradu et condicione taxatam eleemosynam persolvunt.

10. Nec obstat quod suscipientes Summaria Hispani non sint, nec quod transeunter in Hispania reperiantur absque acquisitione domicilii aut quasidomicilii aut cuiuscumque stabilis commorationis; nam privilegiis Cruciatae frui valent ex dictis quicunque « *degentes* in Hispaniarum regno » vel « qui in eo *versantur* » etiam brevissimo tempore, quin attingant condicionem legalem residentium, sed meram transeuntium absque ulla inscriptione in regestis civilibus aut consularibus.

11. Legationes hispanae apud exteras nationes et naves hispanae ubicumque versentur, *fictione iuris,* ad privilegia Bullae Cruciatae, existimantur tanquam loca nationalia seu obnoxia Gubernio hispanico (1).

12. Bullam Cruciatae in Hispania accipientes dum in ea *versentur* modo dicto, possunt uti omnibus eiusdem privilegiis *extra Hispaniam,* etiam quoad abstinentiam et ieiunium, vitato scandalo. Quod speciale Indultum habetur ex novo per concessionem expressam Benedicti XV et regnantis Pontificis Pii XI; nam ante annum 1915 excludebatur extra Hispaniam usus talium privilegiorum quoad abstinentiam et ieiunii leges (2).

Bullae exsecutio.

13. Commissarius Apostolicus et exsecutor Indultorum Bullae, ex articulo vigentis Concordati cum Hispania, a. 1851, et vi mandati Apostolici in Brevi Pii XI, est Eminentissimus Cardinalis Primas Hispaniae, Archiepiscopus Toletanus; ad quem omnia quae ad Indultorum distributionem ac facultatum communicationem et subdelegationem privative spectant, itemque universa quae ad eleemosynarum administrationem referuntur.

Bullae publicatio et duratio.

14. Duplex Indultorum publicatio agnoscitur: alia generalis Brevis evulgatio in lingua vernacula immediate post eius concessionem, alia sollemnis singulis annis in dioecesibus iuxta formam pro tota Hispania servatam a saeculo XVI ex Gregorii XIII ordinatione.

15. Duplici sic dictae publicationi duplex etiam respondet duratio. Concessio generalis Pontificia ex-

(1) AA. passim. Cfr Marc, Instit. Alph., 1911, II in Comment. de Bulla Cruciatae, cap. 1, n. 11.; Arregui, Summ. Theol. Mor., n. 960; Ferreres, Comp. Theol. Mor., II, 1343.

(2) *S. Offic.,* 2 iunii 1897.

tenditur ad duodecim annos, enumerandos a I Dominica Adventus a. 1928; sed communicatio diversorum Indultorum, fidelibus facta, habebitur ex Pontificio mandato per singulos annos, computandos a die peractae particularis publicationis usque ad diem novae subsequentis in loco ubi quis versatur, addita praeterea, pro maiori Christifidelium commoditate, prorogatione unius mensis post annum sic computatum.

Requisita ad usum Indultorum.

16. Degentibus in territorio aut loco hispanae ditionis sufficit annualis solutio eleemosynae et acquisitio diversorum Summariorum quae eduntur ab Eminentissimo Commissario, quin opus sit inscribere nomen acquirentis nec ea secum habere aut conservare.

17. Pro Indulto abstinentiae et ieiunii, necesse etiam erit habere Summarium generale Cruciatae et eleemosynam assignatam solvere.

Verum pauperes, nimirum ii qui « laborare debeant ad propriam ac familiae sustentationem, quamvis aliqua bona possideant et toto salario non indigeant » (1), his privilegiis abstinentiae et ieiunii uti valent, quin praedictum Summarium accipiant nec aliquid pecuniae in hunc finem largiantur. Tenentur autem ad sumenda alia Indulta si gratiis in eis contentis, v. g., indulgentiis, frui voluerint.

III. — Indultorum summaria quinque.

1. *Summarium generale Cruciatae.*

18. Complectitur fere omnes gratias et facultates Apostolicas trium priorum Indultorum Brevis « *Providentia opportuna* » Pii XI, sc., Indultum Indulgentia-

(1) *S. Off.*, Decr. 7 dec. 1892, alleg. in Act. A. Sed., II, 116; et *S. C. Conc.*, 23 ian. et 4 iulii 1910, in GERUNDEN. Act. Apost. Sed., l. c. et pag. 583-584.

rum, divinorum officiorum et sepulturae, ac confessionis et commutationis votorum.

A. Indulgentiae.

19. *a)* Cum condicionibus consuetis, duplex plenaria in anno, diebus ad arbitrium indultarii.

b) Indulgentia 15 annorum et totidem quadragenarum, toties quoties lucranda, et participatio omnium piorum operum quae in Ecclesia militante fiunt, pro quovis ieiunio libere suscepto, vel si ieiunium fieri non possit, pro alio pio opere ad arbitrium Ordinarii, parochi aut confessarii.

c) Indulgentiae sacrarum Stationum Urbis iuxta Rescriptum S. C. *Indulg.* 9 iulii 1777 *(Rescripta authent.*, n. 313.).

Omnes praedictae Indulgentiae sunt applicabiles pro defunctis, iuxta hoc Breve et can. 930 Cod. I. C.; atque partiales enumeratae possunt elevari ad plenarias, mediante confessione et communione iuxta can. 931.

d) Indulgentia plenaria in articulo mortis, confessione et communione vel saltem, si aliud fieri non possit, contrita invocatione nominis Iesu, et patienti mortis acceptatione in peccati poenam.

B. Divina officia et sepultura.

20. Non obstante interdicto locali, qui non dederint causam interdicto vel eius durationi, nec fuerint excommunicati aut personaliter interdicti sententia condemnatoria aut declaratoria, possunt celebrare per seipsos si fuerint sacerdotes, vel per alios et in sua praesentia iubere celebrationem missae aliorumque officiorum, et sacramenta recipere, ianuis clausis; atque cum moderata pompa sepeliri in loco sacro.

C. Recitatio Matutini cum Laudibus.

21. Omnes ecclesiastici sive saeculares, sive religiosi, recitatis vesperis et completorio, matutinum cum

laudibus sequentis diei pridie, immediate post meridiem, recitare possunt.

Agitur de privata officii divini recitatione, non in choro. — Clausula « recitatis vesperis et completorio » non afficit validitatem in usu privilegii, sed solum liceitatem, cum aliqua causa desit ad inversionem ordinis in recitatione horarum canonicarum. Nam eiusmodi clausulae, per ablativum absolutum expressae in Facultatibus Apostolicis vel in Indultis generalibus huic similibus, non sunt aestimandae tanquam *essentiales* pro usu valido concessionis, nisi aliunde contraria mens concedentis fuerit manifesta (1).

D. Confessio et commutatio votorum.

22. *a)* Quoad *absolutiones,* conceditur ut omnes, etiam regulares utriusque sexus, licet expressa et individua mentione digni et quovis efficaciori privilegio excepti, absolvi tantum in foro conscientiae possint, iniunctis de iure iniungendis, semel in vita seu extra mortis periculum, et semel in mortis periculo intra annum concessionis; vel bis in utroque casu si duplex Summarium sumatur, a quovis confessario sibi libere electo inter approbatos (pro utroque sexu si de monialibus et quibuslibet aliis mulieribus agatur) ab Ordinario loci, a peccatis et censuris cuiuscunque et quocunque modo, etiam speciali, *non vero specialissimo,* reservatis a iure vel ab homine; ita ut vi praesentis concessionis, de speciali gratia, sic absoluti deinde ad alium quemcumque Superiorem recurrere non teneantur.

In hac concessione facultas quoque comprehenditur absolvendi a casu falsae denuntiationis de crimine sollicitationis, de quo in canone 894 Codicis I. C.;

(1) Can. 39 Cod. I. C.; AA. passim; Putzer, *Comm. in Fac. Apost.*, ed. 5., n. 13; Iglesias, O. F. M., *Brev. Comm. in Facult.* 1924, n. 52; Vromant, *Facult. Apost.*, 1926, n. 107.

sed confessarius electus, a tali crimine non absolvat nisi ad normam canonis 2363 ipsius Codicis.

Quattuor vero censurae *specialissimo* modo reservatae S. Sedi, ad normam tantum canonum 2252 et 2254 Codicis I. C. absolvi poterunt.

23. *b)*. Conceditur praeterea ut confessarius electus, ut supra, in solo conscientiae foro, etiam extra sacramentalem confessionem, possit omnia *vota privata*, in quibus ius quaesitum tertio non sit, atque exceptis votis perfectis castitatis perpetuae et religionis, post completum decimum octavum aetatis annum emissis, in alia pietatatis opera *dispensando commutare*, iisque adiungendo aliquod subsidium transmittendum ad Bullae Apostolicum exsecutorem ad fines statutos adhibendum (1).

E. — Summarii generalis classes.

24. 1ª : Pro personis *illustribus* ecclesiasticis et saecularibus, cum taxa quinque *pesetarum*, assignata ab Emmo. Commissario, 1. nov. 1929.

2ª : Pro ceteris Christifidelibus, cum taxa septuaginta et quinque centesimarum unius *pesetae*.

2. — Summarium Defunctorum.

25. Hoc Summarium continet indulgentiam plenariam, applicabilem alicui defuncto ab eo qui illud sumat dando eleemosynam *0,75 pes.*; adimplendo consueta requisita confessionis et communionis, ac praeterea pro anima defuncti orando, v. gr., dicendo « *Pater noster* ».

In hodierno Indulto iam non est necesse orare ante cadaver illius in cuius suffragium indulgentia applicatur.

Qui duplex Summarium acceperit, iterum plena-

(1) Sic ex textu Bullae in *Act. Apost. Sed.*, XXI, 16 et 17.

riam indulgentiam pro eodem vel alio defuncto lucrari valet.

3. Summarium Compositionis.

Eius fundamentum.

26. Hocce privilegium duobus nititur principiis. 1°. Qui mala fide retinet bona aliena, nesciens cuius illa fuerint, vel illorum dominum invenire non valens, tenetur ea impendere in eleemosynas pauperum vel causas pias. — 2°. Romanus Pontifex, utpote administrator supremus bonorum ecclesiasticorum et causarum piarum (can. 1518 Cod. I. C.), potest ob iustum motivum, speciatim si fuerit ordinis spiritualis, v. g., ad conscientiae tranquillitatem fidelibus procurandam, condonare partem bonorum alienorum, quae, ut dictum est, ad pia opera essent restituenda (1).

Hoc fundamento nititur indultum compositionis.

Modus privilegii.

27. Non omnes facultates Eminentissimo Commissario datae communicantur in praesenti Summario; sed duae tantummodo, prout referuntur in nn. III et IV. huius capitis in Brevi Pontificio (2).

1ª in favorem ecclesiasticorum. — Omnes beneficiati obtinere valent compositionem quoad fructus beneficiales restituendos ob omissionem officii divini vel aliarum obligationum, quae inferat onus restitutionis, v. g. ob defectum residentiae. — Excluditur ab hoc favore onus restitutionis ob missas non celebratas (3).

2ª in favorem fidelium. — Conceditur compositio omnibus ob iniuste ablata, acquisita, quocunque modo

(1) Lugo, de Iust. et I., disp. 21, n. 91, sq.

(2) Numeri I et II, quoad revalidationem titulorum beneficialium et condonationem fructuum, bona fide perceptorum, pertinent ad facultates quas sibi reservat Eminentissimus Commissarius.

(3) Pro compositione in omissione missarum, recursus erit pro casibus occultis ad S. Paenitentiariam; pro pubblicis vero, ad S. Cong. Concilii.

retenta, quavis forma, cum hac duplici condicione: 1) si id in confidentiam Indulti factum non fuerit; et 2), si adhibita diligentia, incertus sit dominus, vel quamvis certus sit reperiri non possit.

28. Requisita adeo clara sunt, ut nulla indigeant interpretatione. Tantummodo erit animadvertendum, facta compositione post debitas informationes, quamvis deinde debiti creditor comparuerit, iuxta sententiam probabiliorem, nihil esse eidem restituendum. Nam Ecclesia, vi suae supremae iurisdictionis habet potestatem perficiendi tales compositiones, commutationes et condonationes in salutem et quietem animarum (1).

Compositionis forma.

29. 1) In pecuniae summis quae non excedant 100 pesetas acquiruntur Summaria edita a Commissaria Cruciatae solvendo taxam 10%: sc., Summarium unius *pesetae* pro serie 10 *peset.* quae restitui deberent.

2) Cum quantitas debita excedit 100 *pesetas,* aut si in inferioribus summis habetur specialis difficultas solvendi iuxta taxam, recurrendum erit ad Eminentissimum Commissarium, qui statuet in casu proportionem solutionis, vel eam imminuet, aut forte ob gravissimam difficultatem, liberaliter, prout SS. Pontifex monet, totaliter condonabit.

Semper recursus pro compositione fieri potest mediante confessario et tacito nomine debitoris.

4. *Summarium abstinentiae et ieiunii.*

A. *Privilegia ex nova Bulla quoad personas.*

30. 1) *Indultum personale:* Favet omnibus fidelibus hispanis aut exteris, qui versentur licet per parum temporis in Hispania vel in territorio subiecto hispanae di-

(1) Lugo, l. c., disp. 21, sect. 7; Ballerini-Palm., Op. Theol. Mor., III, 533; Arregui, l. c., n. 970; Génicot-Salmans, Inst. Theol. Mor., I, 558.

tioni, etiam in eius legationibus aut navibus, ut supra dictum fuit n. 9-11.

Iidem indultarii, vitando scandalum, uti privilegio valent deinde in aliis nationibus.

Ad eiusmodi indultum obtinendum haberi debet etiam indultum seu Summarium generale Cruciatae.

31. 2) *Indultum collectivum seu familiare:* Valet pro sex personis e familia (exceptis eis quae debeant habere summarium singulare primae aut secundae classis); et extenditur ad quoslibet familiares, hospites ad brevissimum tempus et commensales; omnesque sortitur effectus si a matrefamilias sumatur.

32. 3) *Privilegium pauperum.* — Quod abstinentiam et ieiunium spectat, pauperes sensu supra explicato n. 17, quin summaria acquirant nec ullam eleemosynam largiantur, iisdem indultis fruuntur. Ad indulgentias vero aliasque gratias spirituales, summaria respectiva necessaria sunt.

33. 4) *Regulares,* qui ex *speciali voto* toto anno esurialibus cibis vesci debent, ab eiusmodi indulto *quoad abstinentiae legem* excluduntur, non autem quoad praeceptum ieiunii (1).

B. *Ambitus Indulti quoad obiectum legis.*

34. 1) Praeter ea quae permittuntur iure communi, can. 1250 Cod. I. C., relate ad quaecumque condimenta ex adipe, ex nova Bulla omnibus absolute etiam ieiunantibus quacumque die ac refectione lacticinia, ova et pisces comedere licet.

2) *Abstinentia a carne et iure carnis absque ieiunio* servanda est *tribus diebus:* feriis sextis quattuor Temporum Pentecostes, Septembris et Adventus.

3) *Abstinentia a carne et iure carnis cum ieiunio*

(1) Mostaza in collectione « *Quaestiones canonicas de Sal Terrae* », vol. II, p. 674-683.

servanda *decem diebus,* scilicet: septem feriis sextis Quadragesimae, et Vigiliis Pentecostes, Assumptionis B. M. et Nativitatis Domini. Haec Vigilia anticipatur et remittitur ad sabbatum praecedens quattuor Temporum Adventus.

4) *Ieiunia,* praeter decem antea enumerata et servanda cum abstinentia, *quattuordecim alia* tantum et sine abstinentia habentur, nimirum: feris IV et sabbatis Quadragesimae.

Remanent proinde in anno pro habentibus Indultum *viginti et quattuor dies ieiunii.*

C. *De quantitate alimentorum in refectiunculis.*

35. Iuxta probatos AA. ac secundum benignam interpretationem est iudicandum; nam indoles vigentis disciplinae generalis ac speciatim novi Indulti pro Hispania est certissime favorabilis (1).

D. *Dispensatio abstinentiae et ieiunii.*

36. In praecedentis Bullae concessione a Benedicto XV amplior potestas ad dispensandum tribuebatur confessariis; nunc vero supprimitur eiusmodi facultas, fortasse ex eo quod ad usum fidelium sufficere videtur illa quae per Codicem I. C. datur Ordinariis locorum, parochis et superioribus religionis clericalis exemptae ad normam canonis 1245.

Ceteri sacerdotes, ut dispensare valeant, egent speciali delegatione Apostolica.

E. Indulti species diversae.

37. Tres enumerantur pro Indulto singulari: prima pro Ecclesiae Praelatis, primariis magistratibus ac personis nobilibus; eiusque assignata eleemosyna est *decem pesetae;* altera pro ecclesiasticis dignitatibus et secundariis magistratibus, atque ipsius taxa est *quat-*

(1) M. Mostaza in eadem collectione, II, p. 651-667.

tuor pesetae: tertia denique pro ceteris personis ex clero et populo cum eleemosyna *0,75 pesetae.*

Indultum collectivum est unicum pro sex tantum personis quae non teneantur iuxta dicta ad sumendum Indultum primae aut secundae classis. — Eius taxa: *quinque pesetae.*

5. *Summarium Oratorii.*

38. Non est Indultum erigendi oratorium domesticum; sed quaedam veluti eius *extensio:*

1) *quoad sacerdotes* ut in quovis oratorio, pro aliis personis legitime constituto, possint ipsi quotidie, excepto triduo maioris Hebdomadae, missam celebrare;

2) *quoad fideles*, ut, approbante Ordinario locali, valeant iubere Sacri celebrationem in quocumque oratorio privato, etiam alieno; et ibidem ipsi missae praeceptum festivum adimplere.

Taxa pro Indulto: *quattuor pesetae.*

IV. **Faculates Eminentissimi Commissarii.**

39. 1) Archiepiscopus Toletantus Hispaniae Primas, Apostolicus Bullae Exsecutor, potest Bullam Cruciatae in vernaculam linguam convertere; atque Indulta et alias Pontificias gratias in diversa Summaria distribuere, assignando taxam pro singulis solvendam, sicque disposita compendia oretenus aut scripto et typis impressa publicare.

2) Similiter potestatem habet Ordinariis localibus facultates acceptas subdelegandi.

40. 3) Dispensare valet, imposita aliqua eleemosyna pro finibus statutis, super irregularitate cum iis qui censura ligati missam celebraverint aut alia divina officia peregerint, non tamen in contemptum clavium, et ex ordinis non debiti exercitio ante susceptum presbyteratum; necnon super irregularitate ex defectu legitimorum natalium, dummodo de adulterinis

et sacrilegiis non agatur, ad susceptionem tonsurae et omnium ordinum usque ad sacerdotium inclusive; et super alia qualibet irregularitate ex delicto, exceptis irregularitatibus ex homicidio voluntario etiam occulto aut apostasia a fide, aut ex haeresi, vel alio delicto scandalum in populum generante; atque exceptis irregularitatibus ad S. Officium pertinentibus.

41. 4) Etiam valet Eminentissimus Commissarius dispensare ab impedimento publicae honestatis cuiuscumque gradus; atque ab occulto impedimento criminis, neutro machinante. Recursus ad Eminentissimum Commissarium in hoc ultimo casu fieri potest sub fictis nominibus contrahentium.

42. 5) Item potest convalidationem concedere super titulum cuiuscunque ecclesiastici beneficii, si bona fide beneficiatus in illius possessionem immissus fuerit, excluso tamen casu quando collationis seu institutionis nullitas ex simonia procedat.

43. 6) Exsecutor pollet insuper potestate ad remittendos fructus bona fide perceptos in casu praecedenti, imposito congruo subsidio ad finem a Sancta Sede statutum.

7) Committitur Em.mo Praesuli Toletano concessio compositionis pro laicis et clericis, prout supra declaravimus, n. 26 sq.

V. Eleemosynarum Bullae destinatio.

44. Praeter summas assignatas ex Concordatis cum Sancta Sede ad sustentationem Nuntiaturae Apostolicae, et oblationes Basilicis Vaticanae et Lateranensi quotannis mittendas, ceterae eleemosynae Summarii Cruciatae ad ecclesiarum cultum dedicantur.

45. Quae vero obtinentur ex Indulto abstinentiae et ieiunii, in pauperum subsidium, et potissimum ad augendam Seminariorum dotationem, sub directione Episcoporum, ex integro distribuuntur.

CONCLUSIO

46. Ex dictis clarissime patet magnum quidem in hispanica Bulla Cruciatae adesse Indultum Apostolicum, at minime exorbitans atque arbitrarium privilegium, ut quibusdam scriptoribus non hispanis, levi calamo hanc rem versantibus, fortasse videri possit.

E contra, indultum hispanum gravissimis fundamentis historicis et iuridicis atque etiam motivis vere remuneratoriis innititur; simulque pro hispanis Episcopis ac fidelibus effert elenchum facultatum ministerialium et dispensationum Apostolicarum, quibus Praesules et populi aliarum nationum, via sane diversa sed analoga forma, in quibusdam ampliori ambitu, fruuntur, pro suis cuiusque vitae rationibus, ex benigna SS. Pontificum periodica etiam concessione.

Quam ob rem hic repetere liceat « *Absit invidia verbo* », sc., hispanorum Cruciatae Indulto. Nam, ut recte Petrum Cluniacensem iam monebat S. Bernardus (1): « *Cum omnem pene numerum excedat multiplicitas Ecclesiarum sub una fide et eadem caritate Deo famulantium, tanta pene apud eas invenitur varietas usuum quanta infinitas est locorum...*

...Relinquent ergo omnes istae Ecclesiae caritatem quia mutaverunt consuetudinem? Non ita sensit vita et verbo Doctor Ecclesiae Ambrosius... Quando Romae sum, ieiunium a Romana Ecclesia servatum custodio; quando Mediolani, morem eiusdem Ecclesiae sequens, non ieiuno ». Itemque Augustinus ad Ianuarium: « *Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter habendum, et pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est* » (2).

MICHAEL MOSTAZA, S. I.

(1) Epist. 228 ap. MIGNE. Patres lat., 182, col. 402.
(2) Epist. 54 ap. *Decret. Grat.*: Can. 11, Dist. XII.

De absolutione recidivorum in missione.

Species facti. In longinqua missionum regione, populus semi-barbarus et in caeno vitiorum ita immersus ut moraliter omnes lue venerea sint infecti, opera missionariorum, magnam partem ad fidem catholicam convertitur. Sed, ob promiscuitatem qua sub eodem tecto vivunt personae diversi sexus, in permanente occasione proxima versari dicendi sunt.

Baptizati adulti satis frequenter ad sacramenta accedunt.

Ex ista frequentatione missionarii observant lentam quidem, constantem tamen moralem populi ascensionem. Sed, ut facile intellegitur, moraliter omnes relabuntur in peccata quae accusarunt, ita ut simul occasionarii et recidivi dicendi sint.

In istis adiunctis, suntne singulis vicibus dimittendi cum absolutione, an est ipsis absolutio differenda?

Ut quaestionem istam prudenter solvamus, haec pauca recolenda videntur.

1. Absolvendus non est qui non possit prudenter iudicari dispositus, i. e. ille quem non sincere paeniteat peccasse, vel propositum firmum non habeat non peccandi de cetero.

Firmitas autem istius propositi in hoc est, ut in nulla occasione, pro nullo motivo, grave peccatum iterum committere ullatenus velis.

2. Firmitas autem ista non dicit futuram propositi immobilitatem, sed mere praesentem voluntatem quae non repugnat diversae voluntati futurae.

Ut aliis utamur verbis; Peccavitne denuo recidivus vi voluntatis quam tunc habebat quando absolutionem petebat? In isto casu debita dispositione carebat.

Si vero *ex nova voluntate* peccavit, iste relapsus non obstat sufficienti dispositioni; et, sicut ait LUGO, non minus decima vice quam prima absolvi potest.

Iam vero in populo semi-barbaro, et in mediis occasionibus necessariis mutatio voluntatis facillime explicatur; nec dilatio absolutionis seriam spem praebet firmioris propositi in futurum.

Rursus autem, cum accedunt cum vera fide ad accusanda peccata, et iam per se et per confessarii exhortationem, longe tunc ab occasione versantes, sincerum propositum satis facile capere possunt non peccandi de cetero.

Dein progressus moralis qui cernitur, nonne est indicium bonae dispositionis?

Quare pergant missionarii exemplo et praedicatione christanos morem inculcare; tum correptione, tum laude, si progressus quidam fuerit, ad meliora excitent; ac misericorditer absolvant recidivos, ne animo cadant, sed ut refecti ss. eucharistia paulatim robur christianum adipiscantur.

A. VERMEERSCH S. I.

Quaeritur quinam sint casus qui, in can. 518 et 519, vocantur « in religione » reservati?

Resp. I. Liquet in primis non agi de casibus qui iure communi pro omnibus fidelibus sunt cum vel sine censura reservati. Verba enim in « religione », ne sint inutilia, magis determinare debent casus in quos facultas conceditur. Atque admitti nequit ut *omnes confessarii absolvere* possint religiosos religionis clericalis exemptae qui sint rei delictorum quae, ab aliis commissa, forent severe reservata, v. g. censura Ordinario vel Summo Pontifici reservata. Cogita abor-

tum. Itaque agitur de casibus qui non sunt reservati *nisi in religione*.

II. « *In religione* », praeterea videtur hic intellegendum de ea religione ubi sunt confessarii (c. 518); cuius religiosus adit confessarium (c. 519). Id postulat contextus, qui non loquitur de religionibus in universum sed semper de una religione. Si canonem 518 explicatius scribere volueris, dicere deberes « in singulis » *cuiuspiam* religionis clericalis... si agatur de *quapiam* religione exempta... « et post verba « absolvendi a casibus » supplenda foret vox: « in *ista* religione ». Sunt igitur casus proprii istius religionis.

Hoc confirmatur fonte, seu Decreto 5 aug. 1913, qui loquitur de casibus *in Ordine* vel *Instituto* reservatis.

Immo id demonstratur eo quod in c. 518 § 1, potestas non datur nisi agatur de religione exempta. quia in sola religione clericali exempta est interna potestas ad casus reservandos. Si ageretur de casibus aliunde reservatis, concessio fuisset communis omni religioni.

Praeterea nulla potestas specialis in casus reservatos confertur c." 527, confessariis religionis *laicalis*. Cur hi minus possint quam confessarii religionis clericalis exemptae?

III. Canon 896, qui facultatem facit Superioribus maioribus religionum clericalium exemptarum reservandi casus, addit « Firmo praescripto can. 518 et 519 ». Haec autem non addunt canones qui censuras etiam propriis Ordinariis reservant.

IV. Sola difficultas moveri possit ex c. 519, qui de omni religioso adeunte confessarium approbatum ab Ordinario loci dicit eum a casibus in religione reservatis absolvi posse. Sed, quia etiam sermo ibi fit de religioso exempto, mentio finalis intellegi potest qua-

tenus casus in religione reservatus esse possit; ac proin quatenus agitur de religioso exempto.

Corollarium. In can. 518 et 519, nulla potestas confessariis confertur in casus canonum 2385. 2386. 2388: isti casus sunt iure communi pro religiosis reservati. Quibus exemplis etiam confirmatur nostra interpretatio. Quis crediderit omnibus confessariis religionis clericalis exemptae potestatem, ipso iure, fieri absolvendi apostatas, fugitivos, quorum censura proprio Superiori maiori reservatur?

A. VERMEERSCH S. I.

De Iudicibus synodalibus

Quaeritur *quaenam sit genuina ratio et natura iurisdictionis iudicum synodalium, de quibus agit canon 1574.*

Neutra quaestio superflua vel inutilis censenda est. Superflua non est, namque non ii soli qui morales et iuridicas quaestiones tantum practice versant, verum etiam qui de canonibus eorumque explicatione scribunt confusionem non semper evitant.

Neque est inutilis, quia fieri potest ut religiosi, ipsis Constitutionibus iurisdictionem extra religionem habere prohibeantur.

I. *Historice*, Institutio repetenda est ex C. Tridentino, Sess. XXV De Ref., c. 10: « Quoniam ob malitiosam petentium suggestionem, et quandoque ob locorum longinquitatem, personarum notitia, quibus causae mandantur usque adeo haberi non potest, hincque interdum iudicibus non undequaque idoneis causae in partibus delegantur, statuit sancta synodus in singulis Conciliis provincialibus aut dioecesanis aliquot perso-

nas quae qualitates habeant iuxta Const. BONIFATII VIII, quae incipit: *Statutum*, et alioquin ad id aptas designari, ut praeter Ordinarios locorum iis etiam posthac causae ecclesiasticae ac spirituales et ad forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae committantur ».

Ideo igitur designandi erant, ut S. Sedes facilius idoneis personis suas delegationes committere posset.

BONIFATIUS autem VIII, c. 111, I, 3, De rescriptis in 6° volebat « ut nullis nisi dignitate praeditis aut personatum obtinentibus seu ecclesiarum cathedralium canonicis causae auctoritate litterarum Sedis Apostolicae vel legatorum eius de cetero committantur ». — Quare, cum Episcopus Regiensis, in iudices prosynodales (seu extra synodum electos) elegisset etiam viros e gremio capituli mere collegiatae cuiusdam ecclesiae, quorum aliquot nulla dignitate aut personatu erant distincti, S. Congregatio 9 sept. 1843, declaravit electionem sustinendam tantum esse de canonicis ecclesiae cathedralis et de dignitatibus ac personatibus in aliis ecclesiis. (Reperitur post c. 10 s. 25 *De Ref.* in editionibus Conc. Tridentini cum Resolutionibus SS. Congr.)

Legenti autem canonem 1574 statim perspicitur in alium finem iam instituendos esse iudices synodales. Sic enim sonat canon: § 1 « In qualibet dioecesi presbyteri probatae vitae et in iure canonico periti, etsi extradioecesani, non plures quam duodecim eligantur, ut potestate ab Episcopo delegata in litibus iudicandis partem habeant; quibus nomen esto *iudicum synodalium* aut *prosynodalium*, si extra Synodum constituuntur ».

Itaque, praesenti iure, iudices synodales non nominantur ut a S. Sede delegentur, sed ut ipse Episcopus eos in partem iudicum vocare queat.

II. Iam succedit altera quaestio de eorum iurisdictione.

Habentne iudices synodales *aliquam permanentem iurisdictionem?*

De iudicibus synodalibus Conc. Tridentini, S. Congreg. *Concilii*, in causa Ian. 25 mart 1601, declaravit personas designandas in synodo ex c. 10 Sess. XXV, ante delegationem nullam habere iurisdictionem.

Quare BENEDICTUS XIV, *De synodo*, L. IV, c. 5, monebat Episcopis non esse timendum ne isti iudices « quoddam quasi tribunal erigant, quasi aliquam iurisdictionem statim adepti essent ».

Iam vero, perinde dicendum est de his iudicibus in Codice. Id enim suadet analogia iuris. Nisi quod hi ab Episcopo, non autem a S. Sede assumuntur, prorsus similes sunt synodales iudices Tridentini, et synodales Codicis.

Id confirmatur numero iudicum: possunt esse duodecim. Non verisimile fuerit permanentem iurisdictionem duodecim viris in dioecesi esse collatam.

Id probat ipse textus: non dicuntur partem in iudiciis habere; sed eligendos esse ut potestate ab Episcopo delegata istam partem habeant.

Debent igitur, ut sint iudices, delegari, sicut a S. Sede delegabantur iudices synodales Tridentini.

De iurisdictionis qualitate non dubitari potest quin sit mere delegata.

Nobis igitur probari minime possunt scripta a R. P. BLAT in h. can. qui ipsis tribuit, post delegationem ab Episcopo, iurisdictionem *ordinariam* quam « propter praesuppositam designationem in casu, habeant ex iuris praescripto ».

Contra, constat eos ex ista designatione seu electione nullam a iure iurisdictionem acquirere. Quare sola iurisdictione quam Episcopus ipsis dat frui possunt.

Verum quidem est, tribunal collegiale ad quod iudices synodales assumuntur esse tribunal *ordinarium*... Sed minime repugnat iudices delegari ad sedendum

in tribunali ordinario. Vi delegationis, iurisdictionem ordinariam non singulatim sed collective exercebunt. Cfr WERNZ-VIDAL, *De Processibus* n. 90.

Conclusio. Re quidem vera, iudices synodales satis similes sunt istis iuratis societatis civilis, qui in gravioribus causis criminalibus de reatu sententiam ferre debent. Hic etiam prius conficitur catalogus iuratorum, e quo catalogo dein, prout causae ferunt, duodecim vocantur ut de facto suffragium dent.

Itaque iudices synodales sunt minus iudices de praesenti quam idonei ad iudicium obtinendum, postquam assumpti fuerint.

A. VERMEERSCH S. I.

De irregularitatibus propter positum actum ordinis clericis in ordine sacro constitutis reservatum.

I. Titius, clericus a parocho rogatur funus ducere. Dicto oboediens, processioni praeest, corpus defuncti ab ecclesia in locum sepulturae deducit, recitans omnes orationes Ritualis, in coemeterio feretrum aqua lustrali aspergit, et completa sepultura, redit cum populo in ecclesiam et sacristiam recitans De Profundis.

II. Diaconus invitatur a Praelato honorario laudes vespertinas sollemniter canere et benedictionem cum ostensorio impertire. « Sine me, inquit Praelatus, hoc facere non posses, sed ego possum tibi hanc facultatem largiri ». Interrogatus tamen de origine istius potestatis committendi diacono istam functionem ipse respondet: « Sum ecclesiae huius rector; possum tibi permittere ut sacram eucharistiam dispenses; haec dispensatio est multo plus quam benedictio cum

ostensorio. Ergo fortiori ratione potestatem istam habeo ». Diaconus laetus, stolam tamen gerens more diaconorum, sacram istam functionem solus peragit.

III. Cum abesset caerimoniarius sacerdos, clericus non in sacris Mitram Episcopo celebranti interdum imposuit.

Quid de irregularitate quam nunc sibi timent tres audaces clerici vel non sacerdotes?

Resp. Cum tres videantur bona fide egisse, praesertim cum, in duobus casibus gravioribus, cuidam digniori personae obtemperaverint, subiective excusandi sunt, ita ut de sola obiectiva culpa solliciti esse debeamus. Itaque,

Ad I. Illud officium sepulturae est certissime functio sacerdotalis, quae, in casu necessitatis late acceptae, diacono committi potest; quo casu Rituale diacono positive permittit ut corpus instar sacerdotis benedicat; sed idem nullatenus indulget simplici clerico. Quare clericus obiective offendit in can. 985, 7°.

Ad II. Etiam iste actus ordinis nulla ratione diacono permittitur. Sola benedictio cum pyxide, hodie, *quando complet ritum diacono permissum*, i. e. dispensationem s. communionis delatae ad infirmum, diacono conceditur: quod tamen ante Codicem controvertebatur. Nec refert Diaconum non sumpsisse stolam more sacerdotum. Circumstantia ista tunc solum attendi potest cum agitur de functione quae, ex quodam usu toleratur facta ab eo qui ordine requisito caret, ut cum clericus supplet subdiaconum in missa.

Argumentum autem « a fortiori » quo utebatur Praelatus, nullius est momenti, cum sola definitio iuris positivi, in casu attendenda sit; ac praeterea negari potest, cum dispensatio ss. eucharistiae ordinem diaconatus non excedat, et publica utilitas exigat interdum ut diacono committatur. Quocirca etiam hic actus positus est ordinis qui reservabatur presbytero.

Ad III. Hic nullus scrupulus habendus est. Non agitur enim de actu ordinis sed de mera secundaria Missae Pontificalis caerimonia, ita ut can. 985 hic nullum locum reperiat.

A. VERMEERSCH. S. I.

De can. 883 seu iurisdictione in mari

Quaeritur qua facultate in casus reservatos fruantur qui, vi can. 883, secum navigantes absolvere possunt.

Resp. In ipsa navigatione nulla memoratur potestas in casus reservatos. Nec, cum navigent extra loca Ordinariis locorum subiecta, nullam ab iis utilem potestatem in reservata consequi posse videntur. Utique facultatibus a S. Sede immediate vel mediate obtentis frui pergunt. Verum, cum ipsa navigatione, saltem a momento et per tempus per quod in alto mari sunt, extra omnem dioecesim versentur, nulla ipsi reservatione ab Ordinario loci decreta impediuntur.

Quotiens autem navis in itinere consistat, tunc, sive in mari sive ad terram, paenitentes ad ipsos accedentes, sive in mari sive ad terram continentem, valide et licita absolvere possunt a casibus Ordinario loci reservatis: sive reservatio ista a iure vel ab ipso Ordinario procedat. Haec est enim naturalis et consueta vis verborum « a casibus Ordinario loci reservatis ».

Dubium tantum superest, de facultate absolvendi a casibus quos sibi reservarit Ordinarius loci quando navis quidem non consistit in itinere, sed in mari territoriali navigat. Putamus tamen canone 883 expeditam iurisdictionem tribui, quae non impediatur scrupulosa

observatione partis maris in qua navis navigat; ac proin per totam navigationem non esse attendendum ad reservationes factas ab Ordinariis locorum.

Debentne adhuc celebrari, per mensem octobrem, in ecclesiis cathedralibus, parochialibus et Oratoriis publicis B. M. V. dicatis, inter missas recitationes Rosarii cum Litaniis et oratione S. Ioseph?

Resp. Cum in decreto *S. R. C.* 20 aug. 1885 celebrationes istae imperarentur « quoadusque tristissima perdurent adiuncta in quibus versatur Catholica Ecclesia, ac de restituta Pontificis Maximi plena libertate Deo referre gratias datum non sit », plures ephemerides existimarunt, post pacta Lateranensia, obligationem istam iam esse sublatam. In quam sententiam, ut conici poterat, propendent Liturgiae studiosi, quippe quibus minus acceptae essent istae Rosarii Marialis per Missam recitationes. Cf. v. g., quaesitum V, in Palentina, 16 ian. 1886 quo proponebatur ut Missa Rosarium praecederet (Dec. auth. n. 3650). Ita obligationem pro suppressa habuerunt *Liturgische Zeitschrift*, 1930, p. 29-32; *Les questions liturgiques*, Louvain, Mont César, avril 1930, p. 101.

Contra, in *Nederlandsche Katholieke Stemmen*, Dr. SCHAEPMAN. p. 184-186, 1930, contendit obligationem prorsus permanere, propter decreta recentiora 26 aug. 1886 (n. 3666) et 11 sept. 1887 (n. 3681) quae decretum 1885 confirmarunt. Fatemur tamen a nobis minime perspici quam vim novam ista decreta praecedenti addant. Alliciunt enim ad istam celebrationem

« iuxta memoratas litteras et decreta 1885, eorumque tenore in omnibus servato ».

Nec magis nos persuadet permanentia indulgentiarum, quae etiam sine obligatione perstare possunt.

Sed cum agatur de *exercitiis publicis* in ecclesiis parochialibus ubique celebratis, ut nobis videtur, ad Ordinarios spectat huiusmodi rei providere. Sin aliter, orientur diversitates agendi quae pietati fidelium et existimationi sacerdotum non parum nocere possunt. Itaque, quod de initio huiusmodi celebrationum dicitur etiam ad earum suppressionem valere debet, ut nihil fiat nisi secundum normas ab Ordinariis praescriptas.

A. VERMEERSCH S. I.

De fuga cum persona alterius sexus, in casu can. 646 § 1, 2°.

Diomedes, professus votorum sollemnium, valedixit suo conventui et se contulit ad civitatem quinquaginta horis distantem a conventu, ut ibi reperiret mulierem quacum more coniugum vivere cœpit.

Quaeritur iam utrum necne in eum cadat canon 646 § 1, 2°, ita ut ipso facto tamquam legitime dimissus haberi debeat quasi « fugam cum muliere arripuerit ».

Resp. ipsum procul dubio sanctione istius canonis affici. Verum quidem est paulo diversam esse consuetam imaginem fugientis cum muliere, ac potius nobis repraesentari duas personas quae communi et festinato itinere unum locum deserunt ut ad alium se conferant. Si vero ad substantiam rei attendas, cum fugitivus, can. 644 § 3, dicatur qui sine Superiorum licentia domum religiosam deserat cum animo rede-

undi, fugitivus cum muliere erit quicumque cum muliere, ut ea fruatur, de ista fuga convenerit. Quivis autem fugitivus cum muliere dicendus est iuridice fugam cum muliere arripuisse.

Itaque haec requiruntur et sufficiunt ut casus canonis 646 § 1, 2° habeatur:

a) Fuga domum religiosam deserentis, sine vel cum animo redeundi;

b) Complicitas formalis mulieris, libidinis explendae causa.

Non enim casus fuerit si congressus cum muliere determinata a fugitivo non intendebatur, sed postea tantum, suborta occasione, fugam peiorem fecit.

A. VERMEERSCH S. I.

De Decreto erectionis quoad quasi-paroecias.

« In missione nostra, anno 1928, Vicarius apostolicus dixit viva voce missionariis coadunatis eos debere se gerere ut quasi-parochos in districtibus sat exacte determinatis, ergo teneri ad celebrationem missae pro populo, etc. Dubitamus tamen utrum decretum formale erectionis necessarium non fuerit ad validitatem constitutionis quasi-paroeciarum ».

R. Die 25° iulii 1920, S. C. *de Propaganda Fide* statuit: « Erectio quasi-paroeciae fiat per decretum Ordinarii... Huius decreti bina exemplaria conficiantur... (1) » Vult ergo S. Sedes constitutionem quasi-paroeciarum fieri per decretum erectionis formale et scriptum. Quapropter, ut aiunt *Periodica* (2), « formale Ordinarii decretum erectionis requiritur... » Obligatio-

(1) A. A. S., XII, 1920, 331.
(2) X, p. 203.

nem talis decreti erectionis asserunt omnes auctores; utrum requiratur ad valorem, non clare dicunt. VROMANT tamen haec habet « Erectio fiat per decretum formale Ordinarii loci (cc. 100, § 1 et 1418), adhibita expressione « erigo », « constituo » vel quadam aequivalente (1) » : quae facilius intelliguntur de condicione validitatis.

Die autem 9⁰ dec. 1920, S. C. *de Propaganda fide,* in Decreto de definiendis limitibus paroeciarum in dioecesibus S. Cong. de Prop. Fide subiectis, permisit episcopis Indiarum Orientalium in conventu Madraspatano « determinare quaenam territorii partes propriae cuiusque dioecesis haberi debeant ut iam sufficienter divisae ad normam can. 216, adhibita in posterum, pro novis paroeciis erigendis, forma in instructione huius S. Congregationis de Propaganda Fide, die 25 iulii 1920, praescripta ». Hoc innuit Sanctam Sedem, saltem nunc (post Instructionem anni 1920) requirere ad valorem decretum formale erectionis. Quod perfecte consonat cum canone 100, § 1, qui videtur huiusmodi decretum requirere pro valida constitutione cuiuslibet personae moralis ecclesiasticae quae non sit talis ipso iure. Ecclesia vult tales personas non aliter constitui quam tali decreto; sine hoc decreto, nihil factum est: deest formalitas substantialis.

Ad eamdem conclusionem adducimur ex aliqua analogia. Etenim, die 30 nov. 1922, S. Cong. *de Religiosis* declaravit, ut congregatio religiosa erigeretur in personam moralem, necesse esse erectionem fieri formaliter ab episcopo, decreto scripto (2).

Ergo, si non est certissimum, decretum formale erectionis esse condicionem validitatis pro quasi-paroeciis, hoc tamen videtur ita verosimile ut opinio opposita seriam probabilitatem non habeat nec fundare

(1) *Ius missionariorum, De personis,* n. 237.
(2) A. A. S., XIV, 1922, 645.

possit hoc dubium iuris, in quo leges etiam irritantes non urgent (c. 15). Itaque suadendum est missionariis qui interrogaverunt, ne diutius in condicione aequivoca remaneant, ut postulent a Vicario apostolico ut sine mora decretum formale erectionis quasi-paroeciarum ferre dignetur.

E. JOMBART, S. I.

De obligatione audiendi missam in mari.

« In navi quadam transatlantica, eundo ex Europa in Americam, sacerdos privilegiatus quotidie missam celebrat in altari quod quotidie famulus erigit in loco qui dicitur « salon ». An die dominica navigantes obligantur huic missae adesse ? ».

R. 1° Primario inquirendum est utrum hoc modo satisfaciant praecepto Ecclesiae.

Quod non ita patet. Plerique auctores quaestionem non examinant sed multas alias occasione can. 1249. Aliqui tamen eam plus minusve directe attingunt. Sic MATTHAEUS a CORONATA : « Deinde dicitur in can. *sub dio*, qua clausula, ni fallor, auditione Missae in quolibet loco extra ecclesias et oratoria, idest vi privilegii altaris portatilis ubivis celebratae, praecepto satisfieri posse statuitur, nisi forte aliud in concessione privilegii altaris portatilis expresse statuatur... Accedit etiam ratio, in Codice excludi tantummodo oratoria domestica seu privata non privilegiata... (1) » Ergo, secundum hunc scriptorem, in navi de qua agitur satisfit praecepto. Idem sentit R. P. VERMEERSCH : « Ac si missa ibi (in navi) celebretur in ara portatili, censetur moraliter sub dio celebrata, ita ut assistentia missae praecepto implendo

(1) *De locis et temporibus sacris* (1922), n. 290.

prorsus sufficiat » (1). SABETTI-BARRETT (2) et PRÜMMER (3), inter alios, resumunt responsum *Sacrae Rituum Congregationis* anni 1901 quae sic se habet: « Si capella locum fixum habeat in mari, uti publica pro navigantibus habenda est; secus neque publica est, neque privata, sed habetur ut altare portatile » (4). Apud GURY-FERRERES hoc legebatur: « Si vero capella locum fixum in navi non habeat, habenda est uti altare portatile, ideoque navigantes non videntur teneri ad audiendum sacrum diebus dominicis et festis, si celebret sacerdos ex privilegio mere personali, prout, ex. gr., est illud quod habent sacerdotes Societatis Iesu... » (5). Et post Codicem sunt qui fere idem scripserunt. Sic GÉNICOT-SALSMANS: « Non satisfaciunt vero fideles Ecclesiae praecepto... 2° ubi in loco omnino privato in altari portatili celebrat sacerdos ex speciali licentia Episcopi, vel ex privilegio mere personali, puta in cellula navis » (6).

Hic textus significare videtur satisfieri praecepto si missa celebratur in loco non omnino privato, ut puta in collocutorio (« salon ») in quod omnes navigantes (saltem alicuius « classis ») ire possunt. Sed magis generaliter haec asserit UBACH: « Super altari portatili non satisfit praecepto... nisi celebretur ex privilegio altaris portatilis non mere personali » (7). Addit in nota: « At privilegia, quae sacerdotibus itinerantibus conceduntur, celebrandi in navi, sunt mere personalia. Non igitur satisfit per Missam, quam sa-

(1) *Epitome iuris canonici* (1927), II, n. 563.
(2) *Compendium theol. mor.* (1920), n. 247.
(3) *Manuale theol. mor.* (1928), n. 484.
(4) Die 4 martii 1901, *Decr. auth.*, n. 4069 ad V. Quidam loquuntur de responso confirmatorio 4 maii 1901, sed hoc non invenitur nec apud *Acta Sanctae Sedis* nec inter decreta authentica.
(5) *Compendium theol. mor.* (ed. 1913), n. 348, p. 267.
(6) *Institutiones theol. mor.* (ed. 1921), n. 342.
(7) *Compendium theol mor.* (1926), I, n. 358.

cerdos navigans celebrat in loco privato, puta in cella navis ». Si principium enuntiatum valet, applicari debet non solum in cella (« cabine ») sed in locis publicis (saltem aliquo sensu) navis, v. g. in collocutorio.

Sic opinamur: Est serio probabile, sed non certum, satisfieri praecepto in hoc collocutorio navis, destinato multis usibus profanis, in quo non est altare fixum. Stricte hic non habetur oratorium, ne semipublicum quidem, nec celebratur sub dio sed sub tecto. Expressionem « sub dio » posse latius intelligi, non excedit fines probabilitatis. Ex hoc facile respondemus ad prius quaesitum.

2° Quia probabiliter non possunt praeceptum adimplere, nequeunt navigantes obligari ad audiendam missam in talibus adiunctis. Hoc, per se; aliquando alia consideratio, v. g. scandali vitandi, obligationem pariet.

E. JOMBART, S. I.

NOTA

Quatenus clarissimus scriptor argumentatur de probabilitate extrinseca, parum ei obiciendum esse putamus; intrinsecam autem rationem adesse dubitandi de satisfactione praecepti audiendi missam, cum haec missa in loco publico celebratur, ut est communis aula navis, id non esse concedendum arbitramur. Canon 1249 sola excludit oratoria privata, in quorum ceterum concessione clausula satisfactionem praecepti pro non privilegiatis excludit, dum in navi celebratur extra oratorium; cappella autem quae ibi sit fixa habenda est ut publica (S. C. *R.*, 4 mart. 1901 *Decr. auth.* n. 4069 ad v.) ita ut locus existimandus sit publicus.

— Die dominica fiunt in navi sollemnitates cultus haeretici vel schismatici; plane non est verisimile ab Ecclesia, negando possibilem praecepti impletionem, argumentum catholicis suppeditari diem festum non sanctificandi positive. Quid quod Index Codicis hac felici formula utitur ad v. *Missa:* « auditio » « tenentur fideles singulis diebus festis missae sacrificio assistere, 1248, cui praecepto satisfaciunt Missam audiendo quocumque ritu ea celebratur, et *ubivis,* exceptis oratoriis privatis, nisi ex privilegio, 1249 ».

A. VERMEERSCH S. I.

Quaenam expositio publica seu cum ostensorio die festo Corporis Christi et intra octavam in omnibus ecclesiis permittitur per haec verba can. 1274, « *inter Missarum sollemnia* » ?

Interrogatum de hac re, optimum Commentarium « *Ephemerides liturgicae* », in fasc. mart. april. 1930, p. 152 respondet « expositionem per haec verba permissam fieri debere non ante sed *intra Missam*, postquam sacerdos communionem sub utraque specie sumpserit ».

Quid de ista interpretatione sentiendum sit dicere rogati sumus. Quamvis autem auctoritatem P. B., qui praefatam declarationem suo nomine firmavit, plurimi faciamus, ei in hac re adhaerere minime possumus, cum, nisi vehementer fallimur, satis constet per verba « inter Missarum sollemnia » permitti ut in festo Corporis Christi et intra octavam missa sollemnis tota coram Sanctissimo publice exposito canatur. Quod non ita laboriose efficitur:

1. Ex *usuali interpretatione* quae in pluribus regionibus v. g. Belgii, Galliae, Hollandiae, Italiae recepta est. Iam vero, « consuetudo est optima legum interpres ».

2. Ex *naturali sensu verborum* « inter Missarum sollemnia ». Nemo non praeiudiciis praeoccupatus expositionem, ut eam intellegit P. B., putabit fieri inter Missarum sollemnia, sed summum dicet fieri in fine Missae, seu potius sic praeparari expositionem quae Missam sequatur.

Ita v. g. GARDELLINI in suis Commentariis de Instructione Clementina circa XL Horarum expositionem ad quam hostia post communionem ponitur in ostensorio appellat « Expositionem *post Missam* » (Cfr 19, n. 19).

3. Ex *historica ratione* privilegii festi SS. Corporis Christi. Iam 20 april. 1641 (*Decr. auth.* n. 753) S. R. C. in Smirnensi expositionem publicam permisit « in festo et octava (Corporis Christi) *inter Missarum sollemnia* et ad Vesperas ». Quomodo haec verba intellegebantur discere possumus a GARDELLINI, qui in suis Commentariis de Instr. Clementina 30 haec refert: « Pro repositione SS. Sacramenti sollemnis Missa praemitti debet, *uti etiam celebrari solet coram exposito in solemni octiduo SS. Corporis Christi* »; discere etiam possumus a *S. R. C.* Haec enim 3 aug. 1901 n. 4079 ad V, proposito dubio utrum necne servari posset usus cathedralis Tropiensis quae per festum et octavam Corporis Christi, quotidie, post Nonam quidem processionem cum Sanctissimo instaurat, sed post Tertiam missam Conventualem canit « coram SS. Sacramento exposito » respondit *affirmative*. Cur quaeso? Ex indulto, ut supponit P. B.? Minime gentium. Indultum per solam responsionem *affirmative* ad dubium non conceditur. Verum responsio communi privilegio Festi Corporis Christi declaranda est.

4. Ex probatis auctoribus qui scripserunt post promulgatum Codicem. Plerique quidem mere allegant verba canonis « inter Missarum sollemnia » ne cogitantes quidem verba ista aliter intellegi posse atque, ut alii expresse habent: « at Mass » ut AUGUSTINE, in h. c., vel « infra Missam » ut CLAEYS-SIMENON, *Manuale,* n. 841, i. e. « coram Sanctissimo ».

Audiatur demum probatissimus auctor R. P. HAEGY C. S. Sp., qui in 12ª edit. 1923 celebratissimi operis « *Manuel de Liturgie et Cérémonial selon le rit romain* I p. 452 haec enuntiat: « La Messe solennelle en présence du S. Sacrement exposé n'est permise que pendant l'octave du saint Sacrement et le troisième jour des Quarante Heures, suivant l'Instruction Clémentine pour terminer l'exposition ».

Profecto expositio, ut observat P. B., debet fieri secundum normas a S. R. C. probatas, verum hae non excludunt modo absoluto Missam coram SS° sed quae fiat sine « sine necessitate, vel gravi causa, vel ex speciali indulto » (S. *R. C.* 11 maii 1878 ad 1, in S. Iesu). Iam vero diuturna traditio hoc indulsit in festo et infra octavam SS. Corporis Christi. Neque huc appellari possunt normae traditae pro Missa quae praecedit Processionem vel sollemnem Expositionem XL Horarum. Immo allegando resp. S. *R. C.* 27 maii 1911 (n. 4269) ad XI, oportebat conferre istud XI cum X, unde apparebat agi de expositione quae « extra Expositionem XL Horarum et Festum SS. Corporis Christi fieri contingat *immediate post missam* ».

Errorem inducere potuit usurpatio verborum « fieri potest » quae, per se possunt sumi active, quasi de *actione exponendi*, quae aliquo Missae peragi queat, dum hic idem sonant quod: « haberi potest »: non de actione exponendi sed statu expositi Sacramenti hic agitur, ut sufficienter ostensum est.

A. VERMEERSCH S. I.

De iure postliminii

Species facti. Anno 1793, dum saeviebant novae res in Gallia, et Belgium sub Galliae dominatione erat positum, monachi celebris abbatiae dictae « Orval » vi praevalente e monasterio suo expulsi sunt. Monachi paulatim morte abrepti sunt. Unus tamen superstes fuit ad annum 1832, nec spem dimisit videndi iterum suam caram abbatiam e sua ruina exsurgentem.

Quaeritur iam utrum necne monachi eiusdem Ordinis possint sine alia sollemnitate vitam monachalem in instaurata abbatia resumere?

Resp. id monachi possunt. Etenim;

I. Iam in iure receptum erat, « ius collegii bene remanet in uno » (Glossa ad v. *Collegiatas*, in C. Statutum, 22 De electione, I, 6, in sexto). Quod nunc aperte sancitur can. 102, § 2: « Si vel unum ex personae moralis collegialis membris supersit, ius omnium in illud recidit ».

Persona moralis praefatae abbatiae, anno tantum 1832 esse desiit. Sed, ut exstinguatur, vi can. 102 § 1, necesse est ut « per centum annos esse desierit ».

Iamvero, hoc anno 1930 a morte postremi monachi, centum anni non sunt revoluti. Ergo persona moralis abbatiae Orval non est exstincta. Quare, sine ulla sollemnitate, Ordo ad quem pertinet ibi vitam monachalem redintegrare potest.

Cfr de ista re quae scripsimus in Opere *De religiosis*, etc. ed. 2, n. 95 et 122; et *Monitore Ecclesiastico*, 1905, tom. 17, lucubrationem Card. Gennari, p. 180 ss.

A. Vermeersch S. I.

Solutio casus de Iustitia, propositi p. 76*

Ad I. Principium iuris est actus iuridicos, forma legali munitos, concordandos esse potius quam opponendos, seu ita interpretandos esse ut valeant potius quam ut sint nullius efficaciae.

Porro testamenta duo quorum alterum Camillo alterum Medardo omnia bona legant, vel muniuntur satis frequenti clausula « Hoc testamento omne aliud testamentum revocatur » vel revocatoria clausula destituuntur.

Si nullam clausulam revocatoriam continent, facile hoc modo conciliantur, ut Camillus et Medardus hereditatem inter se aequaliter partiantur. Quotiescumque enim bona exteriora aequali ratione ad plures personas referuntur, aequalitas personalis postulat ut aequo iure utantur.

Si autem ambo clausulam revocatoriam continent, ita ut constet de voluntate testatoris non instituendi nisi unicum legatarium universalem, incertum autem fiat utrum sit Camillus an Medardus, iterum applicandum est illud, quod dubium inter paucos divisione boni inter hos paucos solvendum est. Ac sic redit solutio prior.

Quare heres ab intestato patrimonium nullatenus sibi servare potest. Ceterum perspicua testatoris voluntate excluditur. Is fortasse Camillo fortasse Medardo bona sua legare voluit, nullatenus autem heredi suo ab intestato.

Ius tamen fuerit heredi suas rationes coram iudice proponere, si Camillus vel Medardus patrimonium vindicent. Ac fieri potest ut iudex, cum alia sint incerta, hereditatem addicat ei cui favet titulus legalis. Cui sententiae iudicis heres in conscientia stare non prohibetur.

Ad II. Solutio ista facilior est. Alfredus, post sententiam iudicis qui testamentum omni valore destitutum authentice declaravit, nullam hereditatis partem sibi retinere poterat. Voluntas enim qua quis post mortem de bonis disponit quae vivens possidebat non est plane efficax sine subsidio legis positivae. Haec autem iuste in testamentis servandas quasdam sollemnitates imposuit, quibus deficientibus, iudex potest, immo debet testatoris voluntatem neglegendam statuere.

Ad III. Nulla compensatio propter dilatam collationem ei debetur cui iudex beneficium addixit. Ius enim erat adversario rationes suas proponendi; neque adversarius fructus collegit quos victor non percepit. Itaque, neque ex re aliena accepto, neque ex iniusta rei alienae acceptione adversarius quidquam debet victori quod is sibi compensatum vellet.

Casus de legitimo usu matrimonii.

I. Caia manu propria uterum suum loco suo, et sic causam sterilitatis removit. Habito autem filio, uterus iterum loco suo resedit. Ipsa timens partus novi dolores, nec ipsa uterum reponit nec medicum ideo adire vult.

Quaeritur: 1. Debetne uterum reponere, *a*) si id per se facere potest; – *b*) si adeundus est medicus.

2. Potestne interea petere vel reddere debitum, vel uti coniugio?

Estne, in solutione casus attendendum utrum mulier ista sit obstetrix seu medica annon?

II. Post multos annos, Titia novit causam sterilitatis esse uterum extra locum positum. Non vult adire medicum quia condicio paupertatis ipsi suadet ne filios habere cupiat. Potestne coniugio uti?

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De consecratione ecclesiarum.

Summarium: I. Num ecclesiarum consecratio sit actus potestatis ordinis, aut iurisdictionis, an potius utriusque potestatis seu actus mixtus. — II. Num Episcopus suspensus, excommunicatus, haereticus, depositus vel degradatus valide consecret ecclesias. — III. Num Episcopus possit delegare simplici presbytero facultatem consecrandi ecclesias. — IV. Num R. Pontifex committere valeat huiusmodi consecrationem nedum simplici presbytero, sed etiam diacono vel subdiacono seu cuilibet clerico. — V. Num Abbas vel Praelatus *nullius,* charactere episcopali carens, extra proprium territorium, valide consecret ecclesias. — VI. Num R. Pontifex ratam habere possit consecrationem invalide peractam.

I.

Num ecclesiarum consecratio sit actus potestatis ordinis, an iurisdictionis, an potius utriusque potestatis seu actus mixtus.

1. Consecratio ecclesiarum est actus potestatis ordinis. At potestas ordinis duplex est: *iuris divini* et *iuris ecclesiastici.* Porro ecclesiarum consecratio est actus potestatis ordinis *iuris ecclesiastici,* non autem

iuris divini, cum talis consecratio sit res mere ecclesiastica.

Omnes Doctores consentiunt plane.

SCHMALZGRUEBER docet: « Consecratio ecclesiae... est actus ordini episcopali soli adnexus » (1).

PIRHING ait: « Nec potest Episcopus delegare potestatem consecrandi ecclesias alteri simplici presbytero, sive non Episcopo, cum ea potestas non sit iurisdictionis, sed ordinis episcopalis » (2).

WERNZ dicit: « Consecratio ecclesiae est actus ordinis episcopalis » (3).

SANTI affirmat: « Ritus consecrationis ecclesiae institutus est ad imitationem sacramenti ordinis. Hinc consecratio dicitur esse *actus ordinis*, at eo sensu quia ex institutione Ecclesiae sacer minister dedicans cultui divino locum imitatur consecrationem personae in in sacra ordinatione » (4).

MANY docet: « Episcopus est minister idoneus et ordinarius consecrationis.... Unde deducitur theoria canonica, nempe Ecclesiam, quae ritum illum propria auctoritate instituit, eundem annexuisse ordini episcopali, sicut Christus ipse plura ex institutis a se sacramentis eidem ordini episcopali annexuit » (5).

Card. GASPARRI ait: « Consecratio (ecclesiae) est actus ordinis episcopalis » (6).

Quae omnia diserte confirmat BENEDICTUS XIV, epist. « *Ex tuis precibus* » ad P. Engelbertum Abbatem monasterii Campidonensis die 16 nov. 1748 data. « Ecclesias consecrandi privilegium, ait doctissimus Pontifex, ... *nulli convenit, nisi episcopali dignitate praefulgeat* ». Et alibi ait: « Ex hactenus narratis

(1) *Ius ecclesiasticum universum*, lib. III, tit. 40, n. 15.
(2) *Ius canonicum*, lib. III, tit. 40, n. 1.
(3) *Ius Decretalium*, III, n. 437.
(4) *Praelectiones iuris canonici*, lib. III, tit. 40, n. 1.
(5) *Praelectiones de locis sacris*, n. 11.
(6) *Tractatus canonicus de Eucharistia*, I, n. 156.

facile intelligent Abbates aliique Praelati inferiores, *iurisdictionem quasi episcopalem exercentes,* si qui forte in suis relationibus huiusmodi *facultatem consecrandi ecclesias postulare deliberaverint,* quid sibi responsi exspectare valeant a Congregatione Concilii » (1).

Ante Codicem, facultate consecrandi ecclesias non pollebant Abbates et Praelati *nullius,* quamvis « *iurisdictionem quasi episcopalem* » haberent. Igitur praedicta facultas non pertinet ad potestatem iurisdictionis, secundum doctrinam Benedicti XIV, sed episcopali dignitati sive ordini adnexa est.

2. Ritus consecrationis ecclesiarum fuit ab Ecclesia institutus. Sane compertum est, prioribus saeculis ecclesias proprie dictas non exstitisse nec, iisdem erectis, *statim* et *ubique* usum eas consecrandi invaluisse. Certa consecrationis seu dedicationis ecclesiarum documenta ad initium saeculi IV ascendunt. Eusebius memorat dedicationem multarum ecclesiarum, post edictum Mediolanense an. 313 factam, et imprimis ecclesiae Tyri aedificatae — qua occasione celebrem concionem ipse habuit — et Basilicae a Constantino aedificatae Ierosolymis (2).

Ecclesia autem huiusmodi consecrationis ritum ad imitationem sacramenti ordinis instituit. Nam sicut Christus potestatem conficiendi sacramentum Eucharistiae adnexuit ordini presbyterali, potestatem ministrandi sacramentum confirmationis et ordines adnexuit ordini episcopali, ita Ecclesia potestatem consecrandi ecclesias *perpetuo* et *inseparabiliter* adnexam voluit eidem ordini episcopali. Proinde eo ipso quod quis charactere episcopali donatur, habet, ex positiva Ecclesiae voluntate, potestatem consecrandi ecclesias, altaria, calices et patenas, seu consecrationes peragendi.

---

(1) *De synodo dioec.* lib., XIII, cap. 15, n. 5.

(2) *Hist. eccl.* lib. X, cap. 3 et 4; *De vita Constantini,* lib. IV, cap. 43-46; Migne, *P. G.* XX, 845 ss., 1194 ss.

3. Ex dictis perspicue patet, consecrationem ecclesiarum referendam esse ad potestatem ordinis, iuris quidem ecclesiastici, non autem ad potestatem iurisdictionis. Idque ulterius confirmabitur ex iis quae ad II dicemus, scil. de potestate *valide* consecrandi ecclesias, qua pollet Episcopus v. g. haereticus vel degradatus, quavis iurisdictione privatus.

Attamen, quoad simplicem presbyterum qui ex peculiari S. Sedis delegatione seu commissione facultatem recipit consecrandi ecclesias, consecratio dici potest actus *mixtus*, utpote qui, praeter potestatem ordinis, postulat quoque specialem delegationem R. Pontificis aut iure communi aut peculiari indulto concessam.

II.

Num Episcopus suspensus, excommunicatus, haereticus, depositus vel degradatus valide consecret ecclesias.

1. Ecclesia, ut supra dictum est (I, n. 3), potestatem consecrandi ecclesias *perpetuo* seu *indelebiliter* characteri episcopali adnexuit, ad imitationem potestatis ordinis iure divino eidem characteri episcopali adnexae. Proinde, sicut Episcopus suspensus, excommunicatus, haereticus, schismaticus, depositus vel degradatus *valide*, quamvis illicite, sacramentum confirmationis et ordinis administrat, ita idem Episcopus ex positiva Ecclesiae voluntate *valide* semper consecrat ecclesias, dummodo sit valide consecratus et ritum essentialem servet.

Ad rem Card. GASPARRI recte monet: « Minister utriusque dedicationis est Episcopus, ita ut *valide* ecclesiam dedicet et Episcopus *acatholicus* » (1).

Item MANY docet: « Episcopus etiam *haereticus*, aut alias *acatholicus*, valide etiam ecclesias consecrat, modo ritus ab Ecclesia praescriptos adhibeat » (2).

(1) Op. cit I, n. 156.
(2) Op. cit. n. 11, 2°.

Evidens est Ecclesiam aliam disciplinam inducere posse.

2. Cum agatur de re *mere ecclesiastica*, facile intelligitur, cur olim nova consecratione dicatae fuerint ecclesiae, ab haereticis antea consecratae.

De his BENEDICTUS XIV, epist. « *Iam inde* », 12 maii 1756, § 3 ait: « Inauguratae ab haereticis ecclesiae, iterata consecratione dicantur, uti videre est can. 20, *Ecclesiis;* can. 21, *Ecclesias Arianorum;* can. 23, *Agapitus, de consecrat.,* dist. 1, in quibus exempla referuntur Ioannis Papae et Agapiti, qui templa vasaque ecclesiarum ab haereticis antea consecrata, *sacrilegis infecta fabulis haereticorum,* uti habet textus, iterato sacrarunt. Praeclarum quoque exstat exemplum S. Gregorii Magni, qui ecclesiam S. Agathae in Urbe ad Suburram tot antea annis ab Arianis haereticis consecratam dicavit, veluti ipse enarrat lib. 3 *Dialogorum*, cap. 30 .... Idemque ipse S. Gregorius *epistola 19,* lib. 3, tom. 2 .... refert, paratum se ad consecrandam ecclesiam *iuxta domum Merulanam* sub titulo S. Severini erectam, eo quod sciret fuisse eam ab haereticis dicatam ».

Obiter animadvertendum, *dedicationem* ecclesiarum significare tum *consecrationem* tum *benedictionem* earundem, sed, stricto sensu canonico et liturgico, consecrationem indicare.

III.

Num Episcopus possit delegare simplici presbytero facultatem consecrandi ecclesias.

1. Ante Codicem communis certaque erat sententia, Episcopum praedictam facultatem delegare non posse, sed unum R. Pontificem.

WERNZ ait: « Simplici presbytero consecratio ecclesiarum .... *a solo Romano Pontefice* .... concedi potest » (l. c.).

Card. GASPARRI docet: « Consecratio est actus ordinis episcopalis, quem simplici sacerdoti *unus* Romanus Pontifex committere potest » (l. c.).

MANY dicit: « Episcopus *non potest* delegare simplicem presbyterum ad consecrandam ecclesiam », (l. c.).

SCHMALZGRUEBER affirmat: « Iste actus (consecratio ecclesiae) simplici sacerdoti *ab Episcopo delegari nequit*, licet ea quae sunt ordinis episcopalis de iure solum ecclesiastico, delegari possint a Papa » (1).

BENEDICTUS XIV dicit: « Ecclesias consecrandi privilegium, quod alioquin nulli convenit, nisi episcopali dignitate praefulgeat, apostolicae auctoritatis limites non excedit, *quamvis nulli Episcoporum ius sit, simplicem sacerdotem ad id muneris designare* » (2).

2. Codex iuris canonici hanc disciplinam nullatenus immutavit, quin potius diserte confirmavit. Nam can. 210 statuit: « Potestas ordinis a legitimo Superiore ecclesiastico sive adnexa officio sive commissa personae, nequit aliis demandari, nisi id expresse fuerit iure vel indulto concessum ». Porro potestas consecrandi ecclesias est potestas ordinis, iuris quidem ecclesiastici, episcopali dignitati adnexa aut muneri v. g. Abbatis vel Praelati *nullius*. Nullibi autem Codex ius tribuit Episcopis talem facultatem simplici presbytero demandandi. Ergo.

Can. 1147, § 1 sollemne enuntiat principium, quod nostram quaestionem propius attingit eamque perspicue resolvit: « Consecrationes nemo qui charactere episcopali careat, *valide* peragere potest, nisi vel iure vel apostolico indulto id ei permittatur ». Igitur vel ipsum *ius*, utique pontificium seu commune, vel *indultum apostolicum*, non vero delegatio Episcopi, potest

(1) Lib. III, tit. 40, n. 15.
(2) Epist. « *Ex tuis precibus* », 16 nov. 1748, § 1.

concedere iis qui charactere episcopali carent, facultatem ecclesias consecrandi.

IV.

Num R. Pontifex committere valeat huiusmodi consecrationem nedum simplici presbytero, verum etiam diacono vel subdiacono seu cuilibet clerico.

1. Tot res haec *iuris mere ecclesiastici* est, ut pluries diximus; idcirco a voluntate R. Pontificis pendet ministrum designare, cui potestas sit, ecclesias aliasque res consecrandi. Id certum atque indubitatum esse, ecclesiastica huiusmodi ritus institutione perspecta, neminem latet. Igitur R. Pontifex non solum presbytero, sed etiam diacono vel subdiacono aliive clerico facultatem consecrandi ecclesias committere valet.

2. Num etiam *laicis?* Ex dictis certa consequitur responsio affirmativa, cum totum negotium ex libera Summi Pontificis voluntate unice pendeat. Numquam tamen talis facultas laicis concessa reperitur; nec decet profecto ut concedatur, quia clerici dumtaxat divinis ministeriis mancipantur.

V.

Num Abbas vel Praelatus nullius, charactere episcopali carens, valide consecret, extra proprium territorium, ecclesias.

1. Can. 323, § 2 dicit: « Abbas vel Praelatus *nullius,* si charactere episcopali non sit ornatus, praeter alia munera quae in can. 294, § 2 describuntur, potest quoque ecclesias et altaria immobilia consecrare ».

Can. 294, § 2, referens munera quae spectant ad Vicarios et Praefectos Apostolicos charactere episcopali carentes, statuit: « Possunt *intra sui territorii fines ac perdurante munere,* omnes benedictiones Episcopis

reservatas, una pontificali excepta, impertiri, calices, patenas... consecrare... ».

Ratio dubitandi ex eo oritur quod can. 323, § 2, qui tribuit Abbatibus et Praelatis *nullius* facultatem quoque consecrandi « ecclesias et altaria immobilia », clausulas restrictivas in can. 294, § 2 expressas — « *intra sui territorii fines ac perdurante munere* » — non memorat.

Inde nonnulli concludunt, facultatem consecrandi ecclesias et altaria immobilia, qua pollent Abbates et Praelati *nullius* ex can. 323, § 2, non coarctari ad proprium territorium, sed esse absolutam et universalem, ita ut *ubique locorum* valide ecclesias consecrare possint.

2. Haec opinio, textu et contextu can. 294, § 2 et 323, § 2 mature considerato ac serio perpensis locis Codicis parallelis ad normam can. 18, sustineri nequit. Sane:

a) Principium generale a Codice stututum hoc est: Abbates et Praelatis *nullius* suis peculiaribus facultatibus frui sub his limitationibus, scil. « *intra fines sui territorii* » et « *munere durante* ». Praeterea Codex, hac in re, Abbates et Praelatos *nullius* Vicariis et Praefectis Apostolicis expresse aequiparat. V. g. can. 782, § 3, quoad facultatem conferendi sacramentum confirmationis, dicit: « Hac facultate ipso iure gaudent... Abbates vel Praelati *nullius*, Vicarius et Praefectus Apostolicus, qui tamen *valide* uti nequeunt, nisi *intra fines sui territorii* et *durante munere tantum* ».

Item can. 957, § 2 statuit: « Vicarius ac Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus *nullius*... si episcopali charactere careant, possunt nihilominus *in proprio territorio* et *durante munere tantum*, conferre primam tonsuram et ordines minores... ».

Pariter can. 914: « Benedictionum papalem cum indulgentia plenaria... Abbates vel Praelati *nullius*, Vi-

carii et Praefecti Apostolici... id possunt *in suis territoriis* uno tantum ex sollemnioribus per annum diebus ».

Huic principio *generali*, a Codice constanter ac diserte statuto, eatenus admittenda est derogatio, quatenus expressa fiat mentio. Atqui in can. 323, § 2, ubi sermo est de facultate Abbatum et Praelatorum *nullius* consecrandi ecclesias, nulla fit expressa derogatio praedicto generali principio. Hoc igitur manet firmum et constans.

b) Ratio praefati principii manifesta est eaque nostram doctrinam manifeste comprobat. Vicarii et Praefecti Apostolici, Abbates vel Praelati *nullius*, charactere episcopali carentes, peculialibus fruuntur facultatibus *ratione muneris* dumtaxat, seu quatenus sunt *Ordinarii*. Porro palam est, eos tantum « *munere durante* » et « *intra fines sui territorii* » esse Ordinarios. Igitur eorundem facultates, *ratione officii* concessae, praedictis clausulis necessario limitantur, nempe quoad proprium territorium et muneris durationem.

c) Ne dicas forte: can. 323, § 2 nullam ponit restrictionem, ideoque ea excludenda est. Id falso asseritur; nam eo ipso quod can. 323, § 2 provocat ad can. 294, § 2, in quo praefata limitatio expressa reperitur, implicite refert ipsam quoque limitationem eamque confirmat.

d) Si excluderetur clausula: « *intra sui territorii fines* », excludenda foret etiam alia clausula: « *munere durante tantum* », cum de neutra expressa fiat mentio in can. 323, § 2. Porro omnes admittunt, peculiares facultates, quibus Abbates et Praelati *nullius* gaudent ratione muneris, hoc cessante, amitti. Ergo.

3. Quidnam si Abbas vel Praelatus *nullius* ecclesiam consecraverit de consensu Episcopi dioecesani? Nihil profecto inde sequitur. Episcopus nequit conce-

dere simplici presbytero facultatem consecrandi ecclesias, sed unus R. Pontifex, ut supra ostensum est.

Episcopus *alienus*, sine licentia Ordinarii loci, nequit ecclesias consecrare, ex generali principio quod « *pontificalia exercere* » non potest « *extra dioecesim* sine expresso vel saltem rationabiliter praesumpto consensu Ordinarii loci » (can. 357, § 1). Qui consensus, in casu, non validitatem consecrationis respicit, sed liceitatem tantum.

VI.

Num R. Pontifex ratam habere possit consecrationem invalide peractam.

1. Si forte consecratio invalida fuerit, ut v. g. in casu praedicto, per se iterum ecclesia consecranda est, quia consecratio invalida nullum parit effectum.

2. Sed R. Pontifex huiusmodi consecrationem invalide factam potest etiam sanare seu ratam habere. De hac re nulla est dubitatio: agitur quippe de ritu mere ecclesiastico. Ex dictis patet hanc ratihabitionem fieri non posse ab Episcopo, sed ab uno Summo Pontifice, ab eo scilicet a cuius voluntate consecrationis ritus pendet. Quare merito docet WERNZ: « Multo magis solummodo Romanus Pontifex per meram *ratihabitionem* potest efficere, ut consecratio altaris vel ecclesiae invalide facta sanetur » (1).

Item Card. GASPARRI: « Romanus Pontifex potest quoque ratam habere... ecclesiae consecrationem quae nulla fuit, cum versemur in materia mere ecclesiastica » (2).

Huiusmodi ratihabitionis complura exstant exempla.

FELIX M. CAPPELLO S. I.

(1) *Ius Decretalium*, III, n. 437.
(2) *Tractatus canonicus de Eucharistia*, I, n. 156.

De Periclitanti Honestate coniugali.

Nemo ignorat quam late saeviat et quanta velocitate, tam ruri quam in urbibus, pestis onanismi coniugalis propagetur: de qua re, si opus sit, interrogare quis possit statisticas rationes quas, de regionibus quas lex divortii vastat, exhibemus p. 154*, ss.

Nec negari possunt fomenta vitiorum quae praesenti convictu sociali continentur. Attento vitae regimine quod ipsae inferiores civitatis classes sibi ut quoddam ius vindicant, domestica familiae normalis conversatio impingit difficultatibus quarum ipsa suspicio latebat aetatem superiorem, tunc, cum cultus simplicior populo minus denso dies pacificos agere sinebat. Appetitus autem laetitiae humanae et exterioris, immo libidinis, acuitur in theatris, in cinematographicis spectaculis, in choreis, in officinis pharmacopolorum et bibliopolarum, in vestibus quas ferunt mulieres, puellae, pueri, adolescentes. Inde effrenata delectationum siti generatio nostra exagitatur.

Verum ipsa ista concitamenta eorumque perniciosa vis maxime imputanda sunt apostasiis publicis et privatis, quae homines ita pervertunt ut crucis Christi contemptores, nihil iam sacrum, ne vitam quidem humanam (1) habeant, et non iam nisi misera huius vitae gaudia sapere norint.

In his tamen malis nondum deprehenditur periculum honestatis coniugalis quod in praesenti denuntiare proponimus. Quamdiu enim quod malum est ut tale perhibet, societas etiam corrupta principium servat reformationis et sanitatis. Antiquitus iam Deus

(1) Anno 1927, in Commentario de Communismo, edito publice et praecipue destinato iuventuti, in Russia, legitur: Communismus valorem metaphysicum exsistentiae humanae non agnoscit.

hoc pronuntiaverat: « Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum,, quia caro est » (Gen., 6, 3). Fuisse igitur omni tempore fornicationes et adulteria, etiam post Christum natum, non nimis mirari debemus. Summa est, ut flagitia vituperentur, et ipsi peccatores in conscientia peccati vestigia servent rectitudinis et initium paenitentiae.

Hoc autem maxime deplorandum est, hoc fit societati fexitiosum, si ipsa mali notio caligine obducitur, et quod pessimum est coeptum est celebrari ut innocuum, ut licitum, ut debitum.

Huiusmodi autem periculum hodie matrimonio imminet, sive eius esse, sive eius firmimatem, sive eius fertilitatem consideres. Quae AUGUSTINUS tria bona coniugii christiani praedicabat: proles, fides, sacramentum (1), hodie a multis non practice tantum negleguntur, sed ut ementita bona despiciuntur.

Crescit etiam t le periculum, urgentior fit anxietatis ratio, si non ii soli qui, ab omni fide et religione alieni, vultum iam sursum erigere vix aut ne vix quidem possunt, et recta perversaque miscent, sed ii etiam qui inter bonos et consiliarios bonorum esse putantur simili corruptione aliquatenus attinguntur. Tunc mentem subit dictum a Domino: « Quod si sal evanuerit, in quo salietur? » (S. Matth., 5, 13).

Iam vero errores de sanctis matrimonii legibus etiam tales viros in hodierna societate inficere coeperunt. Fons quem ad id illustrandum adducimus acatholicus quidem est. Sed est multorum praesulum qui se catholicos esse iactant et de Deo et Christo se recte sentire autumant. Ac praeterea, teste PAUL BUREAU in notissimo opere l'*Indiscipline des moeurs* (2), non de-

(1) De *bono coniugii*, c. 32. Reperitur quoque c. 10, C. 27, q. 2. In Florentino Decreto pro Armenis eadem tria bona admissa sunt (Denz. Bannwart, n. 702).

(2) Locus allegatur in ipso opusculo *Lambeth on Contraceptives* (p. 23), scripto a Rev. CH. GORE, qui statim referendae Anglicanorum declarationi magna vi rationum reclamitat.

sunt in clero vere catholico qui saltem silentes in pulpito et in tribunali Paenitentiae cum abutentibus matrimonio connivent. Immo, reperiri etiam qui, solida theologia carentes vel ipsa vitii propagatione nimis perculsi, speculative dubii esse coeperint, negandum vel dubitandum non est.

I. Resolutio 15* conventus Anglicani in Lambeth.

Quare, — omissa nunc quaestione de natura et firmitate matrimonii, ut ad rectum matrimonii usum sermonem contrahamus, — non possumus sine moerore exscribere quae nuper, ipso istius anni augusto mense, de creverunt seu potius declararunt 15^0 loco archiepiscopi et episcopi Anglicani (193 contra 67), in ultima sessione sollemnis eorum conventus in Londinensi palatio Lambeth: « Ubi habetur clare percepta moralis obligatio limitandi vel vitandi paternitatem, norma agendi e christianis principiis desumenda est. Primus et obvius modus est completa abstinentia a commercio carnali (quantum haec sit necessaria) in vita disciplinata et frenata ex virtute Sancti Spiritus. Nihilo minus, in his casibus ubi sic clare percepta obligatio moralis habetur limitandi vel evitandi paternitatem, et ubi adest moraliter sana ratio vitandi completam abstinentiam, Congressus concedit alias methodos adhiberi posse, dummodo id fiat in lumine eorundem principiorum christianorum. Congressus memorat firmam suam reprobationem usus cuiuslibet modi conceptionem cohibendi qui rationibus egoismi, voluptatis vel simplicis convenientiae suadeatur » (1).

(1) Where there is a clearly-felt moral obligation to limit or avoid parenthood, the method must be decided on Christian principles. The primary and obvious method is complete abstinence from intercourse (as far as may be necessary) in a life of discipline and self-control lived in the power of the

Itaque artes neomalthusianas non iam absolute damnarunt. Immo positive annuerunt esse posse moraliter sanas rationes non servandi continentiam quando generatio vitari debet. Quod tot viri ecclesiastici, alieni quidem a vera fide catholica, sublimis tamen gradus in sua communione, quos ornat nomen prudentiae et religionis, id in sollemni conventu declararunt, id gravissimum existimamus pro causa religionis et moralis honestatis. Nec, in re tam salebrosa, vis auctoritatis valde minuetur, eo quod id fecerint cum aliqua cunctatione, adhibendo verba aliquantum obscura, et se de indulgentia excusantes eo quod rationes petitas ex amore proprio, voluptate vel commoditate firmiter repudiarint. Sed, propter eorum auctoritatem, apud multos praesertim suae sectae addictos, sed etiam apud tepidos vel paene incredulos catholicos, invalescet persuasio usus neomalthusianos, non esse intrinsece illicitos, ac proinde iusta et proportionata causa honestari. In aestimatione autem iustae causae, facile in varias sententias abitur, nec argumento invicto constat solum esse casum quem praelati isti explicite admittunt.

Obscuritas autem qua mentem suam veluti abscondunt, relatione commissionis quae conclusionem praeparavit dissipatur. Haec enim, postquam coniugibus quibus iusta causa generationem prohibet ut primo ineundam indicavit viam continentiae, dein subiungit: « Verum habentur moralia adiuncta quae obligationem creant utendi aliis methodis. Obligatio ista sententiae eorum qui in re medica et scientifica

Holy Spirit. Nevertheless, in those cases where there is such a clearly-felt moral obligation to limit or avoid parenthood, and where there is a morally sound reason for avoiding complet abstinence, the Conference agrees that other methods may be used, provided that this is done in the light of the same Christian principles. The Conference records its strong condemnation of the use of any methods of conception-control from motives of selfishness, luxury, or mere convenience. *The Church Times,* Aug. 15, 1930, p. 203.

auctoritate valent quadantenus est obnoxia. In omnibus tamen casibus huius generis, ultima decisio e spiritualibus finibus ob quos matrimonium institutum est definiri debet; horum autem agnitio semper aequaliter requirit ut se prodat christianum imperium in (Selfcontrol) se et virtus ».

Singula coniugum paria debent, — ita praefata relatio, — quasi sub oculis Dei, post maxime accuratam conscientiae deliberationem, pro seipsis rem decidere; et, si mens perplexa sit, post medicam et spiritualem competentis viri consultationem.

« Haec porro nobis esse videtur quaestio quam sibi ponere debent: Foretne conceptio pro aliqua ratione mala? Si perspicue mala foret, et si, ob bonam rationem moralem, via continentiae non est sequenda, usum scientificae methodi impediendi conceptionem, quae deliberate et cum conscientia electa sit, reprobare non possumus » (1).

Lector observabit quo pacto tam relatio Commissionis Antistitum anglicanorum quam horum suffragatio positivam decisionem committant privato coniugum arbitrio, seu, ut aiunt, eorum conscientiae illuminatae a Spiritu Sancto. Hic, in communione anglicana se prodit protestantica fiducia in privatam inspirationem singulorum.

Si quaeras rationes quibus plerique Episcopi anglicani ad tantam indulgentiam permoti sint, has in memorata relatione indicatas reperimus:

1. Silentium Novi Testamenti; nulla definitio Concilii oecumenici.

---

(1) « In our judgment, the question which they should put to themselves is this: Would conception be for any reason wrong? If it would clearly be wrong, and if there is good moral reason why the way of abstinence should not be followed, we cannot condemn the use of scientific methods to prevent conception which are thougtfully and conscientiously adopted » (*The Church Times*, l. c. p. 205).

2. Dubitatio an necessario definitiva sit traditio Ecclesiae catholicae, quam tamen vere firmam agnoscunt, et secundum quam usus methodorum anticonceptionalium, Christiano in omni casu prohibetur. Traditioni isti pondus inesse non negant, sed ipsis pro definita conclusione insufficiens. Summi Patres et plerique medii aevi theologi de mortali damnabant uxoris gravidae usum qui hodie communiter ut licitus perhibetur. Nonne simile esse poterit fatum hodiernae severitatis, qua omnis artificiosa prolis limitatio criminis contra naturam arguitur? Obtenta quidem est apud catholicos Doctores, post non paucas haesitationes, maior uniformitas sentiendi, sed concordia ista non pleniori iuris naturalis indagationi sed auctoritati Romanae Sedis tribuenda videtur.

3. Conniventia, ut ipsi putant, ipsius Communitatis quae omnem methodum praeventivam maxima vi theoretice damnat: fatetur esse occasiones in quibus doctrina practice urgeri nequit (1).

4. Adiuncta in quibus, ut asserunt, simul generatio et continentia ob bonas morales rationes excludi debent.

5. Alter finis commercii coniugalis. Etenim, praeter primariam rationem commercii coniugalis, quae est procreatio prolis, ipse usus matrimonii est finis secundarius sacramenti matrimonii. Exclusio finis primarii exclusionem alterius finis non necessario secumfert.

(1) « It must be recognized that there is in the catholic Church a very strong tradition that the use of preventive methods is in all cases unlawful for a Christian. We acknowledge the weight of that testimony, but we are unable to accept that tradition as necessarily final. It must be admitted that it is not founded on any directions given in the New Testament. It has not behind it the authority of any Oecumenical Council of the Church. Moreover, it is significant that the Communion which most strongly condemns in principle all preventiv methods, nevertheless in practice recognizes that there are occasions when a rigid insistence on the principle is impossibe.

II. Examen rationum

In hac expositione pauca quaedam sunt propria ecclesiae anglicanae, i. e. appellatio S. Scripturae, Concilii oecumenici, privatae inspirationis. De cetero recurrunt fere omnes rationes quae passim hodie, ut quaestiones seu difficultates proponuntur.

Ut de omnibus pauca animadvertamus:

1. Nihil e silentio Novi Testamenti colligi potest, cum alter sit fons revelationis, i. e. Apostolica Traditio. Ut observant alii anglicani, in Novo Testamento etiam de suicidio siletur. Cfr. v. g. *National Life,* aug.-sept. 1930, p. 65.

Nec tantum Conciliaris decisio, sed etiam vox Petri, Vicarii Christi, loquentis per legitimum successorem, est nobis attendenda et audienda ea docilitate quae ab ipso imperatur.

2. Gravis traditio Ecclesiae catholicae non labile sed firmissimum nobis esse debet argumentum. Praeter sollemne iudicium oecumenici Concilii, etiam doctrinae quae ab ordinario et universali magisterio traditur est plane et definitive assentiendum.

Nec vis traditionis infirmatur seu enervatur, quia de circumstantia recte utendi coniugio sententiae variaverint. Quis non videt essentiale discrimen quaestionis quae modum exteriorem attingit, et quaestionis quae, ut in praesenti, intimam actus coniugalis essentiam penetrat; quae non est de tempore copulae ordinatim factae sed de inverso copulae ordine. Posterior haec quaestio, contra ac prior, perspicitur esse substantialis, de qua nulla mutatio rationabiliter exspectari potest. (1)

(1) Miris interdum confusionibus in hac re peccatur. Non ita pridem, liberalis in Parlamento Belgico deputatus (JENNISSEN) mutabiles putabat leges morum, quia vestes hodie toleratae olim fuissent reprobatae, quasi exterior modestia praecepto castitatis directe imperetur; et non iam diu receptum sit non parum, circa vestes, consuetudini et intentioni esse deferendum?

Quod non penitiori naturalis iuris studio sed auctoritati S. Sedis praesens catholicorum doctorum concordia tribuenda sit, id summum protestantes, nullo autem pacto catholicos commovere potest qui probe noverint magisterio Ecclesiae in primis fidendum esse.

3. Esse occasiones in quibus Ecclesia catholica usum contra naturam seu neo-malthusianum permittat, praefracte negandum est. Nec ipsi Ecclesiae imputari potest si forsan non nulli ministri sacri nimia indulgentia pratica erraverint.

4. Esse adiuncta in quibus morales rationes continentiam coniugum excludant, ita ut conflictus oriatur inter necessitatem vitandi prolem et necessitatem utendi coniugio, gratis affirmatur, et proinde gratis negatur. Morales actionis immoralis rationes nullae haberi possunt.

5. Finis secundarius commercii coniugalis agnoscitur quidem et intendi potest, etiam praeter finem primarium, non tamen contra talem. Propter finem primarium institutio exsistit. Fines secundarii ut commoda factae institutionis accedunt. Manifestum igitur est eos fini primario prorsus subordinari, seu non posse contra naturam institutionis intendi vel eligi. Quod ipsa scientia physiologica confirmari videtur. Haec enim hodie demonstrat cellulis proprie germinativis nullam pro proprio viri vel feminae corpore inesse utilitatem, ita ut soli speciei destinentur. In completo igitur commercio coniugali semper fit usus elementi quod ad solum primarium finem ordinem habet.

6. Quod autem nimis multi sint abusus, quod lex castitatis coniugalis heroicam virtutem postulet, id nullum dubium de lege, alioquin probata certa, generare potest, praesertim cum difficultates magnam partem vitiis hodiernae vitae imputandae sint, sine quibus longe minus essent generales. Ipsa ephemeris

unde accepimus relationem de Congressu anglicano *(The Church Times)* id opportune monet: « Ne e memoria nostra excidat, in hac causa, sicut in omni vitae conversatione exigi a Christo heroismum quem Eius servi per Eius virtutem assequi possunt » (1) « Let none forget that in this as in all relationships of lifi, Christ calls to a heroism to which by his power. His servants can attain. » (L. c., p. 205).

Hactenus de singulis rationibus excusandi coniugales abusus. Potestne autem nos fugere, admissa una exceptione, iam intrinsecam vitii malitiam negari, idque in sacra materia propagationis vitae quae ad commune generis humani bonum summopere interest, et de qua valet dictum a S. THOMA, 2. 2, q. 53, art. 3: « Quanto aliquid est magis necessarium, tanto magis oportet ut circa illud rationis ordo servetur? » Negata autem intrinseca malitia, inducitur quidam « relativismus » qui aliis « relativismis » viam pandit. Quam funesta concessio sic fit scholae cui nihil est absolutum, nihil permanens:

Si morales rationes esse possunt pervertendi commercium coniugale, cur nullae oriri possent abusus solitarii et fornicarii? (1)

Ipsi relatores praefati Congressus anglicani profitentur pessima consectaria iam nata ex quo efficaciores methodi impediendi generationem detectae sunt: « Foverunt illicitum commercium inter coelibes, timorem sequelarum removendo. Saepe adhibita sunt ad declinanda officia paterna et ut media se subtrahendi disciplinae, quae aeque in coniugali atque in singulari

(1) Iam iidem Praelati, postquam indissolubile praedicarunt coniugale vinculum, id tamen indulgent, n. II, 11 b: « Quando innocens persona novum fecit matrimonium civiliter sancitum, et s. communionem recipere cupit, (Congressus) commendat ut casus deliberandus Episcopo proponatur, attentis provincialibus ordinationibus »: « Where an innocent person has remarried under civil sanction, and desires to receive the Holy Communion, it recommends that the case should be referred for consideration to the bischop, subject to provincial regulations ».

vita est exercenda. Multis nationibus excultis crearunt periculum ex nimia deminutione optimi earum patrimonii (1) ».

Et dum protestantur summopere interesse ut vita familiaris creetur, servetur et, ubi opus sit instauretur (2); dum denuntiant cladem imminentem, nisi cohibeatur aperta et agnita laxitas quae, in omni classe civium aetatem nostram velut sua nota signat (3); dum primarium matrimonii finem, primariam matrimonii legem agnoscunt, immo et nobilitatem sacrificii extollunt (4), privato arbitrio permittunt iudicium de morali causa violandi matrimonii ordinem (5); dum rationes amoris proprii excludunt, fatentur se non posse completum catalogum texere adiunctorum quae bonam moralem rationem suppeditant vitandi conceptionem (6). Quam

(1) « They have encouraged illicit intercourse among the unmaried by removing the fear of consequences. They have been frequently used to avoid the responsabilities of parenthood and as a means of escaping of the self-control which should be exercised in married as well as in single life. They have become a danger to many civilized nations by a disproportionate reduction of their best stocks ».

(2) « A supreme interest of the Church », says the report, « is the creation, the maintenance and, where needed, the restoration of family life »: (*The Church Times p. 205*).

(3) The Committee deplored that « our age is marked in all classes of society by an open and avowed laxity which, if unchecked, must lead to desaster. » (Ibidem)

(4) « It is axiomatic that parenthood is for married people the foremost duty; to evade or disregard that duty must always be wrong. It is equally axiomatic that the state of marriage is a Divinely ordered relationship, in which intercourse between man and woman calls for the highest exercise of the Christian vertues of self-discipline, self-control and self-sacrifice. There are multitudes of married people who have found in that mutual sacrifice a bond of deeper unity as well as an ever-increasing moral strength. » (Ibidem)

(5) « Yet there exist moral situations which make it obligatory to use ther methods. To a certain extent this obligation is affected by the advice of medical and scientific authority. But in all such cases, as in those where abstinence is the way chosen, the final decision must still be determined by reference to the spiritual ends for which marriage was ordained; and the attainment of these still calls for the same exhibition of Christian self-discipline and virtue. *Each couple must decide for themselves,* as in the sight of God, after the most careful and conscientious thought, and, if perplexed in mind, after taking competent advice, both medical and spiritual. » (Ibidem)

(6) « Plainly, we cannot provide a complete list of circumstances affording a good moral reason for avoiding conception » (Ibidem).

prudenter S. AUGUSTINUS hoc monebat: « Cum concesseris admittendum esse aliquod malum ne gravius admittatur, non ex regula veritatis, sed ex sua quisque cupiditate atque consuetudine, metitur malum, et id putat gravius quod ipse amplius exhorrescit, non quod amplius re vera fugiendum est *(De mendacio*, c. 18. P. L., 40, 513). Atque ex ipso *Church Times,* id addere possumus: « In his materiis sexualibus, nimis facile se ipse decipit « In all these matters of sex, self-deception is all too easy ». (P. 205).

In hac indulgentia, cernere licet communem debilitatem sectarum quae misere separatae sunt a petra super quam Christus fundavit suam Ecclesiam (S. Math. 16, 18). Gloria et nobilitas catholicae Ecclesiae Romanae etiam in eo splendet, quod thesauros fidei et morum intactos ipsa praeservat.

Inter ipsos tamen communionis anglicanae assectatores, complures ministri atque etiam praesules, inter quos eminet Rev. C. GORE, concessionem Congressus Lambeth summopere deplorarunt. Haec est intimae conscientiae vera vox quam Deus, qui etiam malo ad fines bonos uti novit, voluit ut occasione sumpta erroris commissi in Lambeth, elatius redderetur. Ac dum ipsi firmiter tenent tum e traditione quae a prima Ecclesiae aetate ad nos perpetua et constans pervenit, tum ex ipsa ratione constare de intrinseca artificiose impeditae foecundationis malitia; quin immo, dum protestantur a confessario absolvi non posse paenitentem qui abusum fatetur neque ei renuntiare annuit (1), ipsi nos catholicos in morali Ecclesiae doctrina confirmant, atque animos addunt ut tamquam privati, tamquam ministri sacri, urbane quidem sed incunctanter

(1) « It is certain, then, in my judgment, that a priest, who is responsible for following the judgment of the Church, cannot absolve a penitent who confesses the use of some contraceptionist method and declines to relinquish it » (CH. GORE, *Lambeth on Contraceptives*, p. 22 Mowbray, London).

genuinam doctrinam profiteamur, et postulata honestatis coniugalis etiam practice urgeamus.

His dictis minime negamus opportunitatem studendi profundius et melius exponendi sanctas matrimonii leges. « Graecis ac Barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum », aiebat Apostolus (Rom, I, 14). Id tamen non est praetereundum, magis quam argumentis rationis, innitendum nobis esse auctoritate divinitus institutae Ecclesiae, quae est « columna et firmamentum veritatis » (2 Tim. 3, 15).

A. VERMEERSCH S. I.

Incolarum, Nubentium, Divortium facientium, Neonatorum ab a 1921 ad 1927, Statisticae rationes in 17 Statibus, civilis divortii lege affectis.

N. B. *Propter gravissimas quaestiones morales quae hodie agitantur, confidimus fore ut lectores statisticas has rationes libenter accipiant. Non nullae, deficientibus tabulis, lacunosae sunt.*

Status	Annus	Incolae	Matrimonia	Divortia	Neonati	Inter quos nati mortui
Americae Sept. foederati Status.	1921	108.449000	1.163863	159580	1.714261	
	22	109.493000	1.134151	148815	1.774911	
	23	111.693000	1.229784	165096	1.792646	
	24	113.727000	1.178318	170952	1.930614	
	25	115.378000	1.182005	175449	1.878680	
	26	117.136000	1.202574	180853	1.856098	
	27	118.628000	1.201053	192037	2.137836	
Anglia	1921	37.887000	320852	3522	848814	
	22	37.158000	299524	3588	780124	
	23	38.403000	292408	2667	758131	
	24	38.746000	296416	2286	729833	
	25	38.890000	295699	2605	710582	
	26	39.067000	279860	2622	694563	
	27	39.290000	380370	3190	654172	

Status	Annus	Incolae	Matrimonia	Divortia	Neonati	Inter quos nati mortui
Austria	1921	6.229310	78075	5675	146345	4511
	22	—	74274	5394	155704	4746
	23	6.562152	56594	5336	151766	4879
	24	6.603588	52845	5508	146869	4728
	25	6.639814	50842	5350	139973	4132
	26	6.664139	48046	3179	131158	3908
	27	6.671333	48493	5148	130711	3670
Belgium (1)	1921	7.541306	88456	3665	171564	8231
	22	7.598806	82806	3718	161393	7782
	23	7.666055	79786	3253	162988	7514
	24	7.744259	80088	2956	160161	7023
	25	7.811876	74761	2503	160954	6656
	26	7.874601	72517	2349	156379	6436
	27	7.932077	71921	2361	151402	6127
Dania	1921	3.306000	26768	—	80816	2001
	22	3.339000	26354	1308	75716	1817
	23	3.374000	26842	1872	76666	1839
	24	3.408000	26482	1710	75639	1803
	25	3.440000	25786	1889	73634	1737
	26	3.467000	25733	1904	72377	1643
	27	3.487000	26199	—	69622	1589
Esthonia	1921	1.107059	9644	240	—	—
	22	1.114498	9494	569	22803	548
	23	1.116730	8761	482	22964	617
	24	1.117270	8207	491	22943	502
	25	1.116343	8550	593	20918	473
	26	1.114941	8660	560	20411	434
	27	1.115320	8642	553	20105	400

(1) De Belgio copia nobis etiam fuit indicandi quot, ex mille incolis, nati fuerint et nuptias contraxerint. Itaque:

Anno	Neonati	Matrimonia	(ex 1000 incolis)
1921	2183	11.83	—
22	2037	10.98	—
23	2044	10.49	—
24	1993	10.42	—
25	1975	9.57	—
26	1904	9.21	—
27	1832	9.07	—

Status	Annus	Incolae	Matrimonia	Divortia	Neonati	Inter quos nati mortui
Gallia	1921	39.210000	455543	32472	846481	34705
	22	39.420000	384585	27548	791635	31933
	23	39.880000	355066	23399	792044	30786
	24	40.310000	355401	20974	782419	28900
	25	40.610000	352830	19871	799046	28986
	26	40.744000	345415	19844	795584	28109
	27	40.920000	336364	18897	770254	28984
Gedonensis (Dantzig)	1921	—	4100	195	11402	299
	22	-	3735	279	10236	269
	23	—	3356	212	9842	223
	24	383995	2665	215	10277	284
	25	—	2904	241	9975	279
	26	—	2898	184	9412	283
	27	—	3060	178	9118	255
Germania	1921	60.625763	731157	32249	1.611420	50973
	22	61.185366	681891	30139	1.450893	46678
	23	61.677292	581277	28024	1.340154	42705
	24	61.952388	440039	29587	1.313625	42805
	25	62.410619	482792	29327	1.336327	43828
	26	62.865886	483198	27979	1.269419	41519
	27	63.252312	538463	29725	1.200029	38310
Graecia	1921	5.973721	33852	1392	119903	1638
	22	6.392000	30356	—	110846	1210
	23	6.493000	44165	—	115210	1284
	24	6.445000	44451	—	118220	1206
	25	6.522000	—	—	143755	1758
	26	6.600000	—	—		
	27	6.204684	—	—	—	
Helvetia	1921	3.884050	32624	1979	83173	2365
	22	3.891700	30063	2108	78536	2246
	23	3.901980	29561	2005	77694	2143
	24	3.917800	28510	2119	75564	2056
	25	3.936330	28110	2223	74509	1939
	26	3.959000	28079	2213	73963	1845
	27	3.987000	28585	2500	71283	1750
Hungaria	1921	8.065537	93310	6188	261999	6546
	22	8.141465	87871	7419	255863	6584
	23	8.221149	78706	6933	245550	6578
	24	8.274943	75060	6105	228054	6592
	25	8.368273	74382	5750	242136	6656
	26	8.457852	76849	5853	236287	6803
	27	8.525725	77026	5666	224278	6230

Status	Annus	Incolae	Matrimonia	Divortia	Neonati	Inter quos nati mortui
Iaponia	1921	56.787300	519217	53402	2.129177	138301
	22	57.655800	515916	53053	2.102558	132244
	23	58.481500	512689	51202	2.177160	133863
	24	59.138900	513130	51770	2.124359	125839
	25	59.736822	521438	51687	2.210494	124403
	26	60.521600	502847	50119	2.228443	124038
	27	61.316600	487850	50626	2.177659	116922
Islandia	1921	95180	562	23	2682	81
	22	96386	564	15	2604	58
	23	97704	551	17	2663	51
	24	98483	557	25	2592	67
	25	100117	623	23	2621	67
	26	101764	673	36	2746	70
	27	103317	594	20	2715	73
Lettonia	1921	1.850622	12299 ?	188	36420	3394
	22	1.885870	15619	—	41146	3734
	23	1.909700	15636	852	41800	3693
	24	1.854957	15534	885	41946	628
	25	1.844805	15149	1033	41679	632
	26	1.857004	15439	1256	42304	606
	27	1.870520	15531	1177	41610	694
Luxemburgia	1921	261236	2523	62	5683	189
	22	261985	2220	56	5276	182
	23	264711	2353	92	5661	193
	24	267071	2329	67	5574	205
	25	286865	2311	72	5786	167
	26	271231	2535	77	5834	195
	27	285105	2743	57	6062	198
Neerlandia	1921	6.977445	63572	1988	196898	7352
	22	7.086955	61151	1954	189088	7262
	23	7.212739	57167	2024	193056	7382
	24	7.315046	56433	2102	187552	6932
	25	7.416418	54768	2198	183206	4661
	26	7.526606	55295	2368	182015	4520
	27	7.625938	56551	2571	179761	4663
Norvegia	1921	2.687493	18228	-	65192	1171
	22	2.716581	17319	—	63772	1311
	23	2.731619	17080	620	62601	1283
	24	2.753507	16704	636	59148	1429
	25	2.772414	16332	638	55192	1357
	26	2.788893	16055	680	54961	1258
	27	2.797827	—	589	52050	1102

Status	Annus	Incolae	Matrimonia	Divortia	Neonati	Inter quos nati	mortui
Nova Zelandia	1921		10635	796	20470		903
	22	1.248198	9556	643	29848		842
	23	1.271741	10070	666	28861		894
	24	1.293903	10259	768	28869		855
	25	1.325037	10419	723	29014		861
	26	1.344469	10680	739	29359		886
	27	1.373746	10478	722	28759		878
Scotia	1922	4.882497	39243	500	123201		
	22	4.904456	34375	382	115085		
	23	4.901100	35200	363	111902		
	24	4.881637	32328	438	107900		
	25	4.893032	32456	451	104137		
	26	4.896638	31244	425	102447		
	27	4.891953	—	474	105672		
Suecia	1921	5.954316	39550	1444	130931		3208
	22	5.987520	36806	1473	119863		2917
	23	6.005759	37829	1531	108594		2917
	24	6.036118	37385	1634	104952		2768
	25	6.053562	—	1748	110347		2605
	26	6.074368	—	1780	111823		2584
	27	6.087923	—	1973	100361		2514
Tchecoslovachia	1921	13.722892	164988	5477	408266		9247
	22	13.841321	141552	6187	297672		9333
	23	13.985862	130448	5342	388650		9390
	24	14.116852	126624	5198	372333		9177
	25	14.244279	131117	5136	364389		8450
	26	14.353364	131374	5033	359994		8254
	27	14.438971	130182	5188	343265		7682

His addere visum est duo exempla nationum quae a lege divortii sunt immunes

Status	Annus	Incolae	Matrimonia	Neonati	Inter quos nati	mortui
Hispania	1921	21.502768	165224	666597	11705	
	22	21.658222	163444	673644	17551	
	23	21.763147	157530	681250	18674	
	24	21.966641	158410	672480	19395	
	25	22.127699	158962	664027	19286	
	26	22.290162	162176	682692	20080	
	27	22.440156	159554	656369	19705	
Italia	1921	38.790000	425682	1.172122	53778	
	22	39.136000	350969	1.180395	52951	
	23	39.401000	320834	1.158273	50768	
	24	39.693000	306830	1.173264	48794	
	25	40.064000	295769	1.156428	48078	
	26	40.406000	295566	1.138519	43932	
	27	40.796000	302564	1.136567	43513	

De vocatione sacerdotali et religiosa.

I. Error corrigitur ubi deprehenditur.

In anglica translatione opusculi nostri de Vocatione religiosa et sacerdotali, locum ubi de privata consultatione agimus translator sic anglice reddidit: « The confessor speaking in the name of Christ, must express the sentiments of Christ. Therefore he must beware of persuading individuals to join the secular clergy, or of concealing the better things in such a manner that individuals are turned away from the religious state. With this precaution, it is more allowable, it seems to us, to proceed openly, by using a personal and direct invitation, when encouraging capable young men to become priests, than to use the same means when urging them to enter the religious state »

In opere autem « The secular priesthood » (1). Rev. Mahoney, DD, locum praefatum ita intellegit quasi verba « The confessor... must beware of persuading individuals to join the secular clergy » posita sint *absolute*, ac non dependeant etiam a completiva enuntiatione, « in such a manner, etc... religious state ». Inde laudatus auctor me perhibet ut auctorem novae normae, tam singularis et extraordinariae ut non possit eam benignius tractare quam si eam ut lusorie propositam existimet: etsi, ut ipse subiungit, hic locus non esset ludo opportunus. « The confessor must beware of persuading people to join the secular clergy! Moral theologians are accustomed in every school of theology to having their little joke. The kindest way of regarding this extraordinary doctrine is to treat it as a joke, out of place, indeed, in such a context, but clearly not to be taken seriously ».

(1) London, Burns, Oates ant Washbourn.

Profecto bonam fidem scriptoris suspicari nolumus. Ipse errorem suum quadantenus excusare possit, propter omissam virgulae interpunctionem post verba « the better things ». Interpunctio enim manifestum fecisset verba « in such a manner » ad utrumque prioris propositionis membrum aeque referri debere. Verum, etiamsi omissio interpunctionis (quae fortasse mere est mendum typographicum) tantam vim anglice haberet ut relationem ad prius membrum excluderet, plura tamen in exegesi clarissimi scriptoris miramur.

Miramur quod cum altera, rationabilis explicatio suppeteret, eam selegerit quae nobis ascribit doctrinam quam, ut ipse ait, non potest magis urbane denominare nisi ut ridiculam.

Miramur quod antequam tam gravem reprehensionem nobis impingat, ipse non consuluerit originalem textum latinum, qui clarissimus est: « Confessario, qui profecto, dum Christi nomine loquitur, Christi etiam mentem gerere debet, cavendum est *ne ita* suadeat cooptationem in corpus sacerdotum saecularium *vel ita* meliora dissimulet, ut animos a sanctiore consiliorum evangelicorum abducat proposito ».

Miramur quod non attenderit ad verba (supra relata), immediate sequentia, quibus suademus ut magis directe quam ad statum religiosum, confessarius idoneum iuvenem ad sacerdotalem capessendum invitet: quae verba sane conciliari nequeunt cum placito « ne suadeat cooptationem in clerum saecularem ».

Reverendus auctor emendationem loci promisit in altera sui operis editione. Prae futura tamen, et fortasse incerta, correctione, malimus praesentem obtinere, memores proloquii: « Error corrigitur ubi deprehenditur ».

II. De apta ratione plures excitandi vocationes sacerdotales et religiosas.

Etsi vera vocatio ad statum superiorem sit a Deo, Divina Bonitas etiam in hac nobili re, cooperationem nostram admittere dignatur. Semina vocationis excolere, efficere ut remote vocatis adsint etiam exteriora adiumenta quibus eorum vocatio proxima et praesens fiat, hae partes nostrae dici possunt. Quare sermo nobis esse potest, sicut in opusculo nostro supra memorato observamus, de ratione qua plures vocationes praeparare possimus.

Iam vero, in *Osservatore Romano*, diei 29 augusti, huius anni 1930, mira foecunditas spiritualis angusti loci Italiae narratur, subiuncta ratione qua tanta messis colligi potuerit.

In pago, cui nomen Lu, dioecesis Casale Monferrato, qui constat 4000 incolarum quorum 2500 in parte centrali versantur, 1500 in partibus etiam distantibus sunt dispersi, ortum habuerunt nunc 500 sacerdotes vel religiosi utriusque sexus, i. e. circa 12, 5, p. c.

Undenam tanta huius telluris foecunditas?

Haec ibi facta considerate.

Anno 1870, octo vel decem matres familias coeperunt semel in mense, die dominica, post meridiem convenire ut in communi Dominum orarent ut Deus suae Ecclesiae multos bonos sacerdotes et religiosos concederet. Etsi, per undecim annos, usque ad 1881, locus iste proprio parocho destitueretur, matres praefatae constanter in sua pia exercitatione mensili perseverarunt. Tunc parochi nominati opus istud foverunt, et in praesenti omnes pagi matres participant conferentiam et menstruam pro vocationibus precationem quae, in prima mensis dominica post meridiem peragitur, postquam mane sacra communio, Missa et aliae preces ad eandem intentionem oblatae fuerint. No-

tandum enim est in Lu iam anno 1870 frequentem sacramentorum usum floruisse, ita ut circa quadraginta communiones cotidie porrigendae essent.

Hodie numerantur 70 milia communionum in anno; cotidie distribuuntur 160 communiones.

Sicut scriptor articuli in *Observatore* animadvertit, ista periodica instantia pro vocationibus superioribus, matribus ingerit stabilem de vocationibus sollicitudinem, propter quam student et ipsae sanctius agere dies et prolem instituere. Inde ipsi filii in orbe non solum christiano sed etiam perfectioni addicto aluntur. E loco exsulant pompae mundanae, ita ut ipsis adiunctis vocationes foveantur, et simul animo vere evangelico universus populus imbuatur.

En vis frequentis communionis et mensilis orationis in communi fusae pro vocationibus. Namque in Lu nihil aliud extraordinarium vel non commune habetur.

Cum eodem scriptore optamus ut tale exemplum non sit aliis locis sterile sed, quatenus adiuncta id permittant, excitet imitationes quibus Deus det incrementa.

A. VERMEERSCH S. I.

De Primo noviciatus initio

Dubii occasio. Can. 553 statuit, noviciatum incipere susceptione habitus vel alio modo in Constitutionibus praescripto. Cum de loco ubi habitus sit suscipiendus taceat, quaesitum est utrum noviciatus valide extra noviciatus domum inchoari queat, firmo semper praescripto de absentia quae triginta dies superare non possit, an necessario requiratur ut in ipsa noviciatus domo initium fiat probationis utilis ad professionem.

Resp. Scriptores qui post Codicem quaestionem istam formaliter tractent vel attingant nullos repperimus, ita ut dubium non videantur suspicati esse.

Nihilo minus pro certo habemus ad ipsum valorem opus esse ut novicius in ipsam noviciatus domum ut probandus recipiatur. Supponimus agi de anno canonico qui ad valorem requiritur, non de altero ex binis annis qui in pluribus institutis sunt, non tamen ad valorem, impositi.

Etenim, 1. iure iam antiquo, initium probationis intellegebatur haberi tantum ab ingressu in monasterium legitime designatum. Hoc tantum controvertebatur, utrum necne praeterea opus esset suscepto habitu in Ordinibus qui proprio habitu distinguuntur. Cfr REIFFENSTUEL, *Decret.* III, 31, 92; SCHMALZGRUEBER, III, 31, 56, ss.

2) Id ex ipsis verbis Conc. Tridentini colligitur. Concilium postulat « ut novicius per annum, post susceptum habitum in probatione steterit ». Quaenam probatio hic supponitur nisi legitima? Quamdiu novicius noviciatum ingressus non est, nondum est in probatione.

3) Si absentia infra triginta dies noviciatum non interrumpit, ratio non est quod novicius etiam extra conventum probari censeatur, sed quia modicum intervallum non attendi permittitur. Sed *intervallum* ante inceptam rem non concipitur. Quare, secure scribebamus (*De religiosis* I, n. 185): « Ut communis fert usus verborum et approbatae postulant regulae, *initium* probationis est ab ingressu in conventum seu monasterium legitime designatum ».

Iam vero, in dubio, ab antiquo iure non est recedendum.

4) Sed estne res dubia? Ex can. 555, § 1, ad validitatem noviciatus opus est ut noviciatus — per annum integrum et continuum — in domo noviciatus — pera-

gatur ». Unde iterum dicendum est, integritati non obesse modicum intervallum; sed intervallum haberi non posse nisi post legitime factum initium, quod in solo noviciatu contingere potest.

A. VERMEERSCH S. I.

De Transeunte ad aliam religionem.

Species casus. — Vi can. 634, Professus a votis simplicibus perpetuis qui, auctoritate S. Sedis ad aliam religionem transierit, non solum inter noviciatum vota sua servat sicut omnis professus transiens, sed praeterea, post noviciatum, praetermissa professione temporaria, ad professionem perpetuam in religione ad quam transierit, a Superiore, cum voto deliberativo sui consilii, admittitur, salvo Superioris iure eum diutius non tamen ultra annum probandi.

Iam vero, cum facultate S. Sedis ad Congregationem votorum simplicium perpetuorum transivit alumnus societatis virorum qui in communi vivunt sine votis, sed, in locum votorum, promissionem fidelitatis faciunt. Alumnus de quo agitur perpetua huiusmodi promissione ligatur.

Quaeritur iam utrum necne, absoluto noviciatu, ad vota temporaria an ad vota perpetua sit admittendus.

Respondemus alumnum istum ad vota perpetua esse admittendum. Etenim, can. 634 ex iis est qui, vi can. 681, *congrua congruis referendo*, ad societates virorum qui in communi vivunt sine votis, traducendus est. Manifestum est, ut congrua congruis referantur, promissionem perpetuam aequiperandam esse votis perpetuis, quod ad casum praesentem.

Id luculente confirmatur responso 1 mart. 1921 Pont. Commissionis C. I. C. quae, interrogata de modo

applicandi can. 681 ad dimissiones, haec declaravit: « Si vinculum quo astringuntur sodales Societatis sine votis est temporale, serventur canones qui agunt de dimissione religiosorum qui vota temporaria emiserunt; si sit perpetuum, serventur canones de dimissione religiosorum qui vota perpetua nuncupaverunt ». (1) Perinde, ex perfecta analogia, dicendum est de votis vel de promissione eius qui transiit.

Observes quoque hoc diversae solutionis incommodum. Si sodalis societatis sine votis, sed promissione perpetua astrictus, non emitteret nisi temporariam professionem, recuperaret in Congregatione religiosa libertatem redeundi ad vitam prorsus saecularem, quam, Dei causa, in Societate sine votis abdicaverat: id sane menti potestatis ecclesiasticae adversatur.

A. VERMEERSCH S. .

De SS. Rosario coram Sanctissimo.

Species facti. Die 4 septembris 1927, SS. Dominus, peculiari brevi, occasione sumpta eucharistici Congressus Bononiensis, recitantibus coronam B. M. V. coram Sanctissimo plenariam indulgentiam, toties quoties concessit. De liberali ista largitione non nulla dubia, immo etiam controversiae sunt exorta.

1. Quaeritur de necessitate piae meditationis mysteriorum inter istam recitatam coronam.

Respondemus necessitatem istam ambigi non posse. Breve enim postulat devotam *tertiae partis Rosarii* B. M. V. recitationem. Servanda igitur est forma Rosarii. Sed ab ipso LEONE XIII didicimus Rosarium esse certam precandi formulam « qua quindecim angelica-

(1) Cfr A. A. S. XIII, 177 vel PER., X, 325.

rum salutationum decades, oratione dominica interiecta distinguimus, et ad earum singulas totidem nostrae reparationis mysteria pia meditatione recolimus ».

Meditatio autem ista recitationem decadis praecedere vel ei misceri potest.

2. Controversia autem orta est de condicione: *Coram Sanctissimo*. Etenim doctissimus GENNARO, in *Perfice Munus* mensis octobris huius anni, sufficere existimat ut recitetur ista tertia Rosarii pars ante quodlibet altare, si ibi Missa offeratur, per tempus quod a consecratione ad s. Communionem decurrit; sufficere etiam si recitetur in choro, quamvis Sanctissimum asservetur in sacello quod, v. g. ad latus chori exstructum, etiam pariete a choro separetur. Rationes dat, quod, in priore casu, recitatio fiat vere coram Sanctissimo praesenti in altari a consecratione usque ad peractam communionem. In *Palestra del Clero*, 30 oct. 1930, p. 537, diversimode concluditur, quia in utroque casu recedatur a proprietate verborum, secundum quam non recitat coram Sanctissimo qui recitat extra omnem conspectum tabernaculi vel Expositae Hostiae, vel etiam coram altari ubi Missa celebratur.

Ac re vera existimamus benignam interpretationem modo relatam excludi ipsis verbis Brevis, quae ita sonant: « ante Sacratissimi Corporis Christi sacramentum ad publicam fidelium venerationem expositum, vel etiam in tabernaculo adservatam ». In neutro casu praefato alterutrum habetur. Interpretatio Doct. viri habenda est ut extensiva, quae sola Pont. Commissionis interpretando Codici vel indulto S. Sedis fieri potest.

Tenor concessionis et non nullae aliae solutiones reperiri possunt in *Per.* XVI, p. 125, ss.

A. VERMEERSCH S. I.

De Filiatione et relatione in tabulas baptismi.

Species facti. *Agatha,* vix mortuo marito quocum ad finem usque eius vitae commercium habuit, ad alia vota cum alio viro legitime (pro more illius regionis) transivit. Post sex vel septem menses a novo matrimonio proles nascitur vivens et perfecte vitalis. Cum autem ad parochum baptizandus deferretur, parochus anxius quaesivit utri marito, priori an posteriori, proles ascribenda esset; seu cuiusnam nomen ferre deberet.

Responsum. In primis observes, canonibus 1028 et ss. pluries statui ut occurrentia dubia Ordinario loci solvenda traderentur. Id can. 1028 decernit de faciendis vel omittendis publicationibus matrimonialibus; can. 1030 de iterandis publicationibus si intra sex menses matrimonium non fuerit contractum; can. 1031, § 1, 3^{0} de dubio circa exsistentiam impedimenti; can. 1031, de detecto post primam vel secundam publicationem impedimento; can. 1032, de celebrando matrimonio vagorum; can. 1034, de celebrando matrimonio filiorumfamilias, insciis vel rationabiliter invitis parentibus.

Quare dicemus, rem, nisi nimis urgeat, esse Ordinario deferendam.

Ut tamen dubium directe solvamus, proli nomen prioris mariti, tamquam patris moraliter certi, esse dandum in baptismi actis.

Etenim proles vitalis edi nequit si tantum sex menses a conceptione elapsi sint. Nec post septem menses est per se vitalis, quamvis res non sit penitus desperata, si praesto sint peculiaria instrumenta incubationis. Tunc autem ipsa prolis debilitas defectum plenae maturitatis patefacit.

Cum autem, in praefato casu, proles post sex vel septem menses a matrimonio nata sit perfecte vitalis, moraliter constat eandem fuisse ante matrimonium, ac proin a priore marito conceptam.

A. VERMEERSCH S. I.

Solutio casus de legitimo usu matrimonii propositi p. 132*.

Ad I. Solutio casus huc vertitur, utrum coniugio indulgentes non tantum negative conceptionem artificiose impedire vetentur, an etiam *positive* curare debeant ut aptae foecundationis condiciones adsint, quae sine propria culpa desiderantur.

Iam vero ista cura positiva, saltem sub gravi imposita esse non probatur. Sin minus, difficilius admitteretur honestas copulae cum uxore gravida, vel cum uxore quae propter aetatem iam concipere nequit. Nec copulae, de cetero recte factae, honesta causa, propter alios fines matrimonii, deest.

Quare respondendum est mulieri *non sub gravi* incumbere officium reponendi uterum, etiamsi id per se ipsa facere possit; *nec sub levi* quidem, si medicus adeundus ideo sit: tunc enim repositio medium evaderet extraordinarium. Incommodum talis interventus medici excusationem praebet a cura positiva circumstantiae quae mulierem idoneam faceret generationi.

Inde quoque liquet, licere ut interea copulam petat vel reddat.

Utrum mulier sit obstetrix an non, id parum refert: id solum attendendum est, utrum necne difficultas reponendi uterum ideo fiat minor ac proin levis obligatio adesse possit.

Ad II. Ex dictis sequitur etiam Titiae licere ut coniugio utatur. Praeterea, si eius condicio talis fuerit ut non possit congruenti ratione sibi et proli providere alimenta, non est reprehendenda si, propter talem inopiam, non cupiat habere filios.

PARS ALTERA

MONUMENTA

1. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Litt. enc. " Mens Nostra „ 20 dec. 1929.

DE USU EXERCITIORUM SPIRITUALIUM

MAGIS MAGISQUE PROMOVENDO

(A. A. S., 31 dec. 1929, XXI, 689)

PIUS PP. XI.

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Prooemium.

a) *Finis Iubilaei indicti.*

Mens Nostra quae fuerit quive animus, cum, ineunte anno, extraordinarium Iubilaeum universo orbi catholico denuntiavimus ad anniversarium celebrandum diem quo ante quinquaginta annos, sacerdotali consecratione accepta, rei divinae ad altare operati primum sumus, id profecto, Venerabiles Fratres, neminem vestrum fugit. Ut enim Constitutione Apostolica « Auspicantibus Nobis », die 6 Ianuarii 1929 edita, solemniter declaravimus (1), ad id consilii non tantum adducebamur ut dilecti filii Nostri, ingens familia christiana quam benignissimum Dei Cor cordi Nostro credidit, communis Parentis laetitiae in partem vocati, animorum consensione gratias Nobiscum Summo bonorum omnium Datori agerent et haberent; verum etiam quod imprimis arridebat Nobis iucunda spes, fore ut reseratis, paterna liberalitate, caelestium munerum thesauris quorum dispensationi praepositi sumus, christiana plebs felici occasione

(1) *Acta Apost. Sedis,* vol. XXI (1929), pag. 6; *Per.,* XVIII, 1.

esset usura ad fidem roborandam, pietatem perfectionemque augendam, moresque privatos et publicos ad Evangelii normam fideliter castigandos; unde, tamquam laetissimus fructus pacis veniaeque a Deo impetratae, pax singulorum atque societatis exspectanda foret.

b) *Fructus Iubilaei peracti.*

Neque haec spes ad irritum redacta est. Etenim incensa religionis studia, quibus christianus populus Iubilaei promulgationem excepit, progrediente tempore, nedum deferbuerunt, sed ea magis magisque in dies invalescere conspeximus, opitulante etiam Deo, qui ea rerum eventa suscitavit quae huius anni revera salutaris memoriam in omnem posteritatem propagarent. Nos autem abunde habuimus cur laetaremur, cum magna ex parte tam praeclaram fidei ac pietatis accessionem oculis Nostris hausissemus, conspectuque fruiti essemus tantae carissimorum filiorum multitudinis, quos libenter in Aedes Nostras admittere et ad cor Nostrum, ut ita dicamus, peramanter premere licuit. Iam, dum impensius misericordiarum Patri grati animi sensus exhibemus qui tot tantosque fructus in vinea sua fundere, maturare atque congerere in huius anni piacularis decursu dignatus sit, pastoralis sollicitudo Nos movet atque impellit ad operam dandam ut ex tam secundis initiis maiora in posterum habeantur ac permaneant emolumenta, quibus felicitati ac saluti singulorum, adeoque universae societatis, probe consulatur.

c) *Quomodo hi fructus conservandi.*

Reputantibus vero Nobis qua via quave ratione auspicati huiusmodi fructus constent, occurrit decessor Noster f. r. LEO XIII, qui, sacrum annum alia occasione indicens, gravissimis verbis, quae Nosmet ipsi in memorata Constitutione « Auspicantibus Nobis » iteravimus (1), fideles omnes hortatus est ut « colligerent paulisper sese, et demersas in terram cogitationes ad meliora traducerent » (2); itemque animum subit s. m. decessor Noster PIUS X, qui, cum, verbo et exemplo, sacerdotalem sanctitatem continenter provexisset, annum agens quinquagesimum a sacerdotio suscepto, piissimam ad clerum catholicum « Exhortationem » habuit (3), pretiosis atque lectissimis refertam documentis quibus spiritualis vitae aedificium ad non vulgarem celsitudinem adduceretur.

d) *Exercitiorum usus ad id commendandus ducitur.*

Horum igitur Pontificum vestigiis ingressi, opportunum duximus aliquid Nos quoque praestare: auctoresque sumus

(1) *Acta Apost. Sedis*, vol. XXI (1929), pag. 6; *Per.*, XVIII, 1.

(2) Litt. Encycl. « *Quod auctoritate* » 22 dec. 1885; « *Acta Leonis XIII* », vol. II, pp. 175 ss.

(3) Exhortatio ad clerum catholicum: « *Haerent animo* », 4 aug. 1908 (*Acta Sanctae Sedis*, vol. XLI, pp. 555-577).

excellentis cuiusdam rei, e qua plurima et egregia in populum christianum commoda profectura speramus. Usum intelligimus Exercitiorum spiritualium, quem, nedum in utroque Clero, verum etiam inter ipsa laicorum catholicorum agmina cotidie proferri latius atque diffundi vehementer cupimus, eundemque ceu sacri huius anni monumentum dilectis filiis Nostris relinquere placet. Quod quidem eo libentius facimus extremo hoc quinquagesimo anno ab inito divini sacrificii ministerio. Nihil enim iucundius obtingere Nobis potest quam memoria repetere caelestes gratias atque inenarrabiles consolationes, quas saepe, Exercitiis spiritualibus vacando, experti sumus; assiduitatem quam sacris secessibus attulimus, quibus veluti totidem gradibus curriculum Nostrum sacerdotale notavimus; lucem atque stimulos, quos ex eis hausimus ad divinum beneplacitum cognoscendum et implendum; operam denique in ea toto muneris Nostri sacerdotalis decursu collatam ad proximos in rebus caelestibus excolendos, tam ingenti animarum fructu atque incredibili proventu, ut in spiritualibus exercitationibus singulare aeternae salutis praesidium positum esse atque constitutum merito censeamus.

I. - Exercitiorum spiritualium momentum, opportunitas, utilitas.

a) *Pro nostra aetate potissimum.*

Re quidem vera, Venerabiles Fratres, non uno tantum titulo momentum, utilitas atque opportunitas sacrorum secessuum agnoscitur, si quis vel leviter tempora, quae nacti sumus, perpendat. Gravissimus quo aetas nostra urgetur morbus, idemque fecundus malorum fons, quos cordatus quisque conqueritur, est levitas atque inconsiderantia illa, quae homines per devia transversos agit. Hinc perpetua ac vehemens ad exteriora effusio, hinc inexplebilis divitiarum atque voluptatum cupiditas quae excellentiorum bonorum desideria in animis hominum pedetentim extenuat atque restinguit, eosdemque ita externis atque fluxis rebus implicat, ut de veritatibus aeternis, de divinis legibus deque ipso Deo, unico rerum omnium creatarum principio et fine cogitare prohibeat: qui tamen, pro infinita bonitate sua ac misericordia, nostris quoque diebus largissima gratiarum copia, quantumcumque morum pravitas ubique gliscat, homines ad se allicere haudquaquam desistit. Huic autem aegritudini curandae, qua tam vehementer humana familia laborat, quodnam praesidium atque allevamentum aptius proponemus quam ut enervatas istas animas atque aeternarum rerum neglegentes ad piam Exercitiorum spiritualium recollectionem invitemus? Et sane, quamvis nihil aliud Spiritualia Exercitia essent nisi brevis quidam aliquot dierum secessus quo homini,

a communi mortalium societate et sollicitudinum turba remoto, opportunitas praeberetur non quidem vacua quiete tempus illud transigendi, sed gravissimas quaestiones excutiendi, quae penitus humanum genus sine intermissione pulsarunt, de sua origine deque suo: « Unde veniat et quo vadat »; profecto nemo non dabit, ex sacris exercitationibus haud mediocres utilitates elici posse.

b) *Ad efformandum hominem.*

Verum maiora adhuc praestant pii eiusmodi secessus; qui, cum hominis mentem ad elaborandum in hoc compellant ut in ea quae cogitarit, dixerit, fecerit, intentius inquirat diligentiusque introspiciat, mirum quantum humanas facultates iuvant; ita ut in hac insigni spiritus palaestra mens ad res mature perpendendas et aequa lance librandas assuescat, voluntas firmiter roboretur, cupiditates consilii gubernatione comprimantur, vitae humanae actio cum mentis cogitatione coniuncta ad certam normam rationemque efficienter exigatur, anima denique nativam nobilitatem ac celsitudinem attingat, quemadmodum concinna similitudine in suo libro Pastorali Sanctus Pontifex Gregorius declarat: « Humana mens, aquae more, circumclusa ad superiora colligitur, quia illud repetit unde descendit; sed relaxata deperit, quia se super infima inutiliter spargit » (1). Praeterea, spiritualibus commentationibus se exercens, nedum « in Domino suo laeta mens quibusdam silentii stimulis excitatur et ineffabilibus vegetatur excessibus » uti sapienter Lugdunensis Episcopus S. Eucherius animadvertit (2), verum divina liberalitate ad illud « caeleste pabulum » accersitur, de quo Lactantius ait: « nullus enim suavior animo cibus est quam cognitio veritatis » (3); eamque secundum sententiam vetusti cuiusdam auctoris qui diu S. Basilius Magnus habitus est, « caelestis doctrinae schola ac divinarum artium disciplina » (4) excipit, ubi « Deus est totum quod discitur, via qua tenditur, totum per quod ad summae veritatis notitiam pervenitur » (5). Hinc liquido apparet spiritualia Exercitia cum ad naturales hominis vires perficiendas, tum maxime ad hominem supernaturalem seu christianum conformandum imprimis valere. Per haec profecto tempora, quibus genuino Christi sensui et spiritui supernaturali, quo religio

(1) S. Greg. M., *Pastor.*, L. 3, adm. 15 (Migne, *P. L.*, tom. 77; col. 73).
(2) S. Eucher., *De laud. eremi*, 37. (Migne, *P. L.*, tom. 50, col. 709).
(3) Lactan., *De falsa relig.*, L. 1, c. 1. (Migne, *P. L.*, tom. 6, col. 118).
(4) S. Basil. M., *De laude solitariae vitae*, initio (*Opera omnia*, Venetiis, 1751, tom. 2, pag. 379).
(5) Ibid.

sancta nostra unice constat, tot impedimenta ac repagula circumiciuntur, dum naturalismus longe lateque dominatur, qui fidei firmitatem debilitat et christianae caritatis flammas extinguit, maximopere interest ut homo se a fascinatione illa « nugacitatis » subducat quae « obscurat bona » (1) inque beato illo secreto se abdat, ubi, caelesti magisterio excultus, humanae vitae iustam aestimationem ac pretium intelligat, in unius Dei servitio collocandae; noxae turpitudinem horrescat; timorem Dei sanctum concipiat; terrestrium rerum vanitatem tanquam amoto velo clare intueatur; monitis et exemplis excitatus illius, qui est « via et veritas et vita » (2), veterem hominem (3) exuat, abneget semetipsum, et humilitate, obedientia ac voluntaria sui castigatione comitibus, Christum induat, contendatque ut ad « virum perfectum » atque ad absolutam illam « mensuram aetatis plenitudinis Christi » (4) perveniat, de qua Apostolus loquitur, imo toto animo nitatur ut ipse quoque cum eodem Apostolo repetere possit: « Vivo autem, iam non ego; vivit vero in me Christus » (5). Per quos sane gradus anima ad consummatam perfectionem ascendit et Deo suavissime iungitur, divinae gratiae praesidio, fervidioribus precibus per illos dies atque maiore sacrorum mysteriorum frequentia copiosius impetrato.

Singularia profecto ac praestantissima sunt haec, Venerabiles Fratres, quae naturam longe supergrediantur et in quorum adeptione unice quies, felicitas, pax vera repositae sint, quas humanus animus sitienter appetit et hodierna societas, illecebrarum aestu abrepta, incassum in incertis atque caducis bonis avide persequendis, in vitae tumultu ac perturbatione quaerit. E contrario, mirabilem vim pacis hominibus conciliandae eosque ad vitae sanctimoniam evehendi in Exercitiis spiritualibus inesse probe edocemur; quod ceteroquin superiorum saeculorum, nostraeque fortasse aetatis etiam clarius, diuturno experimento comprobatur, cum innumeri propemodum illi, qui sacro Exercitiorum recessu rite exculti sunt, ex eodem « radicati et superaedificati » (6) in Christo prodierint, luce referti, gaudio cumulati, paceque illa perfusi quae « exsuperat omnem sensum » (7).

(1) Sap. IV, 12.
(2) Io. XIV, 6.
(3) Rom. XIII, 14.
(4) Ephes, IV, 13.
(5) Galat. II, 20.
(6) Coloss. II, 7.
(7) Philipp. IV, 7.

c) *Ad efformandum apostolum.*

Verum ex hac vitae Christianae absolutione quam spiritualia Exercitia afferre in comperto est, praeter interiorem animi pacem, veluti sua sponte alius fructus lectissimus profluit, qui in haud exiguum rei socialis commodum egregie redundat: studium videlicet animarum Christo lucrandarum, quod spiritus apostolicus nuncupari solet. Genuinus enim caritatis effectus is est, ut anima iusta, in qua Deus ex gratia insidet, mirum in modum incendatur ad ceteros in partem vocandos cognitionis et amoris infiniti illius Boni quod ipsa assecuta est ac possidet. Iamvero, nostro hoc saeculo quo spiritualibus auxiliis humanum consortium tantopere eget, et cum remotae Missionum plagae, quae « albae iam sunt ad messem » (1), parem necessitati apostolorum curam magis magisque postulant, tum regiones ipsae nostrae lectissimas ex utroque Clero virorum manus exigunt qui idonei sint dispensatores mysteriorum Dei et densa proborum laicorum agmina qui, necessitudine arcta cum apostolatu hierarchico coniuncti, actuosa industria eum iuvent, multiplicibus operibus ac laboribus Actionis catholicae sese devovendo; Nos, Venerabiles Fratres, historia magistra edocti, sacros Exercitiorum secessus tanquam divino numine excitata Coenacula habemus atque celebramus, ubi magnanimus quisque, divinae gratiae praesidio suffultus, facem praeferentibus aeternis veritatibus et Christi exemplis hortantibus, non modo animarum pretium clare cognoscat desiderioque inflammetur earum iuvandarum in quocumque vitae statu, diligenti examine praemisso, Creatori suo sibi serviendum esse perspexerit, sed etiam christiani apostolatus ardorem, industrias, labores, fortia facinora addiscat.

II. - Exercitia spiritualia in Ecclesiae historia.

a) *In Ecclesiae exordio.*

Ceterum, hanc viam atque rationem Dominus noster saepenumero adhibuit in Evangelii praeconibus conformandis. Etenim divinus ipse Magister, qui non satis habuit longos annos in Nazarethanae domus secessu extrahere, antequam gentibus pleno lumine emicaret et verbo eas ad caelestia erudiret, solidos quadraginta dies in desertissima eremo traducere voluit. Quin imo, in medio evangelicorum laborum cursu Apostolos identidem ad amicum secessus silentium invitare consueverat: « Venite seorsum in desertum locum et requiescite pusillum » (2); atque ex aerumnosa hac terra in caelum digressus, eosdem Apostolos discipulosque suos in Hierosolymitano coenaculo

(1) Io. IV, 35.
(2) Marc. VI, 31.

expoliri et perfici voluit, ubi decem dierum spatio « perseverantes unanimiter in oratione » (1) digni facti sunt qui Spiritum Sanctum reciperent: memorandus sane recessus, qui primus spiritualia Exercitia adumbravit, ex quo virtute atque robore perpetuo pollens Ecclesia prodiit, et in quo, praesente Deipara Virgine Maria patrocinioque suo validissimo sospitante, una cum Apostolis ii quoque instituti sunt, quos Actionis Catholicae praecursores merito appellaveris.

Ex eo die Exercitiorum spiritualium usus, si minus nomine et ratione qua hodie utimur, at saltem re « familiaris factus est inter priscos christianos » (2), ut S. Franciscus Salesius docuit claraque indicia in SS. Patrum operibus reperta denuntiant. Nam S. Hieronymus nobilem feminam Celantiam hortabatur: « Eligatur tibi opportunus et a familiae strepitu remotus locus, in quo velut in portum te recipias. Tantum ibi sit divinae lectionis studium, tam crebrae orationum vices, tam firma de futuris cogitatio, ut omnes reliqui temporis occupationes hac vocatione compenses. Nec hoc ideo dicimus quo te retrahamus a tuis: imo id agimus ut ibi discas ibique mediteris qualem tuis praebere te debeas » (3). Et Hieronymi aequalis S. Petrus Chrysologus, Ravennas Episcopus, notissima hac invitatione fideles compellabat: « Dedimus corpori annum, demus animae dies... Vivamus Deo paululum qui saeculo vximus totum... Auribus nostris insonet vox divina: familiaris strepitus nostrum non confundat auditum... Sic muniti, fratres, instituti sic, indicemus bella peccatis... securi de victoria » (4).

b) *In media aetate.*

Progrediente vero tempore, semper homines tenuit placidae solitudinis desiderium, ubi, remotis arbitris, anima ad res divinas intenderet: imo compertum est, quo turbulentiora incidunt humanae societati tempora, eo vehementius a divino Spiritu homines iustitiae ac veritatis sitientes ad secretum urgeri, « ut a corporeis cupiditatibus saepius liberi possint in aula mentis divinae vacare sapientiae, ubi, omni strepitu terrenarum silente curarum, in meditationibus sanctis et deliciis laetentur aeternis » (5).

c) *S. Ignatius de Loyola.*

Cumque providentissimus Deus in Ecclesia sua viros complures suscitasset supernis muneribus abunde ditatos vitaeque supernaturalis magisterio conspicuos, qui sapientes normas at-

(1) Act. Ap. I, 14.
(2) S. Franc. Sal., *Traité de l'Amour de Dieu,* L. 12, c. 8.
(3) S. Hieronym., Ep. 148 ad Celant., 24. (Migne, *P. L.,* tom. 22, col. 1216).
(4) S. Petr. Chrysolog., serm. 12 (Migne, *P. L.,* tom. 52, col. 186).
(5) S. Leo Magn., serm. 19 (Migne, *P. L.,* tom. 54, col. 186).

que asceseos methodos probatissimas cum e divina revelatione, tum e proprio usu, tum etiam e superiorum saeculorum experientia expresserunt, Dei providentis nutu in lucem prodierunt, operâ insignis Dei servi Ignatii de Loyola, Exercitia spiritualia proprie dicta: « thesaurus » — ut ea appellabat venerabilis ille vir, ex inclito S. Benedicti Ordine, Ludovicus Blosius, cuius sententiam affert S. Alfonsus Maria de Ligorio in pulcherrima quadam epistola « de Exercitiis in solitudine peragendis » — « thesaurus quem Deus novissimis hisce temporibus Ecclesiae suae reseravit et cuius merito eximiae gratiarum actiones Eidem persolvendae sunt ». (1).

d) *S. Carolus Borromaeus.*

Ex his spiritualibus Exercitiis, quorum laus citius in Ecclesia percrebuit, ad sanctitatis spatia alacrius decurrenda, inter alios plures, stimulos sibi subiecit venerabilis noster ac tot titulis Nobis carissimus S. Carolus Borromaeus, qui, ut alias data occasione meminimus, « eorundem usum in clerum populumque divulgavit » (2), eaque, sedula actione sua et auctoritate, nedum aptissimis regulis ac *directoriis* locupletavit, sed eo usque progressus est, ut domum conderet ubi homines ignatianis commentationibus unice excolerentur. Quam vero domum *Asceterium* nominavit, ea, quantum scimus, prima salutanda videtur inter ceteras omnes quae postea, felici imitatione, ubique floruerunt.

e) *Domus peculiares Exercitiis habendis.*

Etenim cum in dies Exercitiorum existimatio in Ecclesia augeretur, mirum quam huiusmodi domus multiplicatae sint: quas vere peropportuna diversoria dixeris in arido huius vitae deserto collocata, ubi, seorsim, spirituali pabulo recreantur ac reficiuntur utriusque sexus fideles. Reapse, post immanem belli cladem quod tam acriter humanam familiam perturbavit, post tot vulnera quibus spiritualis civilisque populorum prosperitas sauciata est, qui animo recenseat ingentem illorum numerum qui, cum fallaces quas antea fovebant spes extenuari atque evanescere vidissent, terrestria posthabenda caelestibus plane intellexere, praesentissimaque divini Spiritus ope ad veram animi pacem in sacris secessibus quaerendam convolarunt? Argumento manifestissimo omnes ii sunto, qui sive perfectioris ac sanctioris vitae pulchritudine allecti, sive saevissimis saeculi tempestatibus iactati, sive vitae sollicitudinibus commoti, sive mundi

(1) S. Alf. M. de' Liguori, « *Lettera sull' utilità degli Esercizi in solitudine* »: Opere ascet. (Marietti, 1847) vol. 3, pag. 616.

(2) Const. Apost., « *Summorum Pontificum* », 25 iul. 1922; *Acta Apost. Sed.*, vol. XIV (1922), pag. 421; *Per.*, XI, p. 75.

fraudibus ac fallaciis circumventi vel rationalismi teterrima peste conflictati vel sensuum illecebris deliniti, in sanctas illas aedes sese subducentes, solitudinis quietem eo regustaverunt dulcius quo graviores exantlarant labores, atque, caelestia retractantes, vitam suam ad supernaturalia documenta composuerunt.

III. - Exercitia spiritualia pro variis hominum classibus.

Nos igitur, dum grato iucunditatis sensu his praecellentis pietatis inceptis maxime laetamur, in cuius amplificatione validissimum praesidium atque subsidium contra ingruentia mala repositum esse pro certo habemus, animum simul inducemus, quantum in Nobis erit, suavissimo Divinae Bonitatis consilio obsecundare, ne arcana haec invitatio, Spiritus Sancti instinctu in mentibus hominum excitata, optatissima caelestium munerum ubertate privetur.

a) *Pro Curia Pontificia.*

Id autem libentiore animo praestamus, quod a decessoribus Nostris factum esse videmus. Nam iamdudum Apostolica haec Sedes, quae verbis Exercitia spiritualia saepe commendarat, exemplo auctoritateque sua fideles docuit, augustas Vaticanas aedes per aliquot dies in Coenaculum meditationis atque orationis identidem convertendo: quem quidem morem haud exiguo animi Nostri gaudio ac solacio Nosmet ultro recepimus. Atque ut eiusmodi gaudium ac solacium et Nobis et his, qui propius a Nobis absunt, communibus ipsorum optatis satisfaciendo, comparemus, iam nunc omnia ordinari iussimus, ut quotannis spiritualia Exercitia in hisce Aedibus Nostris habeantur.

b) *Pro Episcopis.*

Vos quoque, Venerabiles Fratres, quanti Exercitia spiritualia faciatis, in comperto est: eis enim operam dedistis antequam sacris initiaremini; eis vacastis priusquam sacerdotii plenitudo vos ornaret; subindeque, nec raro, sacerdotibus vestris rite convocatis vosmetipsi praeeuntes, ad eadem confugitis, ut animos vestros caelestium contemplatione reficiatis. Quod quidem praeclarum facinus dignum sane est, quod Nos debita ac publica prosequamur laude. Neque minore commendatione ornandos censemus Episcopos illos sive Orientalis sive Occidentalis Ecclesiae, quos una cum proprio Metropolita vel Patriarcha nonnumquam in pium secessum, eorundem muneribus atque officiis accommodatum, convenisse novimus. Exemplum sane luculentissimum quod, quantum natura rei id sinit, speramus fore ut sedula aemulatione propagetur. Neque magna fortasse in hoc difficultas superanda erit, si secessus huiusmodi occasione illorum conventuum instituantur, quos universi alicuius Ecclesiasticae Provinciae Praesules ex officio

celebrant, sive ut communi animarum saluti provideant, sive ut quae maxime postulare temporum conditiones videantur, deliberent. Id quidem Nos ipsi cum Episcopis omnibus Insubris regionis peragere constitueramus brevissimo illo spatio quo Mediolanensis Ecclesiae gubernacula tractavimus, et procul dubio illo primo regiminis anno perfecissemus, nisi arcana Divinae Providentiae consilia aliter de humilitate Nostra statuissent.

c) *Pro Sacerdotibus.*

Iure igitur persuasum Nobis est Sacerdotes ac religiosos viros qui Ecclesiae legem hac in re praevertentes, iampridem laudabili studio Exercitia spiritualia frequentabant, in posterum eo maiore adhuc diligentia hoc sanctitatis adipiscendae instrumento usuros, quo gravius sacrorum Canonum auctoritate ad illud impelluntur.

Quare sacerdotes Cleri saecularis impense hortamur ut fideles se exhibeant in Exercitiis spiritualibus peragendis, saltem modica illa mensura quam Codex Iuris Canonici eis praescribit (1) eaque ardenti suae perfectionis desiderio aggrediantur et obeant, ut copiam illam spiritus supernaturalis sibi comparent, quae maximopere eis necessaria est ad spirituale commissi sibi gregis emolumentum procurandum atque magnas animarum praedas Christo lucrandas. Hanc enim viam calcarunt sacerdotes omnes, qui, animarum salutis studio flagrantes, in proximis ad sanctimoniae semitam dirigendis Cleroque educendo praestiterunt, quemadmodum, ut recens exemplum proferamus, cernere licet in Iosepho Cafasso, cui beatorum caelitum honores Nosmet ipsi decrevimus. Siquidem sanctissimo viro solemne semper fuit assiduam Exercitiis spiritualibus operam navare, quibus in se aliisque Christi administris sanctitatem impensius foveret et caelestia consilia cognosceret; ut cum egressus aliquando e sacro recessu, divino lumine donatus, iuniori cuidam sacerdoti, qui eo a confessionibus utebatur, eam viam ineundam aperte commonstravit, quae ad supremum virtutis fastigium illum perduxit: beatum Ioannem Bosco dicimus, cui nomini nullum par elogium.

Qui vero in religiosae disciplinae septis quovis titulo militant, cum quotannis sacris exercitationibus perfungi lege iubeantur (2), nullum dubium est quin e sacris hisce secessibus magnam caelestium bonorum abundantiam relaturi sint, unde, prout cuique opus est, amplioris perfectionis haustus excipere,

(1) Cod. Iur. Can., can. 126.
(2) Cod. Iur. Can., can. 595, § 1.

praesidiaque omnia ad consiliorum evangelicorum viam alacrius terendam sibi comparare queant. Annua enim Exercitia mysticum « lignum vitae » sunt (1), quo tam singuli quam communitates laude illa sanctimoniae vigebunt, qua familia quaevis religiosa floreat oportet.

Neque putent utriusque Cleri sacerdotes tempus spiritualibus exercitationibus traductum in ministerii apostolici detrimentum cessurum. Scilicet audiant Sanctum Bernardum, qui Summo Pontifici beato Eugenio III, cuius quondam magister fuerat, scribere haud dubitabat: « Si totus vis esse omnium, instar illius qui omnibus omnia factus est, laudo humanitatem, sed si plena sit. Quomodo autem plena, te excluso? Et tu homo es: ergo ut integra et plena sit humanitas, colligat et te intra se sinus qui omnes recipit; alioquin, quid tibi prodest, si universos lucreris, te ipsum perdens? Quamobrem, cum omnes te habeant, esto et tu ex habentibus unus. Memento, non dico semper, non dico saepe, sed vel interdum reddere te ipsum tibi ». (2)

d) *Pro laicis Actionis Catholicae.*

Haud minore cura, Venerabiles Fratres, auctores sumus ut spiritualibus Exercitiis apte expoliantur multiplices cohortes Actionis Catholicae quam totis viribus provehere atque commendare non desistimus neque unquam desistemus, quippe quae perutilis (ne dicamus necessariam) participatio laicorum ad hierarchicum apostolatum habeatur. Equidem satis verbis exprimere non possumus singularem qua perfusi sumus laetitiam postquam accepimus ubique ferme sacrarum commentationum peculiares series esse institutas, quibus pacifici ac strenui hi Christi milites, praesertim vero tironum manipuli, excolantur. Qui, cum frequentes ad eas convolent ut ad sacra proelia Domini proelianda paratiores promptioresque inveniantur, in eisdem non solum subsidia ad christianae vitae formam in se perfectius exprimendam reperiunt, verum etiam non raro arcanam Dei vocem corde percipiunt eos ad sacra munia et ad provehenda animarum lucra vocantis atque adeo ad apostolatum plene exercendum impellentis. Splendida haec quidem caelestium bonorum aurora, quam perfecta dies brevi sequetur et cumulabit, modo ut Exercitiorum spiritualium consuetudo latius porrigatur, prudentique peritia propagetur inter varias catholicorum, praecipue iuniorum, consociationes (3).

(1) Gen, II, 9.

(2) S. Bern., *De consider.*, L. 1, c. 5. (Migne, *P. L.*, tom. 182, col. 734).

(3) Cfr « *Ordine del giorno di Mons. Radini-Tedeschi* » nel Congr. Catt. Ital., an. 1895.

e) *Pro omnibus hominum coetibus.*

Cumque nostra hac aetate temporalia bona atque ex eis pullulantia vitae commoda simul cum aliqua opulentia ad opifices ceterosque operam locantes haud parce defluxerint, eos in feliciorem vitae conditionem adducendo, miserentis ac providentis Dei bonitati adscribendum est quod in vulgus quoque fidelium caelestis hic Exercitiorum spiritualium thesaurus spargitur, qui, ceu sacoma, homines contineat ne, fluxarum rerum pondere pressi et in huius commoditates suavitatesque vitae se ingurgitantes, ad placita moresque materialismi misere labantur. Qua de causa iure Opera « pro Exercitiis » quae iam nonnullis in regionibus sobolescunt, maximeque frugiferos ac peropportunos « Opificum secessus » cum adiectis « Perseverantiae » sodalitiis ardenti studio ac favore prosequimur, eaque omnia, Venerabiles Fratres, pastorali vestrae solertiae ac sollicitudini commendata volumus.

IV. - Modus peragendi exercitia spiritualia.

Verum, ut laeti quos narravimus fructus ex sacris exercitationibus profluant, congrua sedulitate eis operam dare necesse est; nam si tantummodo consuetudinis causa, si tarde, si oscitanter Exercitia haec peragantur, exiguum sane vel nullum exinde emolumentum capietur.

a) *Solitudo et quies ab exterioribus curis*

Qua de re, ante omnia opus est ut, solitudine comite, ad sacras commentationes animus intendatur, remotis scilicet omnibus vitae cotidianae curis atque sollicitudinibus; nam ut perspicue docet aureus libellus « De Imitatione Christi »: « In silentio et quiete proficit anima devota » (1). Quamquam igitur laudandas profecto omnique pastorali industria promovendas, utpote a Deo benedictionibus plurimis auctas, sacras commentationes existimamus, quibus publice multitudines exerceantur, maxime tamen Exercitia spiritualia urgemus in secreto peracta, quae « clausa » vocant, quibus homo facilius a creaturarum commercio distrahitur, dissipatasque animi partes cogit ut uni sibi ac Deo, veritatum aeternarum contemplatione, vacet.

b) *Congruum temporis spatium.*

Insuper veri nominis Exercitia spiritualia spatium aliquod temporis, quod in eis traducatur, requirunt. Et quamquam illud pro rerum et personarum ratione contrahi ad paucos dies vel extrahi ad solidum mensem potest, nihilo secius nimis coarctandum non est, si utilitates, quas Exercitia pollicentur, captare quis vult. Ut enim loci salubritas tunc tantum valetudinem corporis iuvat, cum hoc ibidem aliquantulum commoratur, ita salutaris sacrarum commentationum ars spiritui efficienter non opitulatur, nisi illum aliquandiu exercet.

(1) *De Im . Chr.*, L. I, c. 20,6.

c) *Methodus optima adhibenda.*

Postremo, maxime refert ad Exercitia spiritualia rite obeunda fructumque ex eis comparandum, ut sapienti atque apposita peragantur methodo.

Porro exploratum est, inter omnes Exercitiorum spiritualium methodos quae laudabiliter admodum sanae asceseos catholicae principiis inhaerent, unam prae ceteris primas semper tulisse, quae, plenis iteratisque Sanctae Sedis approbationibus exornata, praeconiisque nobilitata virorum doctrina spirituali ac sanctitate praestantium, ingentes sanctimoniae fructus quattuor fere saeculorum spatio est consecuta: methodum intelligimus invectam a sancto Ignatio de Loyola, quem praecipuum et peculiarem Magistrum Exercitiorum spiritualium appellare placet, cuius « admirabilis ille Exercitiorum liber » (1), parvus quidem mole sed caelesti sapientia refertus, ex quo sollemniter approbatus, laudatus, commendatus fuit a f. r. decessore Nostro Paulo III (2), iam tum, ut verba iteremus a Nobis antequam ad Petri cathedram eveheremur aliquando adhibita, iam tum, inquimus, « eminuit et claruit tanquam sapientissimus atque omnino universalis normarum codex ad animas in viam salutis ac perfectionis dirigendas, tanquam inexhaustus spectatissimae aeque ac solidissimae pietatis fons, tanquam acerrimus stimulus beneque peritus praemonstrator ad morum emendationem procurandam vitaeque spiritualis culmen attingendum » (3). Cumque, initio Pontificatus Nostri, « Sacrorum Antistitum universi fere orbis catholici ex utroque ritu flagrantissimis studiis votisque satisfacientes » Constitutione Apostolica « Summorum Pontificum » die 25 Iulii 1922 data « Sanctum Ignatium de Loyola omnium Exercitiorum spiritualium, ideoque institutorum, sodalitiorum, coetuumque cuiusvis generis iis, qui Exercitia spiritualia obeunt, operam studiumque navantium, Patronum caelestem declaravimus, constituimus » (4), fere aliud nihil praestitimus praeterquam suprema Auctoritate Nostra illud sancivimus quod communi Pastorum et fidelium sensu perhibebatur; quod implicite, una cum memorato Paulo III, insignes decessores Nostri Alexander VII (5), Benedictus XIV (6), Leo

(1) Brev. Rom., *in festo S. Ign.* (31 iul.), lect. 4

(2) Litt. Apost. « *Pastoralis officii* », 31 iul. 1548.

(3) « *S. Carlo e gli Esercizi spirituali di S. Ignazio* » in: « S. Carlo Borromeo nel 3º Centenario della Canonizzazione », n. 23, Sett. 1910, pag. 488.

(4) Const. *Apost.*, « *Summorum* Pontificum », 25 iul. 1922; *Acta Apost. Sedis*, vol. XIV (1922), pag. 421; *Per.*, XI, 75.

(5) Litt. Apost., « *Cum sicut* », 12 Oct. 1647.

(6) Litt. Apost., « *Quantum secessus* », 20 mart. 1753; Litt. Apost., « *Dedimus sane* », 16 maii 1753.

XIII (1), saepe Ignatianas commentationes laudibus exornantes dixerant; quod magnis praeconiis, imo ipso virtutum exemplo quas in hac palaestra hauserant vel amplificaverant, extulere ii omnes, ut verba ipsius Leonis XIII usurpemus, « qui vel asceseos disciplina vel sanctitate morum » superioribus quattuor saeculis « maxime floruerunt » (2). Et re quidem vera: excellentia spiritualis doctrinae prorsus a periculis erroribusque falsi mysticismi alienae; admirabilis facilitas Exercitia haec ad quemvis hominum ordinem ac statum accommodandi, sive ii in coenobiis contemplationi incumbunt, sive in saecularibus negotiis actuosam vitam traducunt; aptissima partium coagmentatio; mirabilis ac lucidus ordo quo e veritatibus commentandis altera alteram excipit; documenta denique spiritualia quae hominem, excusso iugo criminum et morbis qui moribus inhaerent detersis, per securas semitas abnegationis atque pravorum habituum detractionis (3), ad suprema orationis amorisque divini fastigia perducunt; procul dubio haec omnia talia sunt, quae efficacem Ignatianae methodi naturam atque vim satis superque ostendant Ignatianasque commentationes affatim commendent.

d) *Recollectio menstrua.*

Restat, Venerabiles Fratres, ut ad tuendum custodiendumque spiritualium Exercitiorum fructum, quem disertis laudibus prosecuti sumus, eiusque salutarem memoriam refricandam, piam consuetudinem quam veluti Exercitiorum brevem geminationem dixeris, recollectionem scilicet menstruam vel saltem tertio quoque mense instituendam enixe suadeamus. Hic mos, quem - placet verbis iisdem uti decessoris Nostri s. m. Pii X - « libentes videmus pluribus in locis inductum » (4) atque vigere praesertim apud religiosas communitates piosque Cleri saecularis sacerdotes, vehementer optamus ut inter ipsos laicos, quod sane in haud exiguam eorum utilitatem cedet, inferatur, illos potissimum qui, rei familiaris forte distenti curis aut negotiis impliciti, ab Exercitiis spiritualibus prohibeantur; his enim recollectionibus optata ipsorum Exercitiorum emolumenta aliqua saltem ex parte supplere poterunt.

---

(1) Epist. « *Ignatianae commentationes* », 8 febr. 1900; Acta Leonis XIII, vol. VII, pag. 373.

(2) Ibid.

(3) Epist. Apost. Pii PP. XI, « *Nous. avons appris* », 28 mart. 1929, ad Card. Dubois.

(4) Exhort. ad Cler. Cath., « *Haerent animo* », 4 Aug. 1908: *Acta Sanctae Sedis*, vol. XLI, pag. 575.

Conclusio.

Hoc modo, Venerabiles Fratres, Exercitia spiritualia, si ubique per omnes christianae societatis ordines diffusa diligenterque peracta sint, spiritualis regeneratio consequetur: fovebitur pietas, religionis vires alentur, frugiferum explicabitur apostolicum munus, atque pax singulorum et societatis tandem regnabit.

Dum, sereno caelo terraque silente, medium orbem nox subiret, in secreto, procul ab hominum frequentia, Verbum aeternum Patris, humana natura assumpta, mortalibus apparuit, insonuitque per aethereas regiones caelestis hymnus: « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis » (1). Praeconium hoc christianae pacis: - Pax Christi in regno Christi - summum apostolici cordis Nostri desiderium exhibens, ad quod studia laboresque Nostri enixe contendunt, valde animos christianorum percellet, qui, a tumultu et a saeculi vanitatibus abstracti, in alto abditoque secreto veritates Fidei exemplaque retractaverint Illius qui mundo pacem attulit eamque ceu hereditatem reliquit: « Pacem meam do vobis » (2).

Hanc veri nominis pacem hoc ipso die quo, divino beneficio, quinquagesimus sacerdotii Nostri annus completur, vobis, Venerabiles Fratres, ex corde ominamur; eandemque instante suavissima illa Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi celebritate, quae mysterium pacis nuncupari potest, ab Eo, qui Princeps pacis salutatus est, fervidis precibus postulamus.

Atque his sensibus, erecto in spem laetam firmamque animo, auspicem divinorum munerum et benevolentiae Nostrae testem, vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro, hoc est universae ac dilectissimae familiae Nostrae catholicae, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XX mensis Decembris anno MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri VIII.

PIUS PP. XI.

ANNOTATIONES

I. Novum huius ephemeridis volumen utilius et opportunius auspicari non posse visi sumus quam a suavissimis et piissimis istis litteris encyclicis quae e paterno communis Fidelium Patris animo tunc ema-

(1) Luc. II, 14.
(2) Io. XIV, 27.

narunt quando ipse Pastor cum ovibus suis de quinquaginta sacerdotii sui annis Deo exsultans gratias agebat. Ipso litterarum initio ingentem familiam christianam repraesentat *ut cordi suo* a Corde Dei creditam; permultos vero qui ad Ipsum accesserunt peramanter ad *Cor suum* se pressisse testatur atque in fine ut summum *Cordis sui* desiderium exhibet, ominatur et fervidis precibus postulat pacem Christi in regno Christi; quam interiorem pacem in intimo Christi regno profecto gustabunt, quotquot monitis et hortationibus S. Pontificis dicto obtemperantes, a tumultu et a saeculi vanitatibus abstracti, intuentes in exempla Regis pacifici et Pastoris animarum, Deo vere vacare voluerint.

II. Postquam intentionem suam in promulgando iubilaeo extra ordinem declaravit et de collectis spiritualibus fructibus gavisus est, ipse, exempla Decessorum suorum secutus, spirituale documentum legare statuit, i. e *usum Exercitiorum spiritualium*. Ac statim memorat, tamquam primum argumentum pro electo legato propriam experientiam: quantum solacii, luminis, et subsidii pro suo apostolatu ex peractis Exercitiis spiritualibus ipse saepe collegerit.

III. Ipsa Pontificia editio, cuius etiam notas marginales exscripsimus, in has quattuor partes encyclicas litteras dividit: 1. Exercitiorum spiritualium momentum, opportunitatem, utilitatem; — 2. Eorum in Ecclesia historiam, — 3. Eorum variis hominum classibus commendationem; — 4. Aptiorem modum eadem peragendi.

IV. 1. Demonstrat quantum valeant exercitia spiritualia ad corrigendam hodiernae societatis levitatem; ad debellandum naturalismum et perficiendum hominem naturalem et supernaturalem; ad zelum apostolicum excitandum sive qui longinquas expeditiones appetit et meditatur, sive qui, in magis vicinis territoriis, etiam laicis per *actionem catholicam* exercendum offertur.

2. Refert subinde S. Pontifex quomodo ab Ecclesiae primordiis, ad rem quod attinet, usus Exercitiorum spiritualium eorumque pretium minime fuerint ignorata, quomodo Leo Magnus fideles hortatus sit ut, a saeculi calamitatibus se recipientes, in meditationibus sanctis et deliciis aeternis laetentur, qua etiam ratione sapientissimus Deus providerit ut opera S. Ignatii, Ecclesia ditaretur libello qui, *Exercitia spiritualia* inscriptus, *thesaurus* a venerabili Ludovico Blosio O. S. B. et a S. Alfonso M. de Ligorio merito est appellatus. In fine huius partis memorat asceterium ad Exercitia spiritualia peragenda a S. Carolo Borromeo conditum, quod primum specimen haberi potest istarum domorum Exercitiis habendis peculiarium, quas in dies multiplicari S. Pontifex laetus et mirabundus cernit.

3. Succedit tunc invitatio instantissima quam Pontifex ad omnes civium ordines dirigit, ad Episcopos, ad Sacerdotes et Religiosos, ad cohortes Actionis catholicae, ad omnes hominum coetus: pro certo habens in amplificatione pietatis validissimum praesidium et subsidium contra ingruentia mala esse repositum, idque sine ullo apostolici ministerii detrimento. Atque ipse morem ibi introductum ultro recipiens, iam nunc omnia ordinari iussit, ut in Aedibus Vaticanis spiritualia Exercitia quotannis haberentur.

4. Ad modum Exercitia spiritualia peragendi quod attinet, S. Pontifex hortatur ut (minime tamen publicas commentationes improbans) potius in secreto peragantur; ne nimis brevi temporis spatio contineantur, et maxime suadet ut fiant ad normam et methodum S. Ignatii, quem Ipse caelestem Exercitiorum spiritualium patronum renuntiavit (1). Excurrit in encomia

(1) Bulla *Summorum Pontificum*, 25 iul. 1922 (A. A. S., XIV, 20; *Per.*, XI, 75). De significatione et vi huius Bullae egimus in hispanica ephemeride *Manresa*, 1929, p. 329 ss.

quae ab aliis Pontificibus (1) atque ab Ipso antequam in Petri cathedra sederet libello S. Ignatii tributa sunt; intrinseca eius methodi merita recitat, quae iam in apostolica epistola 28 martii 1929 ad Card. Dubois numeraverat (2), ac diserte nos docet ibi proponi documenta quae non tantum peccatorem ab iniquitate revocarent, sed quibus etiam « per securas semitas abnegationis atque pravorum habituum detractionis, ad supremum orationis amorisque divini fastigium hominem perducunt » (3).

Denique, ad tuendum custodiendumque spiritualium Exercitiorum fructum; recollectionem menstruam vel saltem tertio quoque mense instituendam enixe suadet.

Trimestris recollectio pro personis quae negotiis vel etiam sacriis ministeriis distentae sunt hoc affert commodum, ut possit per maiorem diei partem protrahi et sic veram peractorum Exercitiorum renovationem procurare. Quare in dioecesi Namurcensi, ubi haec institutio floret, cernimus sacerdotes libentiore animo, intentiore conatu ac proin abundantiore fructu eam frequentare quam menstruam recollectionem, quae fere tantum in audienda hortatione et recitandis nonnullis precibus consistere potest. Difficilis est annua perseverantia sine subsidio spiritualis vacationis *active* factae, in qua proin labor et industria personalis magnam *partem* habeant.

5. Restat iam ut referamus encomia aliorum Pontificum quibus SS. D. in in litteris suis alludit.

Paulus III, Brevi *Pastoralis Officii* 31 iulii 1548,

---

(1) Cfr. statim infra.

(2) Cfr proxime sequens Monumentum.

(3) Inde etiam potius pro suspectis habebimus vias faciliores magis recens a quibusdam commendatas, qui, spiritualem libri de *Imitatione Christi* doctrinam ut antiquam despicientes vel saltem neglegentes, ad caritatem sine abnegatione et sui victoria, et, sine ascetica disciplina, ad mystica arcana introducere posse arbitrantur.

rogatus a S. FRANCISCO BORGIA qui, non solum fama sed experimento manifesto compertum se habere declaraverat quantum ad spiritualem consolationem et profectum utilia essent et salubria, imperato examine Exercitiorum, spiritualium, ex relatione sibi facta, eadem, sic ipse « pietate ac sanctitate plena, ad aedificationem et spiritualem profectum fidelium valde utilia et salubria esse et fore comperimus »... « documenta et Exercitia praedicta, ac omnia et singula in eis contenta, auctoritate praedicta (Apostolica), tenore praesentium, ex certa scientia nostra, approbamus, collaudamus, ac praesentis scripti patrocinio communimus; hortantes plurimum in Domino omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles ubique constitutos ut tam piis documentis et Exercitiis uti et illis instrui devote velint ».

ALEXANDER VII, Brevi *Cum sicut*, 12 oct. 1657, iis qui in domibus Societatis Exercitia praedicta per octidui spatium peregerint, plenariam indulgentiam suetis condicionibus largitur. Rationem dat: « Nos qui probe scimus quantopere conducant exercitia huiusmodi dirigendis in viam Domini et confirmandis in illa Christifidelium mentibus ». (B. R. XVI, p. 302).

BENEDICTUS XIV, Brevi *Quantum secessus*, 29 martii 1753 haec habet: « Postquam S. IGNATIUS Societatis Iesu fundator in ipso suae ad Deum adhaesionis initio homo litterarum plane rudis admirabilem illum composuit Exercitiorum librum, Apostolicae Huius S. Sedis iudicio et omnium utilitate comprobatum, in quo saluberrima eorundem spiritualium exercitiorum cum profectu peragendorum via ac ratio traditur » (Bull. BEN. XIV, III. 2 p., p. 81 ed. Prati, 1847).

LEO XIII epistolam 8 feb. 1900 ad Praep. Gen. S. I. sic exorditur: « Ignatianae Commentationes quantum in aeternam animorum utilitatem possint, trium iam saeculorum experimento comprobatum est, omniumque

virorum testimonio qui vel asceseos disciplina vel sanctitate morum, maxime per id tempus floruerunt ». (*Acta Leonis,* XX, 8).

Pius X, in Enc. litteris *Saepe editae*, 26 maii 1910, miratus quomodo S. Carolus Borromaeus, « nondum exacto anno aetatis suae vicesimo, summos honores consectus, magnis ac perarduis Ecclesiae negotiis tractandis adhibitus, ad perfectam cumulatamque virtutem, ... in dies magis contenderet », hanc causam indicat: « per contemplationem rerum divinarum qua in sacro secessu animum renovaverat (A. A. S. t. 2, p. 364).

Ipse SS. D. Pius Pp. XI, antea non semel iam se exhibuit laudatorem et commendatorem Exercitiorum spiritualium, quod etiam fuit ut archiepiscopus. Ita in Bulla *Summorum Pontificum* 25 iul. 1922, in primo Pontificatus sui anno, qua S. Ignatium patronum Exercitiorum spiritualium renuntiavit, ita scripsit: « Ignatius primus libello... quemque *Exercitia spiritualia* ipse inscripsit, rationem quandam et viam peculiarem peragendi spirituales secessus docere coepit, qua ad peccata detestanda vitamque, D. N. I. C. exemplo, sancte disponendam fideles mirifice invarentur » (A. A. S., XIV, 20; *Per.,* XI, 75).

Atque in epistola Apostolica, quam 3 dec. eiusdem anni de anniversario canonizationis S. Ignatii et S. Francisci Xaverii dedit ad Praepositum Generalem S. I., dum in S. Ignatio in primis laudandum censet spiritum oboedientiae erga Romanum Pontificem, haec notat: hunc hominum reditum ad oboedientiam Exercitia spiritualia mirifice adiuvant, quippe quae, praecipue si S. Ignatii instituto fiant, perfectam divinae legi obtemperationem, aeternis Fidei naturaeque principiis innixam, certissime suadeant... Quamquam enim non desunt, ut diximus, aliae Exercitiorum habendorum viae, certum tamen est Ignatianam in eis excellere, ac maxime ob exploratiorem spem quam facit solidae mansu-

raeque utilitatis, uberiore Sedis Apostolicae approbatione florere. » (*Per.* XI, 191).

Faxit Deus ut humiles nostrae annotationes, in quibus insigne apostolatus monumentum in pauca contrahere conati sumus, studium excitent ipsas paternas litteras propius cognoscendi, meditandi et exercendi!

---

2. — SS. D. N. Pii Pp. XI.

Epistola Apostolica 28 mart. 1929

DE « HEBDOMADA » EXERCITIORUM VERSALIIS INEUNTE APRILI 1929 HABENDA (1)

A NOTRE TRÈS CHER FRÈRE LE CARDINAL DUBOIS, ARCHEVÊQUE DE PARIS (2)

Très Cher Frère,

Contentus de proposito et de selecta methodo S. Ignatii Cardinali zelum gratulatur.

Nous avons appris avec une particulière satisfaction qu'une Semaine d'Exercices Spirituels va se tenir à Paris sous votre présidence pendant la semaine de Pâques.

Meritum Exertiorum istorum.

Heureux de constater une fois de plus le zèle et la piété qui vous portent à promouvvir tout ce qui peut contribuer au progrès spirituel et à la sanctification du clergé et des laïques, Nous Nous réjouissons vivement de voir que, pour obtenir plus

---

(1) Ex ephemeride *La Croix*, 9 apr. 1929.

(2) *I. e. latine.* Dilecto Frati Ludovico Ernesto Cardinali Dubois, Parisiensium Archiepiscopo.

Dilecte Frater,

Peculiari cum voluptate rescivimus, te Praeside, convertum Spiritualium Exercitiorum per ipsam hebdomadem paschalem Parisiis celebratum iri.

Laetemur studio ac pietate qua continuo ferris ad promovendum quidquid ad spiritus progressum et cleri populique Sanctimoniam conducere potest. Maiori vero gaudio intime officimur quod ad tutius pretiosos Secessum fructus legendos, cernamus te Ignatianianae methodi usum commendare. Et

sûrement les précieux fruits des Retraites, vous encouragez l'emploi de la méthode de Saint Ignace, que Nos Prédécesseurs, depuis Paul III, ont recommandée et qui a été goûtée et pratiquée par tant de Saints, non seulement pour la sanctification de leur âme, mais aussi pour le bien des fidèles de toutes les catégories.

Propria Pontificis experientia.

En effet, les Exercices de Saint Ignace ont contribué avec une efficacité toute particulière à l'ascension spirituelle des âmes et les ont guidées aux plus hauts sommets de l'Oraison et de l'Amour Divin, par la voie sûre de l'abnégation et de la victoire sur les passions, sans les exposer aux subtiles illusions de l'orgueil. Nous-même, au cours de Notre Saint Ministère, Nous avons fait plusieurs fois l'expérience de cette sainte efficacité des Exercices spirituels de Saint Ignace, et Nous avons pu nous rendre compte du progrès dans la perfection que les âmes peuvent réaliser en les suivant. Nous bénissons donc, avec une particulière effusion, tous les congressistes qui, du clergé séculier comme de beaucoup de familles religieuses, ainsi que Nous l'avons appris avec satisfaction, ont promis de participer à cette Semaine. Et implorant sur leurs travaux l'assistance maternelle de la Très Saint Vierge et de tous les Saints et élus, qui ont demandé et obtenu par la pratique des Exercices Spirituels la connaissance plus intime de Notre-Seigneur, un Amour plus ardent pour Lui et une assiduité plus parfaite à Le suivre, Nous vous déléguons expressément pour donner

Benedictio Pontificis.

---

probe quidem: nam Praedecessores Nostri, post Paulum III, eam commendarunt; tot Sanctorum insuper eandem, non tantum ad suas ipsorum animas sanctimoniam, verum etiam ad cuiuscumque speciei fidelium bonum, gustaverunt atque adhibuerunt.

Et re quidem vera, S. Ignatii Exercitia propria ipsorum efficacitate ad animarum spiritualem ascensionem contulerunt, easque ad summos orationis ac divini Amoris apices adduxerunt: nec eas subtilibus superbiae deceptionibus permittunt, sed in abnegationis et propriarum cupiditatum victoriae viam tutam immittunt. Nos ipsi in Nostro sacri ministerii decursu, Exercitiorum Spiritualium S. Ignatii efficacitatem hanc sanctam pluries experti sumus, et quantum progressus animae per ea in perfectione assequi possint contestati sumus.

Peculiari igitur cum effusione omnibus tam ex clero saeculari, quam e plerisque Religiosorum familiis — ut iucunde accepimus — congressuris benedicimus, et quotquot consessibus sese adfuturos spoponderunt. Maternum SS. Virginis in eorum labores implorantes patrocinium, nec non omnium Sanctorum et Dei electorum, qui per Exercitiorum Spiritualium praxim intimiorem Domini Nostri cognitionem, ardentiorem amorem ac in Ipso sectando assiduitatem perfectiorem precati et assecuti sunt, te, dilecte Frater, ad hanc Bene-

Notre Bénédiction Apostolique, gage de Notre amour paternel, à tous les adhérents et participants du Congrès.

Du Vatican, le 28 mars 1929.

PIUS PP. XI.

Dies (28 mart. 1928).

---

3. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Epistola 6 Nov. 1929 (1)

DE CONVENTU NATIONALI ACTIONI CATHOLICAE PROVEHENDAE

(A. A. S. 2 dec. 1929, XXI, 664)

PIUS PP. XI

Laetus de nuntiato primo conventu fovendae Actioni catholicae.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — **Laetus sane nuntius,** Nobis haud ita pridem allatus, Matriti scilicet, in urbe Hispaniae principe, primum ex universa natione catholicorum conventum propediem celebratum iri, haud mediocri Nos, ut facile intellegitur, solacio affecit, non modo ob feliciora illa Actionis Catholicae incrementa, quae exinde profectura esse omnino confidimus, sed ob illam etiam studiosam voluntatem vestram, qua, ut ipse scribis, causam Nobis antiquissimam promovendo, communi omnium Patri, quinquagesimum sacerdotii Sui annum celebranti, rem pergratam facere percupitis. Cuius quidem studiosae voluntatis vestrae testimonium ut paterno excipimus animo, ita libenter, hanc nacti opportunitatem, mentem consiliumque Nostrum, in re sane gravissima, iterum aperire placet, pro certo habentes id et tibi, et conlegis in episcopatu tuis fore acceptissimum, et ad felices vestrorum coetuum exitus non parum esse collaturum. Causa agitur, ut non semel, occasione data, declaravimus, non in se nova neque priscis Ecclesiae temporibus ignota, quamvis nostra potissimum aetate, eius natura ac ratio satius luculentiusque explanata sit in suaque luce posita. Oritur enim suumque ducit

Pontifex mentem suam in hac re aperire vult.

Res non est in se nova, ultro ex necessitate rei catholicae aucta,

---

dictionem Apostolicam, benevolentiae paternae Nostrae pignus, impertiendam omnibus Conventui adhaerentibus et participantibus nominatim delegamus.

Ex Aedibus Vaticanis, die 28 martii 1929

Pius PP. XI.

(1) Ad Em. P. D. Petrum, Card. Segura et Saenz, archiepiscopum Toletanum.

initium hinc ex aucta rei catholicae sospitandae ac promovendae necessitate, qua permoti sacrorum administri nullo non tempore laboris socios ex laicorum ordine sibi adsciscere exoptarunt; illinc ex ipso agendi more catholicorum hominum, qui, quo studiosus Ecclesiam observant ac diligunt, eo animosius operam clero navare suam percupiunt, ad Iesu Christi Regnum usque-

ab Apostolo Paulo,

quaque propagandum. Qua de causa Apostolus gentium in epistula ad Philippenses (c. IV, v. 3) suos in apostolatu adiutores commemorabat, rogabatque adiuvarentur illae etiam piae foeminae quae secum laboraverant in Evangelio. Ac saepenumero Decessores Nostri, per saeculorum decursum, christifidelium opem navitatemque advocarunt, ut iidem, pro rerum temporumque condicione, ad christiani nominis triumphum feliciter assequendum toto pectore intenderent. Quin immo « quo asperiora Ecclesiae et consortioni hominum inciderunt tempora, eo impensius, veluti receptui canentes, fideles omnes hortati sunt, ut, Episcopis praeeuntibus, sancta certarent certamina aeternaeque proximorum saluti pro viribus consulerent » (1).

a RR. Pontificibus instituta.

Eius tamen nostra aetate ratio et via propria :

Quodsi, ut praemonuimus, Actio Catholica antiquissimis coniuncta Ecclesiae temporibus dici potest ac debet, at nostra hac aetate rationem et viam sibi propriam, ad normas quidem praescriptionesque a proximis Decessoribus Nostris atque a Nobismet ipsis datas, ut omnes norunt, adepta est. Siquidem, iam inde ab inito Pontificatu, in Litteris Encyclicis *Ubi arcano*, publice ediximus ipsam non alio prorsus spectare, nisi ut christifideles hierarchicum Ecclesiae apostolatum quodammodo participent; quam quidem sententiam Nostram pluribus documentis subinde datis, confirmatam voluimus, id, inter alia, declarantes, eos videlicet, qui Actionis Catholicae incrementa provehant, « singulari prorsus Dei gratia ad eiusmodi munus vocari, quod a sacerdotali munere haud longius abest, cum Actio Catholica nihil demum sit aliud, nisi christifidelium apostolatus, qui, ducibus Episcopis, adiutricem Ecclesiae Dei operam praestant, et pastorale eius ministerium quodammodo complent » (2). Quapropter dilucide apparet, dilecte fili Noster, quam magnam Actio Catholica vim dignitatemque habeat; eamdemque palam est nostris hisce temporibus non tam esse consentaneam, quam omnino necessariam. Attamen, ut eius natura luculentiore, quo fieri potest, modo eniteat atque emergat, placet hic ea, iterando,

participatio hierarchici apostolatus.

Inde eius vis et dignitas.

(1) Epist. *Quae Nobis,* ad Card. A. Bertram, Episc. Wratislavien. (*Per.*, XVII, 233).

(2) Epist. *Cum ex epistola,* ad Card. I. Van Roey Archiep. Mechlinien. (*Per.*, XVII, 182).

revocare, quae ad dilectum filium Nostrum Adolfum Bertram, Episcopum Wratislaviensem, hac eadem de causa, haud ita multo ante scribebamus: « Neque enim Actio Catholica in eo tantum consistit, ut homines suae quisque christianae perfectioni studeant, quod primarium est atque praecipuum, sed etiam in verissimo apostolatu catholicis cuiusvis ordinis communi, quorum sensus atque opera cum iis quibusdam quasi centris sanae doctrinae et multiplicis actuosique laboris cohaereant, quibus rite legitimeque constitutis Episcoporum demum adest ac suffragatur auctoritas. Christifidelibus igitur, qui sic coiverint atque in unum coaluerint, ut ad nutum Hierarchiae ecclesiasticae praesto sint, sacra ipsa Hierarchia quemadmodum mandatum impertit, sic incitamenta et stimulos adiicit. Iamvero, haud aliter ac mandatum Ecclesiae divinitus commissum, ipsiusque hierarchicus apostolatus, Actio eiusmodi non externa prorsus sed spiritualis, non terrena sed caelestis, non politica sed « religiosa » dicenda est. Verumtamen eam ipsam iure meritoque « socialem » dixeris, cum id sibi propositum habeat, ut Christi Domini Regnum proferat, quo quidem proferendo, cum summum omnium bonum societati acquiritur, tum cetera quaeruntur bona, quae ab illo proficiscuntur, ut sunt quae ad statum Civitatis pertinent et politica vocantur, scilicet bona non privata ac singulorum propria, sed civibus omnibus communia: id autem omne Actio Catholica ita potest ac debet assequi, si, Dei Ecclesiaeque legibus modeste parendo, a civilium studiis partium sit prorsus aliena » (1).

Mandato Hierarchiae vocata actio, ista non est politica, sed religiosa, socialis.

Verum, ut omnis, quoad fieri potest, ambigendi caussa removeatur id, hoc loco declaratum perspectumque volumus, sodalicia scilicet illa — quae, cum proposita atque incepta sua ad religionis praecepta et ad peculiaria Actionis Catholicae instituta conforment, eo profecto spectant, ut cives, vel in rebus oeconomicis, vel in suo cuiusque obeundo munere adiuvare enitantur, — oportere omnino, ut, in iis rebus, quae ad Actionis Catholicae proposita pertinent, et eidem subsint et ad christiani apostolatus opera inserviant; attamen, quod ad incepta dumtaxat oeconomica attinet, suam propriam agendi rationem in se ipsamet recipiant, de eademque ipsamet tantummodo respondeant. Quibus positis, consequens est sacros Ecclesiae pastores eiusmodi sodaliciis deesse, pro suo officio, non posse; quin immo sollerti vi sua, efficacique appulsu ita ea prosequantur oportet, ut ad catholicae religionis instituta atque praecepta, maiore, qua fieri potest, diligentia informentur. Eadem prorsus

Sodalicia catholicorum qui aliud proponunt

Actioni catholicae subsint oportet.

Inde pastores iisdem deesse non possunt.

Mutua actionis catholicae et aliorum sodaliciorum utilitas.

(1) Epist. « Quae Nobis » ut supra.

de caussa, Actio Catholica « cum fruatur ipsamet utilitatibus, quas sodalicia religiosa dumtaxat et oeconomica sibi pepererint, tum ea adiuvabit fovebitque id efficiendo, ut non modo consensio ac benevolentia, sed etiam adiutricis operae praesidium utrimque intercedat, eo quidem cum Ecclesiae et humanae societatis emolumento, quod facile coniicitur » (1). Itidem, ex iis, quae adhuc de Actione eiusmodi explicavimus, liquido patet eam, cum ex ipsa natura sua civilium partium studiis minime implicetur, intra angustos factionum fines compelli nequaquam posse. Cui quidem gravissimae praescriptioni quamvis catholici homines, pro suo officio, obtemperare debeant, non iidem tamen a politicis rebus pertractandis et a publicis obeundis muneribus idcirco prohibentur, dummodo opera cuiusque sua a christianae doctrinae praeceptis ne dissentiat; quin immo nihil prorsus vetat, quominus christifideles in civiles etiam partes, pro suo iudicio coalescant, quae quidem caussam dumtaxat agant Dei Ecclesiaeque legibus nulla ex parte repugnantem. — Ceteroquî, quamquam, ut diximus, Actio Catholica a civilium studiis partium se omnino abstinere debet, nihilominus ad commune Societatis bonum magnopere conferet, cum catholicae religionis praecepta, publicae quidem prosperitatis firmamentum et columen, quam latissime in usum deducendo, tum ad christianam vitae perfectionem sodalium animos tam alacriter excitando, ut iidem, quasi sacra facta phalange, non modo Ecclesiae sed civilis etiam ac domesticae consortionis utilitates et commoda animose provehant atque tueantur. Quodsi, aliquotiens, politicarum rerum agitatio ad religionem etiam christianosque mores quovis modo pertineat, Actionis Catholicae est vim auctoritatemque suam ita interponere, ut catholici concorditer omnes, peculiaribus partium studiis consiliisque posthabitis, Ecclesiae animarumque emolumenta unice prae oculis habeant operaque sua provehant.

Catholici homines politicis studiis non sunt excludendi.

Ipsa Actio catholica ad bonum commune conferet.

Quid si politicarum rerum agitatio ad religionem pertineat?

Quod est reliquum, quemadmodum, ut diximus, Actio Catholica propriam habet naturam et proprium, quod exsequi debeat, propositum, idque tamen multiplici bonorum genere constans, sic una in coetus omnes temperatione ordinationeque dirigatur ut suam quisque operis atque instituti rationem sancte custodiat, ac simul omnes rectoribus ab ecclesiastica sibi Hierarchia datis concorditer obtemperare sollemne sanctumque habeant. Huiusmodi enim Actionis est quasi magnam instruere proborum civium cohortem — hominum videlicet ac mulierum,

Omnes coetus rectoribus sibi ab Hierarchia datis obtemperent, ut sic instruatur cohors proborum qui sacrum Ecclesiae ministerium participare et regnum Christi propagare student.

(1) Ibid.

praesertim iuvenum utriusque sexus — qui profecto nihil habeant antiquius, nihil optatius, quam ut sacrum Ecclesiae ministerium quodammodo participent, eademque duce ac magistra, Iesu Christi regnum, privatim publice, propagare animose contendant. Quod quidem Actio Catholica tum feliciter assequi potest, ut facile intellectu est, cum ad christianae vitae sensum atque usum sodalium animos effingere nititur, eos scilicet et ad solidam pietatem uberioremque caelestium rerum cognitionem excitando, et ad debitam morum integritatem ad actuosum animarum studium, ad arctissimamque cum Episcopis ac Iesu Christi Vicario iunctionem pro viribus adhortando. Atque ad eiusmodi spiritualem institutionem ii potissimum animos viresque intendant, qui e iuvenilibus coetibus sunt, ut religionis caritatisque operibus in exemplum praelucentes, ad futura incepta omnino instructos se comparent, haud mediocri sane cum Ecclesia Civitatisque profectu atque utilitate. Praeterea, quoniam, ut monuimus, Actio Catholica tamquam confertissima apostolorum acies animosa procedat oportet, ad animas suavi Iesu Christi imperio subigendas, eadem profecto et una concordique gubernatione, et optima omnium disciplina pollere debet. Plures enim esse, in eodem civium ordine, ac sibi invicem adversantes, catholicorum coetus eorumque non unam temperationem, id profecto vires elidit, concordiam dissipat, felicesque exitus praepedit aut prohibet; quod quidem omni contentione praecavendum est. — Postquam, dilecte fili Noster, causam, sane gravissimam, omni ex parte breviter attigimus, iam nihil aliud superest nisi ut paterno vos animo adhortemur, ut, sollerti opera vestra, magis magisque in dies Actio Catholica apud vos floreat et pulcherrimos christiani nominis triumphos feliciter adipiscatur. Quos quidem optatos exitus facilius ipsa assequetur, si, Episcoporum incitamento sacerdotibus ultro libenterque obsequentibus, cum in aliis, pluribus ac variis, sodaliciis Institutisque, in bonum animarum atque in apostolatum aetati consentaneum florescentibus, tum in singulis paroeciis, quantum fieri poterit, christifideles, — iuvenes potissimum utriusque sexus — in succrescentes coetus coëant coalescant, religionis quidem spiritu permoti ac caelesti quodam studio incensi atque inflammati.

Inde Actio catholica christiane animos maxime iuvenum instituere debet.

Ad animas Christo subigendas concors et una debet esse actio.

Optata et Hortatio.

At prorsus non est cur hortationibus diu multumque moremur, quandoquidem dilectissimae Hispanorum gentis animos probe novimus, paratos semper non modo ad iussis obtemperandum Nostris sed ad optatis etiam generose diligenterque respondendum. Novimus itidem sollertem cleri navitatem, et

Quid clament Nostra tempora

apostolicum novimus Episcoporum ardorem. Videtis profecto in quae inciderimus tempora, et quid ea a nobis veluti clamando postulent. Hinc siquidem dolemus hominum esse consortionem christiano spiritu nimium saepe destitutam ac vulgo ethnicorum more vitam traduci; in multorum animis languescere catholicae fidei lumen adeoque et paene restingui religionis sensum et morum integritatem sanctitudinemque deteriorem cotidie miserrime fieri. Illinc haud mediocrem haurimus aegritudinis causam, quod scilicet multifariam clerus nostrorum sit temporum necessitatibus impar, sive quia nimia alicubi exiguitate laborat, sive quia nonnullos civium ordines, ad quos beneficus eius intercipitur appulsus, neque monentis voce, neque evangelicae doctrinae praeceptis, attingere potest. Pernecesse igitur est, nostra hac aetate, omnes esse apostolos; pernecesse est non desidem vitam degere laicos homines, sed ad ecclesiasticae Hierarchiae nutum praesto esse, eidemque ita navare operam, ut precando, se devovendo, actuoseque allaborando, ad catholicae fidei incrementum christianamque morum emendationem magnopere conferant. — Cum vero eiusmodi, pro certo, futura sint, dilecte fili Noster, quae in proximis coetibus vestris consilia ac proposita comuniter disceptabuntur, dubium prorsus non est quin eiusmodi pariter futuri sint, laetissimi scilicet atque uberrimi, qui inde exspectantur in Ecclesiae patriaeque vestrae utilitatem, salutis fructus. Quod utique Nos et ex animo ominamur, et a « pastorum Principe et Episcopo animarum nostrarum » opportunam opem deprecando, instanter imploramus.

Omnes debent esse apostoli.

Vota Pontificis

Benedictio.

Caelestium interea gratiarum auspex paternaeque voluntatis Nostrae testis apostolica sit benedictio, quam cum tibi, dilecte fili Noster, cunctoque gregi tuis curis concredito, tum iis omnibus, qui in proximo intererunt Matritensi Conventu, amantissime in Domino impertimus.

Dies (6 nov. 1929).

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VI mensis Novembris anno MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. XI

ANNOTATIONES

I. Ut ipse S. Pontifex in exordio epistolae suae testatur, primus conventus qui ex universa Hispaniarum natione catholicos provehendae actioni catholicae Matritum congregabit, non tantum est Ipsi ut modus cele-

brandi quinquagesimum sui sacerdotii annum, gratissimus, sed etiam Ipsi occasionem affert denuo rationem tantopere sibi carae *Actionis Catholicae* magis magisque explicandi. In qua explicatione maxime profitetur se iam scripta ad Card. BERTRAM confirmare simul quaedam notatu digna superaddens.

Inde colligere nobis fas est ex litteris ad Card. BERTRAM et ex praesenti epistola maxime hauriendam esse genuinam S. Pontificis de dilecta sibi actione catholica mentem.

II. Hanc, quatenus ex praesenti epistola innotescit, sic breviter exponere posse existimamus.

1. *Abstracte* sumpta, *Actio Catholica* ea laicorum studia designat quibus, ex mandato Ecclesiae docentis et regentis, eius participant missionem apostolicam, et pastorale munus quodam modo complent. A primordiis quidem Ecclesiae, adiutrix laicorum opera, impellente ipsa « aucta rei catholicae sospitandae ac promovendae necessitate », numquam non fuit a Pastoribus Ecclesiae exoptata et advocata, nedum repudiata esset, verum quae antea magis incerta et confusa erat cooperandi ratio, nunc per positivas Pontificum declarationes magis certa et definita evasit.

Concrete sumpta Actio Catholica complectitur coetus fidelium qui supernaturali intentione in unum coalescunt ut ad nutum Hierarchiae praesto sint ut adiutores apostolatus. Ac coetus istos sibi S. Pontifex repraesentat ut validam proborum cohortem, ut animosam apostolorum aciem.

2. Actio ista, cuius meritum et dignitatem Pontifex effert, est in se « non externa prorsus sed spiritualis, non terrena sed caelestis, non politica sed *religiosa* », et simul socialis est, quatenus proferre intendit Christi Domini regnum, quo societati summum bonum et fons ceterorum bonorum paratur.

A civilium partium studiis prorsus aliena, si tamen

ipsa politicarum rerum agitatio ad religionem vel christianos mores quovis modo pertineat, *Actio Catholica* suam interponet auctoritatem ut catholici concordi opera quod Ecclesiae animarumque intersit provehant.

3. Actio ista catholica minime prohibet quin, sive singuli, sive consociati, catholici alia negotia vel studia procurent, his tamen duabus servatis legibus: *a*) ut quod ad alia incepta (religiosa, oeconomica, politica, recreativa) attinet, Actio Catholica nihil de iis respondere debeat; *b*) ut alias proprias utilitati actionis catholicae postponant. Harmonica ista compositio efficiet ut sodalicia ista actionem catholicam adiuvent et ab ipsa etiam « cum Ecclesiae et humanae societatis emolumento » adiuventur; utque Ecclesiae pastores eiusmodo sodaliciis, *pro suo officio,* deesse non possint.

4. Ipsa Actio Catholica *a*) « intra angustos factionum fines compelli non potest »;

b) Nec dividi potest in plures sibi adversantes catholicorum coetus;

c) « Ad christianae vitae sensum atque usum, sodalium animos effingere » nitetur. Id praestabit viris, id mulieribus, id maxime iuvenibus, « ut religionis caritatisque operibus in exemplum praelucentes, ad futura incepta omnino instructos se preparent.

d) Una temperatione atque ordinatione diriget alios coetus ut suam quisque operis atque instituti rationem sancte custodiat, ac simul omnes rectoribus, si qui, pro coetus fine et natura, ab Ecclesiastica Hierarchia dati sint, sancte obtemperent.

Alios igitur non absorbebit sed perficiet, et sublimabit ad regnum Iesu Christi privatim publiceque propagandum.

Hac catholicae actionis imagine, quam fidelem adumbrare conati sumus, annotationes nostras concludere nobis visum est.

III. Actionem catholicam S. Pontifex ipse antea iam vel commendavit vel exposuit, in primis suis litteris encyclicis *Ubi arcano,* 26 ian. 1923 (*Per.*, XII, 17); in allocutione consistoriali 23 maii 1923 (*Per.*, XII, 83); in epist. *Paterna sane,* 2 febr. 1926, de rebus mexicanis (*Per.*, XV, 139); in oratione sua de re sociali 15 maii 1926 (*Per.*, XV, 105-108); in allocutione consistoriali 20 dec. 1926 (*Per.*, XV, 208); in chirographo 24 ian. 1927, de opere nationali « Balilla » (*Per.*, XVI, 1-10); in allocutione consistoriali 24 dec. 1927 (*Per.*, XVI, 167); in epistola ad Episcopos Lithuaniae, 14 iun. 1928 (*Per.*, XVII, 177. 178); in nuncio de Sinensi populo, 1 aug. 1928 (*Per.*, XVII, 181); in epistola 15 aug. 1928, de Antwerpiensi conventu consociationis invenilis pro actione catholica (*Per.*, XVII, 182-184); in epistola *Quae nobis*, 13 nov. 1928 (*Per.*, XVII, 233-236); atque hic supra, in Enc. litt. *Mens nostra,* III d. (*Per.* XIX, 11).

De eadem actione ipsi egimus *Per.*, XVII, 179; 236-240 et in praesentibus annotationibus.

A. VERMEERSCH, S. I.

---

4. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Litt. encycl. 23 dec. 1929. (1)

DE FELICITER EXACTO QUINQUAGESIMO SUI SACERDOTII ANNO, ET DE PROROGATIONE IUBILAEI.

(A. A. S., 31 Dec. 1929, XXI, 707)

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

S. Pontifex gratias agens de acceptis beneficiis,

Quinquagesimo ante anno, cum florentes aetate, in ea ad Lateranum Ecclesia, quae est omnium Ecclesiarum Mater et

(1) Ad venerabiles fratres, patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos, aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum apostolica sede habentes itemque ad dilectos filios christifideles catholici orbis universos.

Caput, sacerdotio aucti sumus — cuius quidem recordatione rei tangimur, hisce praesertim diebus, recreamurque suavissime, — nullo pacto cuiquam, nedum Nobis, coniicere licuisset, arcano divini Numinis consilio humilitatem Nostram eo usque evectum iri, ut templum id ipsum romani episcopatus Nostri cathedrale aliquando nancisceremur. Qua in re si Christi Iesu Pastorum Principis summam erga Nos indulgentiam demisso agnoscentes animo demiramur, fiet profecto nunquam, ut beneficia, quibus Ipse Vicarium in terris suum, etsi immerentem, in supremi Pontificatus decursu frui adhuc iussit, sat digne praedicemus, eo magis, quod iis quasi in cumulum accessit, ut quinquagesimus a suscepto sacerdotio annus solaciis Nobis omnibusque affluens laetitiis verteretur. Qui quidem annus, quantum in Nobis erat, praecipuis ut ne fructibus vacuus exsisteret — scilicet ut, fidelibus ad emendatius sanctiusque vitae institutum revocatis et societate hominum universa ad bona spiritus pluris facienda salubriter excitata, Dei misericordiam in laborantem Ecclesiam suam commoveremus —, in ipso anni limine, reserandis caelestis veniae gratiaeque thesauris, alterum veluti annum sacrum extra ordinem, in lubilaei magni modum, toti christiano orbi, paternae impulsu caritatis, indiximus. Quem vero ex hac tanta communione precum sperabamus exitum, is non solum non defuit, verum etiam optatis cumulate Nostris, Deo dante, satisfecit. Animo enim reputantibus quam frequentes popularis pietatis gratulationisque acceperimus significationes, quam magnae in catholicum nomen utilitates defluxerint quamque illustria incepta et facinora, unius anni curriculo, ad effectum deducta sint, illud Nobis iure dicendum videtur, benignissimum Deum, a quo « omne datum optimum et omne donum perfectum » (1) descendit, tam breve aevi spatium peculiari quadam providentiae suae nota insignire voluisse. Eiusmodi igitur beneficia, a caelo in populi christiani commodum tam liberaliter profecta, placet Nobis hodie paulo fusius, quasi duodecim horum mensium rationes confecturis, commemorare, idcirco dumtaxat, ut una Nobiscum vos, Venerabiles Fratres, dilecti filii, omnipotenti bonorum omnium datori, qui temporum rerumque vices, fortiter suaviterque mortalium mulcendo animos, moderatur, debitas grates etiam atque etiam agatis.

laetatur etiam de fructu iubilaei extra ordinem.

Beneficia commemorare proponens :

1. In primis memorat finem iniquae Pastoris Supremi condi-

Atque ut ab iis initium faciamus, quae, Apostolicam Sedem ipsumque regundae Ecclesiae munus Summo Pontifici divinitus commissum cum propius contingant, gravioris, quam

(1) Iac. I, 17.

cetera, ponderis esse videntur, in memoriam omnium vestrum nonnulla redigere opportunum putamus, quae in Encyclicis Litteris *Ubi arcano* primum datis scribebamus. « Quo animi dolore — sic conquerebamur — in tot nationum numero, quae cum hac Apostolica Sede amicitiae vinculis continentur, Italiam deesse videamus, vix opus est dicere; Italiam inquimus, patriam Nobis carissimam, a Deo ipso, qui rerum omnium temporumque cursum atque ordinem sua providentia gubernat, delectam, in qua Vicarii sui in terris sedem collocaret, ut haec alma urbs, domicilium quondam imperii, amplissimi sed tamen certis quibusdam circumscripti terminis, iam totius orbis terrarum caput evaderet; quippe quae divini Principatus sedes, omnium gentium nationumque fines sua natura transcendentis, populos omnes nationesque complectatur. At vero tum huius Principatus et origo et divina natura, tum universitatis Christifidelium in toto orbe degentium ius sacrosanctum postulat, nulli ut idem sacer Principatus humanae potestati, nullis legibus (licet hae Romani Pontificis libertatem quibusdam praesidiis seu cautionibus communire polliceantur) obnoxius esse videatur, et sui penitus iuris ac potestatis et sit et manifesto appareat.

cioni per pacta Lateranensia impositum.

Renovatis autem paulo inferius expostulationibus, quas decessores Nostri, ad Apostolicae Sedis iura tuenda sustinendamque dignitatem, post Urbis occupationem, alius ex alio fecerant, cum aperte dixissemus, pacem minime ab iustitia seiunctam reconciliari oportere, addebamus: « Dei... omnipotentis miserentisque erit efficere ut haec laetissima dies illucescat, bonorum omnium fecundissima tum regno Christi instaurando tum Italiae rebus universique orbis componendis: ne vero id frustra fiat, omnes qui recte sentiunt, dent operam diligenter ». Illuxit sane expectatione citius laetissima eiusmodi dies, quam prope adesse, cum tot tantisque implicari difficultatibus atque impedimentis res ipsa plerisque omnibus videretur, nemo unus cogitasset: illuxit, inquimus, per pacta conventa, quae Romanus Pontifex et Italiae Rex per suum quisque administrum cum liberis mandatis in Lateranis Aedibus — unde ea accepere nomen — stipulati sunt et in Vaticanis rata habuerunt.

Itaque intolerandae illi et iniquae rerum condicioni, in qua Apostolica Sedes antehac versaretur, cum, oppugnata aut posthabita sacri Principatus necessitate, huius sic perpetuitas reapse discissa esset, ut Romanus Pontifex iam sui iuris haberi non posset, tandem aliquando finem auspicato impositum vidimus. Quo loco supervacaneum ducimus omnia singillatim enucleare, quae in tanto opere aggrediendo, provehendo perficiendoque

Rationem dat benignae indulgentiae qua usus est in condicionibus admittendis.

Nobis ipsi proposuimus, haud semel enim, haud obscure, immo disertissimis verbis, explanavimus, quo studia Nostra et consilia spectassent unice, quorum scilicet bonorum desiderio ac spe allecti impulsique, dum assiduas intentioresque ad Altissimum preces ferebamus, omnes ad negotium tam arduum mentis animique vires admovissemus. Hoc tamen unum, etsi vix delibando, praeterire nolumus, quod, plena sacri Principatus potestate in tuto collocata, agnitis praeterea sollemniterque sancitis Romani Pontificis iuribus et pace Christi denique Italiae reddita, in eo quod reliquum erat negotii sat magnam adhibuimus paterni benignitatem animi atque indulgentiam, quam ab officiis in ea re Nostris non alienam putavimus. Unde factum, ut clarius appareret, quamquam nullus relinquebatur dubitationi locus, in sacrosanctis Apostolicae Sedis iuribus vindicandis, quemadmodum in iis, quas memoravimus, Encyclicis Litteris professi eramus, non inani quadam Nos terreni regni cupiditate ductos unquam esse, sed « cogitationes pacis et non afflictionis » perpetuo cogitasse. Quod vero Concordatum stipulati itidem sumus ratumque habuimus, illud significanter ediximus denuoque edicimus habendum neutiquam esse veluti cautionem quamdam pacti conventi Quaestioni Romanae, ut aiunt, dirimendae cum regno Italico initi, sed, ratione unius eiusdemque principii ac fundamenti, unde ambo defluxere, unum quiddam iure cum eo ipso pacto sic efficere, ut alterum ab altero separari non possit, et utrumque aut una simul stet aut una simul concidat. Itaque eventum sane memorabile catholicorum e toto orbe, qui essent de Romani Pontificis libertate solliciti, mirificus excepit consensus atque ardor, qui in gratiarum actiones Deo ubique persolutas inque delatas ad Nos undique gratulationes erupit; at laetitia potissimum Italorum consecuta est, quorum, ceteroquin, alii, vetere discidio sublato, praeiudicatas in Apostolicam Sedem opiniones facile exuendo, ad officium rediere, gavisi alii sunt, suam patriae caritatem — quam, quod Romani Pontificis filii item essent amantissimi, Ecclesiae inimicis aut nullo pacto aut non sine magno negotio persuasissent — in dubium iam vocari non posse. At praeterea catholici omnes, et Itali et externi, senserunt praeceperuntque animis, novum quendam rerum ordinem feliciter instauratum iri, id praecipue considerantes, quod eiusmodi pacta conventa, cum in annum quintum et septuagesimum incidissent a proposito ad credendum catholica fide immaculato Deiparae Conceptu eoque ipso obsignata essent die quo, haud ita multo post, in Lourdensi apud Gavum specu se Virgo Immaculata conspiciendam

dederat, ab ipsa Dei Genetrice in patrocinium suscepta itemque a Sacratissimo Iesu Christi Corde, cuius in festo rata habita essent, sollemni quasi complemento aucta sigilloque munita viderentur. Et iure id quidem : etenim si omnia, de quibus utrimque convenit, sincera fide religioseque, ut sperare aequum est, effecta dentur, non est dubitandum quin sint eadem, cum rei christianae, tum patriae nostrae atque hominum consortioni, utilitates allatura quam maximas.

Memorans festa in quibus obsignata sunt maximam spem fovet ex fideli pactionum exsecutione.

2. Varia alia celebrat cum variis gentibus concordata.

Iamvero, si, ob tam singulare rei momentum, huius faustitatem eventi aliquanto copiosius inlustrare libuit, operae tamen pretium est breviter saltem adiicere, hoc quoque Nobis, vertente anno, providentissimi Dei nutu obtigisse, ut cum aliarum nationum gubernatoribus mutuas inter Apostolicam Sedem civilemque potestatem rationes benevole componeremus ratasque haberemus, quae, Ecclesiae libertati consulendo, una simul ipsarum Civitatum prosperitati conducerent. Namque, praeter initam cum Lusitana republica conventionem, quae in describendis Meliaporensis dioecesis finibus ac iuribus continetur tota, ante cum Romania, mox autem cum Borussia ea omnia composuimus ac transegimus, quibus non modo conflictionum causae in posterum devitarentur, verum etiam caveretur, ut hinc Ecclesia, civilis illinc potestas in christianae societatis commodum amice conspirarent. Certe pactionibus eiusmodi conciliandis, cum de Ecclesiae catholicae regimine ageretur legitime apud populos agnoscendo, qui abs Nobis magnam partem dissiderent, difficultates obstiterunt nec leves nec paucae; in has tamen feliciter superandas ipsi earum gentium primores ac rectores, pro sua prudentia et aequitate, diligentissimam ultro operam contulere. Quapropter, si orbem universum, sub huius anni exitum, mente animoque circumspicimus, nationes plurimas cum Apostolica hac Sede concordiae amicitiaeque foedus aut iam icisse aut ad faciundum renovandumve parare sese, magnopere laetamur. Quodsi in extrema Europae parte ad orientem sita teterrimum bellum non tam christianae religioni quam divinis omnibus humanisque iuribus indictum dolemus, at vehementer ea de causa recreamur, quod acerbissima illa, quae in Mexicana republica saeviit, cleri populique catholici vexatio ita deferbuisse videtur, ut optatissimam pacem non esse nimium diu abfuturam, iam nunc haud temere confidere liceat.

3. Sedatam vexationem catholicorun Mexicana in re publica.

Neque minus illud Nos tetigit ac delectavit, quod celebratior Nostrâ causâ huius anni decursus cum Apostolica hac Sede Orientalem Ecclesiam etiam arctius coniunxit, cuius filii obla-

4. Testificationes Orientalium Ecclesiarum.

tam sibi opportunitatem perlibenter nacti sunt, ut suum Nobis ecclesiasticae unitatis amorem palam aperteque testificarentur, vice quasi reddita, cum ipsimet, vestigiis decessorum Nostrorum insistentes, orientales nationes magna equidem benevolentia et caritate nullo non tempore prosecuti simus. Ii enim litteras mittere ad Nos officiosissimas, publica, eademque insignia, edere indicia gratulationis laetitiaeque suae; Patriarchae earum gentium atque episcopi vel per se ipsi vel per legatos suos coram se sistere, quo expressius suam quisque suique gregis in supremum animarum Pastorem pietatem significarent. Exemplo autem Armenorum episcoporum, qui superiore anno, ut afflictis nationis suae rebus sanandis apud Petri Cathedram consulerent, in Urbem congressi essent, Ruthenorum Antistites heic paulo ante, quo numquam usque adhuc universi simul coiverant, episcopalem conventum habere maluerunt, ut, ipso temporis ac loci delectu, totius Ruthenae Ecclesiae voluntatem Principis Apostolorum successori addictissimam ostenderent ac declararent. Quorum profecto coetuum is fuit exitus, ut spem minime Nostram exspectationemque fefellerit. Cum enim Patres in unum congregati de sacrarum disciplinarum curriculo, de Seminariis, quae minora nuncupantur, condendis deque catechetica totius populi in certum quendam annorum orbem institutione, communi omnium consensu, decrevissent, cumque deliberassent quo pacto in luris canonici Orientalis compositionem conspirarent et Actionem catholicam in suorum ordine laicorum ad optata Nostra proveherent, — quae quidem omnia, ut aequum erat, Nobis adprobanda proposuere, — utique cognovimus, consilia eos suo clero populoque salubriora capere non potuisse.

5. Varia collegia seu seminaria erecta vel adaucta, vel inchoata.

Esto, quae supra exposuimus, inlustriora ea quidem videri et suo ipsa splendore hominum ad se mentem atque admirationem allicere. Verumtamen ad christianae reipublicae utilitatem haud ita minus ea conducere instituta arbitramur, quae providentissimus Deus, data facultate, sivit ut vertente anno, quasi ad cumulandam laetitiam Nostram, aut perfecta exsisterent aut auspicato inchoarentur. Etenim ut praetereamus illas, quas in curionum usum passim aedes exstruximus, ne quid iisdem deesset unde honestius suo munere fungerentur; ut item praetermittamus ea studiorum domicilia, quae, ab religiosis B. M. V. Servorum et Francisci Paulani familiis ad iuniores suos ex omni natione sodales instituendos in Urbe paulo ante dedicata, celebrari nuper coepta sunt; tot profecto conlegia clericis omni doctrinae virtutumque ornamento augendis, tam brevi temporis

spatio, excitata vidimus, quot vix plurium annorum decursu intueri licuisset, ut ea enumeremus quae alumnis, e variis dissitisque regionibus Sacro Consilio de Propaganda Fide concreditis, ex Insubria, e Russia, e Cecoslovachia delectis, omni supellectile instructa, patuerunt. Id autem cur relinquamus quod, nova atque ampliore Seminario Aethiopico sede attributa, quam apud ipsam Aedes Nostras de industria ereximus, conlegia duo, auspicali lapide recens posito, alterum pro clericis Ruthenis, pro Brasiliensibus alterum, inchoata sunt et novum aedificium alumnis Seminarii Romani Vaticani excipiendis in eo esto ut inchoetur? In quo quandoquidem causa non alia demum agitur nisi salutis animarum, quae Christo Redemptori tanto sanguine stetit, quare non confidamus, eo incepta Nostra divinae gratiae fultum iri praesidio, ut copiosiora mox in apertum campum atque exquisitiora levitarum agmina prosiliant? Cur non iidem, qui heic, in ipso catholici orbis veluti centro, genuina Christi imbuti sunt doctrina et sacerdotalium conformati exercitatione virtutum, postquam, sacris initiati, de Urbe discesserint, gentes suas aut cum Apostolica Sede cohaerentes multo coniunctiores efficiant, aut miserrime ab Ecclesiae Romanae unitate discissas ad pristinam communionem gradatim revocare contendant aut, tenebris et umbra mortis obvolutas, evangelicae veritatis lumine collustrent et Christi regnum inter suos cotidie latius producant? Quorum quidem fructuum spes tanti apud Nos est, ut divinum huius auctorem laetitiae, qui dedit ut talia in Ecclesiae emolumentum faceremus, Nobis efferre satis non liceat.

6. Iubilaeum archicoenobii Casinensis.

At vero, vobiscum recolenda, Venerabiles Fratres, dilecti filii, alia suppetunt eventa, quae hunc item annum quodammodo nobilitarunt feceruntque, Dei consilio, memorabiliorem: Dei consilio, inquimus, cui nihil quicquam, rerum harum adspectabilium ordinem moderanti, casu et fortuito contingere queat. Cum enim ea sint homines natura comparati ut, certis quibusdam temporum orbibus completis, singularia divinitus collata, ante actis aetatibus, christianae societati beneficia et quasi consistendo reputent et ad reliquam inde viam maiore cum alacritate terendam novos spiritus sumant, quaecumque in duodecim hos menses eiusmodi opportunitates interciderunt, fieri profecto non potuit quin eas ultro christifideles arriperent, ut in Deum Optimum Maximum inque communem Patrem, rei temporique congruenter, uno eodemque caritatis impetu ferrentur. Quae ut pietatis officia paterna voluntate rependeremus, habitis interea sollemni ritu celebritatibus per Nostras Litteras per Legatosve Nostros adesse et multo plus splendoris adiicere non dubitavimus.

Neque enim inlustri Benedicti Patris legiferi suboli, quae quartum decimum ab Archicoenobio Casinensi condito saeculum commemorare parabat, sedes haec Apostolica deesse poterat, de qua illud « monasticae normae principale gymnasium », (1) perinde ac de cultu humano civilique, tam praeclare tamque diu meritum esset. Quod cum iterum iterumque dicimus, rem dicimus non tam doctis eruditisque viris cognitam atque perspectam, quam in vulgus hodie, rectâ eiusmodi laudum intellegentiâ, pervagatam. Praeterquam enim quod populo, Italiae potissimum nostrae, illud Patriarchae sanctissimi « ora et labora » in exemplum proponi solet iam nemo unus ignorat, Archicoenobii sodales, ceteris e tota Benedicti familia imitantibus, bonas artes provexisse, divinae humanaeque sapientiae monumenta in omnem servasse posteritatem et evangelii praecones in regiones vel remotissimas dimisisse, eo quidem rei christianae civilisque incremento, ut fel. rec. decessor Noster Pius X, Casinensis monasterii promerita breviter utique at nervose complexus, « eiusdem fastos Romanae Ecclesiae historiae magnam esse partem » iure optimo affirmavit. (2) Quamobrem nihil mirum si, per instaurata apud vetustissimam Archiabbatiam solemnia, satis multi undique confluxere homines, ut in sacrum illum montem, Benedicti Patris memorias veneraturi animosque expiaturi suos, certatim conscenderent.

7. Saecularis celebratio adventus S. Ansgarii in Sueciam.

In historia autem Ecclesiae aliquanto minus remotus, Holmiae in urbe Sueciae principe, inusitato quodam splendore, quoad fieri pro nostrorum numero poterat, commemoratus est sancti Ansgarii adventus, qui millesimo et centesimo ante anno in Sueciam appulit, postquam evangelicae doctrinae semina in Dania studiosissime iecerat. Acta in triduum solemnia; aderant, quasi nationum quattuordecim, si fas est dicere, legati, Patres Cardinales duo, episcopi et Benedictini Ordinis abbates nonnulli, christifideles plus mille; habitae de rebus Ansgarii gestis deque mirifico eius apostolatu, ad recentiora studia exactae, contiones; Litterae, quas bene precando dederamus, communi plausu perlectae; omnes, quotquot convenerant, in ipsas municipales Holmiae aedes perhonorifice excepti; ad Nos et ad Sueciae regem, observantiae et laetorum ominum causâ, transmissae salutationes. Quae quidem saecularis eventi celebratio nulli minoris momenti videbitur, qui cogitet, ante septuaginta annos, infestis tum catholico nomini in Suecia rebus, eos, qui ad Romanam

(1) Nicolaus II, Litt. decr. *Pastoralis sollicitudinis*.
(2) Litt. 10 febr. 1913.

transiissent Ecclesiam, exsilio et iuris hereditarii amissione, ex legis praescripto, mulctari adhuc consuevisse. Quo loco in rem est memorare, per eas regiones ex cultioribus mulieribus hominibusque non unum catholicam religionem recens amplexum esse, et in Islandia, quae in dicione Daniae est, hoc ipso anno Purpuratum Patrem, negotiis Fidei Propagandae praepositum, Cathedralem Aedem feliciter dedicasse. Ad divina igitur huius anni beneficia spem illam quoque bonam adscribimus, qua nitimur, fore, ut Vicariis Apostolicis, sacerdotibus, religiosis viris feminisque in tam ampla agri dominici parte desudantibus, seges in posterum multo laetior, Ansgario auspice, arrideat.

8. Quingentesimi anni ingressus S. Ioannae de Arc in urbem Aureliam celebrationem,

Quemadmodum autem ad Montem Casinum Patrem Cardinalem miseramus qui Nostram ibi gereret, per ea quae apparabantur sollemnia, personam, sic legatum Nostrum a latere, e Sacro item Conlegio delectum, in Galliam proficisci iussimus, ubi quingentesimus ageretur annus, postquam Ioanna de Arc, puella illa sanctissima et de natione sua tam praeclare merita, triumphali veluti more in urbem Aureliam ingressa est. Cuius quidem triumphi memoria ac recordatio ut esset et civibus omnibus gratior et catholicis hominibus fructuosior, Nostra quasi per legatum praesentia non efficere profecto non potuit.

9. Celebratum secundum annum saecularem canonizati S. Ioannis Nepomuceni, et millesimum S. Vencestai

Muneris praeterea Nostri esse duximus, per Nuntium Nostrum Apostolicum publicis illis interesse celebrationibus, quibus Cecoslovacae reipublicae cives memoriam recoluere cum anni saecularis secundi ab sanctorum caelitum honoribus Ioanni Nepomuceno decretis, tum, idque maxime, millesimi anni, ex quo Venceslaus, dux Bohemiae inclitus totiusque eiusdem reipublicae caelestis Patronus, fraterno scelere occubuit. Quemadmodum vero in Allocutione diximus, nuper in Consistorio habita, magna cum animi voluptate didicimus, sollemnibus in honorem Venceslai Martyris peractis non modo cives et advenas adfuisse frequentissimos, sed etiam ipsos reipublicae gubernatores ac proceres. Quo quidem de communi animorum aestu quî laetari non debuimus? Eas enim rerum omnium perturbationes, quae, immani bello vix restincto, catholicam ibi unitatem actionemque in praesens discrimen adduxerant, talis per eos dies subsecuta pax ac serenitas talisque inchoata vitae publicae condicio videbatur, qualis, celebritatibus adventantibus, a Deo poposceramus ut reapse induceretur et, Venceslao Patrono ac deprecatore, in posterum consisteret. Atque utinam optata eiusmodi Nostra evenire ne desinant; siquidem concors utriusque potestatis, ecclesiasticae et civilis, opera nemo non intellegit quam certe, quam apte nationis illius prosperitati conduceret.

10. Celebratum plenum saeculum a restituto iure civili catholicorum in Anglia, Scotia, Hibernus.

At vero Angliae, Scotiae Hiberniaeque filii Nobis carissimi quos fidem suam retinere mordicus et pietatis ardore nullis cedere dixeris, quinquagesimum sacerdotii Nostri annum mirum in modum adornare visi sunt. Etenim apparatu magnificentissimo et incredibili quadam popularium frequentia, qui undique convenerant, commemoratum est plenum saeculum, postquam catholici, vexati olim ac mulcati ferociter atque vel serius mitigatis temporibus, capite deminuti, tandem veluti postliminio in civilia iura inque suae religionis profitendae libertatem restituti sunt. Atque perlibenter vidimus, haud perinde Anglos, Scotos et Hibernos eiusmodi sollemnia peregisse quasi, vetera recolendo, de praeteritis quemquam iniuriis criminarentur, verum ita ut perpenderent, qua potissimum ratione, cum ad Christi legem religiosius servandam proferendamque latius, tum ad rei publicae utilitates cum debita civili potestati obtemperatione procurandas, libertate ante in amplioremque postea modum recuperata uterentur. Non una vero impulit causa ut in saecularis eventi celebratione partem haud exiguam Nobismet ipsis vindicaremus; Christi enim Iesu Vicarium si nullo non tempore decet sanctae filiorum in societatem venire laetitiae, et multo id magis hac occasione consentaneum fuit, cum memoria repeteretur impositi tandem aerumnis finis, quas generosi nobilissimique catholicorum illorum maiores, ad tuendam fidem suam suamque cum Romana Ecclesia communionem, constanter strenueque pertulissent. Immo etiam, Dei concessu, illud Nobis obtigit, ut filiorum ex Anglia, Scotia Hiberniaque Nostrorum laetitiam, ante actis sollemnibus congruenter, cumularemus. Rebus enim omnibus rite ad trutinam revocatis, animosam illam virorum cohortem, qui, per diuturnam, quam memoravimus, catholicorum inibi vexationem, licet non uno eodemque tempore, at tamen ob unam eandemque Christi et Ecclesiae causam decertaverant, hac ipsa Pontificali auctoritate, pro qua propugnanda inlustre martyrium fecissent, in beatorum caelitum album nuperrime rettulimus. Factum ita est, ut quinquagesimus sacerdotii Nostri annus, cui iam ex decretis beati martyris honoribus Cosmae a Carboniano, Armeno ecclesiasticae unitatis ad effusionem usque sanguinis studiosissimo, tantum accesserat ornamenti, agnitâ in tam frequentibus victimis martyrii palma cultuque iisdem tributo ornatior ad exitum properaverit.

11. Beatificationem martyrum Angliae et Scotiae.

12. Alios decretos caelitum honores:

Spiritus quidem Paracliti vim atque virtutem in Ecclesiae veluti venas influere perennem ac permanare, manifesto liquet ex ipsa horum martyrum ad extremum victoria; nonne etiam licuit tum manifesto, cum alios sanctitatis heroas christifidelibus

ad colendum imitandumque mense Iunio proposuimus? Dicere autem vix attinet, quanta civium advenarumque multitudo in Petriani templi maiestate beatos novensiles Nobiscum venerati sint: videlicet Claudium de la Colombière, alumnum illum Societatis Iesu clarissimum, quem Iesus ipse non modo « servum fidelem » appellavit et Margaritae Mariae Alacoque consiliarium addixit, sed etiam cultus erga Cor suum in populo christiano provehendi principem esse voluit; Teresiam Margaritam Redi, Florentinae familiae Carmelitidem, iuventutis innocentiaeque flosculum; Franciscum Mariam a Camporubeo, Capulatum illum sodalem, qui, nostrâ fere memoriâ, cum, quadraginta annos, pro officio, stipem ostiatim emendicasset, integritatis exemplo, consiliis divinam quandam prudentiam redolentibus et suavissimis ad sanctitatem incitamentis, sic plebi ipsisque optimatibus Assisiatem referre visus est, ut Genuenses, quem vivum coluissent atque observassent, eundem vita functum perpetua huc usque recordatione ac reverentia prosecuti sint. Quo autem pacto liceat illam describere, qua perfusi sumus, animi voluptatem, dum Ioanni Bosco, quem inter beatos caelites adscriveramus, in eadem Vaticana basilica publice supplicabamus? Gratissimam enim eorum memoriam annorum revocando, cum, ab sacerdotio recentes, sapientissimis tanti viri colloquiis fruiti eramus, Dei vere « mirabilis in sanctis suis » misericordiam admirabamur, qui nefariis hominum factionibus, in eo elaborantibus ut rem christianam funditus everterent et supremam Romani Pontificis auctoritatem criminationibus conviciisque deprimerent, Ioannem tam diu providenterque obiecisset. Is enim, qui, adulescentulus, aequales suos ad orandum communiter christianaeque elementa doctrinae ab se perdiscenda convocare consueverat, postquam sacris initiatus est, ad iuventutis salutem, quae improborum hominum fallaciis magis obnoxia esset, cogitationes suas curasque omnes convertere; allectos ad se iuvenes a periculis arcere et ad evangelicae legis praecepta morumque integritatem informare; tanto quidem operi amplificando socios sibi adsciscere, eo successu, ut novam, eandemque frequentissimam, militum cohortem Ecclesiae compararit; conlegia et officinas iuvenibus ad litterarum studia vel artificia instituendis apud nos in exterisve regionibus condere; suos denique ad propagandum inter infideles Christi regnum bene multos dimittere. Quae per eam in Petriana Aede stationem cogitantibus non modo Nobis occurrebat quam opportuno Deus auxilio, in adversis praesertim rebus, Ecclesiam suam adiuvare ac munire consuevisset, sed etiam obversabatur, praecipua qua-

Claudii de la Colombière;

Teresiae Margaritae Redi;

Fr. Mariae a Camporobeo;

Ioannis Bosco.

dam auctoris omnium bonorum providentia accidisse, ut primo omnium, postquam optatissimae pacis foedus cum Italiae regno inieramus, caelestes honores Ioanni Bosco decerneremus, qui, violata Apostolicae Sedis iura vehementer complorans, haud semel contendisset ut, iisdem redintegratis iuribus, miserrimum discidium, quo Italia de paterno Pontificis complexu abstracta erat, amice componeretur.

13. Frequentiam peregrinorum.

Facere hoc loco non possumus, Venerabiles Fratres, dilecti filii, quin nonnihil de mirifica catholicorum hominum frequentia dicamus, qui vertente anno in Urbem peregrinando convenere: quamquam vix est cur ii peregrini vel advenae appellentur, cum in domo communis Patris nemo extraneus haberi queat. Spectaculum equidem ante oculos habuimus, non uno Nobis nomine gratissimum. Ipsa enim tot nationum, etsi inter se ingenio, sensu, moribus dissimilium, in eandem fidem eandemque erga supremum animarum Pastorem observantiam consensio nonne unitatem, nonne universitatem illam palam aperteque praedicabat, quas divinus Conditor in Ecclesia sua peculiares quasi notas impressas voluit? Certis vero quibusdam anni temporibus nullum illuxisse diem dici potest, quo christifidelium turmas ab Italiae dioecesibus, ab ceteris Europae nationibus, ipsis infinito propemodum oceani tractu disiunctis, adventantes ac sua, pietatis causa, inlustriora templa adeuntes Roma non viderit. Nec tamen silentio praetereundum, Urbis incolas, qui sunt Romano Pontifici, Episcopo suo, propiores, pompa plerumque ad Basilicas invisendas instituta ut propositam orbi catholico veniam adipiscerentur, peregrinis advenisque nihil hoc in genere cessisse. Atque eorum e dioecesi Nostra filiorum tanta calendis Decembribus multitudo in Petrianum templum, veniae lucrandae causâ, convenit, ut amplissimam Aedem nunquam fortasse tam stipatam viderimus.

14. Studia lucrandi iubilaeum.

Quibus quidem omnibus ad Nos aditum catervatim efflagitantibus ultro consentientes, eorum praesentia magnopere delectati sumus; tot enim hominum milia, iuvenum praesertim, quos, alios ex aliis, admisimus, ea animi attentione atque, ut ita loquamur, cupiditate aures alloquentibus Nobis praebuere, eo plausu et clamore flagrantissimum in Nos, quo ferebantur, studium significarunt, ut pro certo habuerimus illud Nos reapse assecutos quod Nobis fuerat, novo veluti anno sacro indicendo, propositum. Etenim, quemadmodum initio diximus, non alio spectaveramus, nisi ut, fide ac pietate in christiano populo acrius excitatis, planiorem privatis publicisque moribus emendandis viam feliciter sterneremus, siquidem, — ut fel. rec. deces-

soris Nostri Leonis XIII verbis utamur, — « quantum singuli profecerint in perfectione animi sui, tantum honestatis ac virtutis ad vitam moresque publicos » accedere necesse est. Iamvero, quam praeclara pietatis ac virtutum exempla per hunc annum exhibita conspeximus, cum ubique terrarum christifideles, etsi circum non deerant qui animi levitatem caducarumque rerum cupiditatem praeferrent, ex caelestium munerum thesauris, quos paterna largitate reseravimus, divitias perpetuo mansuras haurire contenderent? Atque omnes, ii potissimum, qui, cum domi oblatis sibi salutis praesidiis facilius uti potuissent, itinerum incommoda atque impendia tolerare maluerunt, nonne re ipsa praedicabant, bona esse inanibus hisce fluxisque mundi rebus longe potiora atque immortali animo digniora, quorum propterea quaestus homini esset imprimis expetendus? Ad quod quidem solacium accessit, ut ex Nostris paene cotidianis cum tanta filiorum multitudine colloquiis appareret, multo illos acrius hodie persequi quicquid ad Christi regnum attinet aut in catholicis nationibus confirmandum aut inter gentes doctrinae humanitatisque nostrae ignaras proferendum. Unde cum actionis catholicae, qua cleri apostolatum adiuvari ac provehi opus est, tum collatae in sustentandam missionalium operam pecuniae per hunc annum profluxere incrementa: quo loco piae eorum liberalitati omne praeconium tribuimus, qui, in Nostrae huius faustitatis memoriam, variam suppellectilem et vasa atque ornamenta sacra in Missionum usum Nobis copiosissima obtulere.

Invitatio ad gratias Deo agendas.

Iam, quod a vobis, Venerabiles Fratres, dilecti filii, optare Nos, in dicendi exordio significaveramus, id ipsum in extremis hisce Litteris poscimus, ut scilicet gratias Deo agatis, una Nobiscum, quam maximas, qui Nos, cum ad talem huius lucis ac sacerdotii usuram pervenire siverit, tum praesentissimis fulsit auxiliis, et omne genus levamentis, hoc praesertim anno, recreavit. Verum postquam Deo, ut aequum est, tantum beneficiorum cumulum acceptum rettulimus, peculiares iis quoque gratias habemus, quibus veluti instrumentis ad Nos eiusmodi beneficiis complendos benigne ipsemet providenterque usus est: nationum, inquimus, rectoribus, qui, pretiosis Nos afficiendo muneribus et faciliora ad Nos itinera suis cuiusque populis comparando, voluntatem suam erga Nos admodum propensam declararunt; toti item, inquimus, catholicorum hominum familiae, qui universam propositam veniam aut domi aut in Urbe sibi ita peperere, ut luculenta non modo communi Patri sed etiam ceteris dederint fidei pietatisque suae testimonia. Qui

Gratus nationum rectoribus, Pontifex sperat fore ut fructus permaneant.

quidem virtutum fructus cur, successu temporis, deficiant atque evanescant? Immo potius, divinum humani generis conditorem ac moderatorem obsecrando, speramus, fore ut, studiis partium ubique christiana caritate temperatis, et privatis publicisque moribus ad evangelica praecepta compositis, eam cives inter se et cum civili potestate concordiam tueantur incolumem, iisque maxime christianarum virtutum ornamentis se in exemplum instructos exhibeant, ut cursum terrestris huius ad caelestem patriam peregrinationis feliciter emetiantur.

Obsecundans expressis votis, Pontifex iubilaeum ad finem mensis iunii prorogat.

Quicumque autem alicunde Nos atque haud semel, superioribus mensibus, rogarunt, ut spiritualium, quos memoravimus, fructuum laetitiam aliquanto diutius produceremus, rem fortasse minus usitatam postulavere; at Nostra tamen communis saluti sollicitudine et studio quodam grati animi Nostri uberius testificandi praecipue ad annuendum impellimur. Itaque plenissimam admissorum veniam, quam, altero veluti anno sacro extra ordinem per Constitutionem Apostolicam *Auspicantibus Nobis* indicendo, die VI mensis Ianuarii largiti sumus, eam ipsam, iisdem condicionibus lucrandam, ad integrum futuri anni MDCCCCXXX mensem lunium, auctoritate Nostra apostolica, contrariis quibuslibet non obstantibus, prorogamus.

Benedictio.

Pacis interea illius auspicem, quam Iesus Christus nascendo hominibus attulit, paternaeque simul benevolentiae Nostrae testem, vobis, Venerabiles Fratres, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Dies (23 dec. 1929).

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XXIII mensis Decembris anno MDCCCCXXIX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. XI

ANNOTATIO

Opus esse non videtur ut pias et paternas istas litteras commentariis illustrare velimus. Unum hoc observabimus, has encyclicas litteras sicut proxime sequentes, non ad solam Hierarchiam ecclesiasticam, ut fieri consuevit, sed etiam « ad dilectos filios christifideles catholici orbis universos » esse missas.

5. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Litt. enc. (1) 31 dec. 1929.

DE CHRISTIANA IUVENTAE EDUCATIONE
(A. A. S. 31 dec. 1929. XXI, 723)

PIO PP. XI

VENERABILI FRATELLI E DILETTI FIGLI
SALUTE E APOSTOLICA BENEDIZIONE

Introduzione

Rappresentanti in terra di quel Divino Maestro, il quale, pure abbracciando nella immensità del suo amore gli uomini tutti, anche peccatori e indegni, mostrò tuttavia di prediligere con una tenerezza specialissima i fanciulli e si espresse in quelle parole tanto commoventi: « lasciate che i pargoli vengano a me », (2) abbiamo anche Noi in tutte le occasioni cercato di mostrare la predilezione tutta paterna che loro portiamo particolarmente nelle cure assidue e negl'insegnamenti opportuni che toccano l'educazione cristiana della gioventù.

a) Motivi di trattare dell'Educazione cristiana.

Così facendoci eco del Divino Maestro, abbiamo rivolto la parola salutare, ora dell'ammonimento, ora dell'esortazione, ora della direzione, e ai giovani e agli educatori, e ai padri e alle madri di famiglia, su varii punti dell'educazione cristiana, con quella sollecitudine che si conviene al Padre comune di tutti i fedeli, e con quella insistenza opportuna ed importuna, che spetta all'ufficio pastorale, inculcata dall'Apostolo: « Insisti a tempo opportuno e anche non opportuno: riprendi, esorta, sgrida, con grande pazienza e dottrina », (3) richiesta dai tempi nostri, nei quali purtroppo si deplora una sì grande mancanza di chiari e sani principî, anche circa i problemi più fondamentali.

Ma la stessa accennata condizione generale dei tempi, l'attuale vario agitarsi del problema scolastico e pedagogico nei varii paesi e il conseguente desiderio manifestatoci con filiale confidenza da molti di voi e dei vostri fedeli, Venerabili Fra-

(1) Ad venerabiles Fratres patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos, aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum apostolica sede habentes, et ad dilectos filios christifideles catholici orbis universos:

(2) MARC., X, 14: *Sinite parvulos venire ad me.*

(3) *II Tim.*, IV, 2: *Insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*

telli, e l'affetto Nostro tanto intenso, come dicemmo, verso la gioventù, Ci muovono a tornare più di proposito sull'argomento, se non per trattarlo in tutta la sua quasi inesauribile ampiezza di dottrina e di pratica, almeno per riassumerne i principî supremi, metterne in piena luce le precipue conclusioni e additarne le pratiche applicazioni.

Sia questo il ricordo, che del Nostro giubileo sacerdotale, con intenzione ed affetto tutto particolare, dedichiamo alla cara gioventù e raccomandiamo a quanti hanno missione e dovere di occuparsi della sua educazione.

In verità, non mai come ai tempi presenti si è ragionato tanto di educazione; onde si moltiplicano i maestri di nuove teorie pedagogiche, si escogitano, si propongono e discutono metodi e mezzi, non solo a facilitare, ma a creare una educazione nuova di infallibile efficacia, la quale valga a formare le nuove generazioni per l'agognata felicità su questa terra.

Gli è che gli uomini, da Dio creati a sua immagine e somiglianza, ed a Lui, perfezione infinita, destinati, come avvertono, oggi più che mai nell'abbondanza del progresso materiale odierno, l'insufficienza dei beni terrestri per la vera felicità degli individui e dei popoli, così sentono più vivo in sè lo stimolo verso una perfezione più alta, inserito nella loro stessa natura ragionevole dal Creatore, e vogliono conseguirla principalmente con l'educazione. Se non che, molti di essi, quasi insistendo di soverchio nel senso etimologico della parola, pretendono estrarla dalla medesima natura umana ed attuarla con le sole sue forze. Onde in ciò errano facilmente, giacchè, invece di dirigere la mira a Dio, primo principio e ultimo fine di tutto l'universo, si ripiegano e giaciono su sè stessi, attaccandosi esclusivamente alle cose terrestri e temporanee; sicchè continua ed incessante sarà la loro agitazione fino a quando non rivolgano gli occhi e l'opera all'unica mèta della perfezione, Dio, secondo la profonda sentenza di S. Agostino: « Ci creasti, o Signore, per Te, e inquieto è il cuor nostro fintantochè in Te non si riposi ». (1)

b) *Essenza, importanza ed eccellenza dell'Educazione cristiana.*

Egli è dunque di suprema importanza non errare nell'educazione, come il non errare nella direzione verso il fine ultimo, con il quale è intimamente e necessariamente connessa tutta l'opera dell'educazione. Infatti, poichè l'educazione consiste essenzialmente nella formazione dell'uomo, quale egli deve essere e come deve comportarsi in questa vita terrena per conseguire il fine sublime pel quale fu creato, è chiaro che,

(1) *Confess.*, I, 1: *Fecisti nos, Domine, ad Te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in Te.*

come non può darsi vera educazione che non sia tutta ordinata al fine ultimo, così, nell'ordine presente di Provvidenza, dopo cioè che Dio ci si è rivelato nel Figlio suo Unigenito, che solo è « via e verità e vita », non può darsi adeguata e perfetta educazione se non l'educazione cristiana.

Onde si fa manifesta l'importanza suprema della educazione cristiana, non soltanto per i singoli individui, ma e per le famiglie e per tutta quanta la umana convivenza, giacchè la perfezione di questa non può non risultare dalla perfezione degli elementi che la compongono. E similmente, dai principî accennati si fa chiara e manifesta l'eccellenza, si può ben dire insuperabile, dell'opera dell'educazione cristiana, come quella che mira, in ultima analisi, ad assicurare il Sommo Bene, Dio, alle anime degli educandi, ed il massimo di benessere, possibile in questa terra, all'umana convivenza. E ciò nel modo più efficace che sia possibile da parte dell'uomo, nel cooperare cioè con Dio al perfezionamento degli individui e della società, in quanto la educazione imprime agli animi la prima, la più potente e la più duratura direzione nella vita, secondo la notissima sentenza del Savio: « Il giovinetto, secondo la via che ha presa, anche quando sarà invecchiato non se ne scosterà ». (1) Diceva perciò con ragione S. Giovanni Crisostomo: « Che v'ha di più grande se non governare gli animi, se non formare i costumi dei giovinetti? » (2)

Ma non vi ha parola che ci riveli la grandezza, la bellezza ed eccellenza soprannaturale dell'opera dell'educazione cristiana, quanto la sublime espressione d'amore onde Gesù Signor Nostro, identificandosi con i fanciulli, dichiara: « Chi avrà ricevuto uno di questi piccoli in nome mio riceve me » (3).

c) *Partizione della trattazione.*

Pertanto, per non errare in quest'opera di somma importanza, e per condurla nel modo migliore che sia possibile, con l'aiuto della grazia divina, è necessario avere l'idea chiara ed esatta dell'educazione cristiana nelle sue ragioni essenziali, e cioè: a chi spetta la missione di educare, quale è il soggetto dell'educazione, quali le circostanze necessarie dell'ambiente, quale è il fine e la forma propria dell'educazione cristiana, secondo l'ordine stabilito da Dio nell'economia della sua Provvidenza.

---

(1) *Prov.*, XXII. 6: *Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea.*

(2) *Hom 60*, in c. 18 Matth.: *Quid maius quam animis moderari, adolescentulorum fingere mores?*

(3) Marc., IX, 36: *Quisquis unum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit.*

A chi appartiene l'Educazione.

L'educazione è opera necessariamente sociale, non solitaria. Ora tre sono le società necessarie, distinte e pur armonicamente congiunte da Dio, in seno alle quali nasce l'uomo: due società di ordine naturale, quali sono la famiglia e la società civile; la terza la Chiesa, di ordine soprannaturale.

A) *In generale.*

Dapprima la famiglia, istituita immediatamente da Dio al fine suo proprio, che è la procreazione ed educazione della prole, la quale perciò ha priorità di natura, e quindi una priorità di diritti, rispetto alla società civile. Nondimeno, la famiglia è società imperfetta, perchè non ha in sè tutti i mezzi per il proprio perfezionamento; laddove la società civile è società perfetta, avendo in sè tutti i mezzi al fine proprio, che è il bene comune temporale, onde, per questo rispetto, cioè in ordine al bene comune, essa ha preminenza sulla famiglia, la quale raggiunge appunto nella società civile la sua conveniente perfezione temporale.

La terza società nella quale nasce l'uomo, mediante il Battesimo, alla vita divina della Grazia, è la Chiesa, società di ordine soprannaturale e universale, società perfetta, perchè ha in sè tutti i mezzi al suo fine, che è la salvezza eterna degli uomini, e pertanto suprema nel suo ordine.

Per conseguenza, l'educazione, la quale riguarda tutto l'uomo, individualmente e socialmente, nell'ordine della natura e in quello della grazia, appartiene a tutte e tre queste società necessarie, in misura proporzionata, corrispondente, secondo il presente ordine di provvidenza stabilito da Dio, alla coordinazione dei loro rispettivi fini.

B) *In ispecie:*

Alla Chiesa:

E dapprima, essa appartiene in modo sopraeminente alla Chiesa per due titoli di ordine soprannaturale, da Dio stesso a Lei esclusivamente conferiti, e perciò assolutamente superiori a qualsiasi altro titolo di ordine naturale.

a) *In modo sopraeminente.*

Il primo sta nella espressa missione ed autorità suprema di magistero, datale dal suo Divino Fondatore: « Ogni potere è stato dato a me in cielo e in terra. Andate dunque, ammaestrate tutte le genti, battezzandole nel nome del Padre e del Figliuolo e dello Spirito Santo: insegnando loro ad osservare tutto quanto v'ho comandato. Ed ecco io sono con voi tutti i giorni sino alla fine del mondo ». (1) Al quale Magistero è stata

(1) Matth. XXVIII, 18-20. *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*

b) *Maternità soprannaturale.*

da Cristo conferita l'infallibilità in una col mandato d'insegnare la sua dottrina; onde la Chiesa « fu costituita dal Divino suo Autore colonna e fondamento della verità, affinchè insegni agli uomini la fede divina, e ne custodisca integro e inviolato il deposito affidatole, e diriga ed informi gli uomini e le loro consociazioni ed azioni ad onestà di costumi ed integrità di vita, a norma della dottrina rivelata » (1).

Il secondo titolo è la Maternità soprannaturale, onde la Chiesa, Sposa immacolata di Cristo, genera, nutre ed educa le anime nella vita divina della grazia, con i suoi Sacramenti e il suo insegnamento. Perciò a buon diritto afferma S. Agostino: « Non avrà Dio per padre, chi avrà rifiutato di avere la Chiesa per madre » (2).

Pertanto, nell'obietto proprio della sua missione educativa, cioè: « nella fede e nella istituzione dei costumi, Dio stesso ha fatto la Chiesa partecipe del divino magistero, e, per beneficio divino, immune da errore; ond'è degli uomini maestra suprema e sicurissima, e le è insito inviolabile diritto a libertà di magistero » (3). E per necessaria conseguenza, la Chiesa è indipendente da qualsiasi potestà terrena, come nell'origine così nell'esercizio della sua missione educativa, non solo rispetto al suo obietto proprio, ma anche rispetto ai mezzi necessari e convenienti per adempirla. Quindi, rispetto ad ogni altra disciplina ed insegnamento umano, che in sè considerato è patrimonio di tutti, individui e società, la Chiesa ha diritto indipendente di usarne e principalmente di giudicarne in quanto possa essere giovevole o contrario all'educazione cristiana. E ciò, sia perchè la Chiesa, come società perfetta, ha diritto indipendente sui mezzi al suo fine, sia perchè ogni insegnamento, al pari di ogni azione umana, ha necessaria relazione di dipendenza dal fine ultimo dell'uomo, e però non può sottrarsi alle norme della legge divina, di cui è custode, interprete e maestra infallibile la Chiesa.

---

(1) Pius IX, Ep. *Cum non sine*, 14 Iul. 1864: *Columna et firmamentum veritatis a Divino suo Auctore fuit constituta, ut omnes homines divinam edoceat fidem, eiusque depositum sibi traditum integrum inviolatumque custodiat, ac homines eorumque consortia et actiones ad morum honestatem vitaeque integritatem, iuxta revelatae doctrinae normam, dirigat et fingat.*

(2) *De Symbolo ad catech.*, XIII: *Non habebit Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.*

Assumpçao, Coraçâo de Jesus, S. Joâo, Refugio e Rayada cidade de Madrasta, situata ao sul do referido rio Cooum. Em compensaçâo, porém, desta cedência e em conformidade com o que se estabelece no art. 1º deste protocolo, as cinco paroquias da diocese de Meliapôr, espalhadas na cidade de Madrasta, ao norte do referido rio, passam para a Arquidiocese de Madrasta.

ART. IV. — Em conformidade com o presente protocolo, as paroquias dispersas fóra dos dois territorios continuos de Meliapôr, anexados a outras dioceses, sâo as seguintes:

Awoor, Cocurnim, Dindigul, Madura, Malleiadipaty, Oriur, Nossa Senhora das Dores na cidade de Trichinopoly e Muttupettah, que passam para a diocese de Trichinopoly (a paroquia de Venkatakulam continua pertencendo a Meliapôr com a anexaçâo do *taluk* de Alangudi).

Gurdalle, Manapad, Punnakail, Nossa Senhora das Dores de Tuticorin e Vaippar, cedidas á diocese de Tuticorin.

Boitakana, Bandel e Cinsurah, que passam para a Arquidiocese de Calcutta.

Nossa Senhora da Piedade na cidade de Dacca, Hashnabad, Tesgong e Nagory, que sâo unidas á diocese de Dacca.

Shibpur que passa para a diocese de Chittagong.

Assumpçâo, Coraçao de Jesus, S. Joâo, Refugio e Raya-

puram, che passano all'Archidiocesi di Madras.

Quelle parrocchie poi che la diocesi di Meliapor riceve in compenso con il sopradescritto ingrandimento dei due territori contigui di Tanjore e S. Tomé sono le seguenti:

dalla diocesi di Trichinopoli: nel *taluk* di Alangudi, le parrocchie di Pudukkottai, Kottaikadu e la già nominata di Vekatakulam e, nel *taluk* di Tirumayam, la parrocchia di Samanasur;

dalla diocesi di Kumbakonam: nel *taluk* di Nannilam; Perumpannayur, Molancoody e Karaiyur; nel *taluk* di Mayavaram: Mayavaram, Manday, Pillavadanday e Tranquebar; nel *taluk* di Shiyaly, la parrocchia di Erukoor e nel *taluk* di Chidambaram quella di Palayankottai;

dall'Archidiocesi di Madras: Purificazione e S. Teresa con due cappelle dentro la città di Madras; e Poonamallee, Pannur, Kilacherry, Sellampattida e Valaspuram, fuori della città.

puram, que passam para a Arquidiocese de Madrasta.

Em compensação, as paroquias, que a diocese de Meliapôr recebe, com a ampliação dos dois territorios continuos de Tanjor e S. Tomé, são as seguintes:

da diocese de Trichinopoly, no *taluk* de Alangudi, as paroquias de Pudukkottai, Kottaikadu e a já indicada de Venkatakulam e, no *taluk* de Tirumayam, a paroquia de Samanasur;

da diocese de Kumbakonam, no *taluk* de Nannilam: Perumpannayur, Molancoody e Karaiyur; no *taluk* de Mayavaram: Mayavaram, Manday, Pillavadanday e Tranquebar; no *taluk* de Shivaly: a paroquia de Erukoor e no *taluk* de Chidambaram a de Palayankottai;

da Arquidiocese de Madrasta: Purificação e Santa Tereza com duas capelas dentro da cidade de Madrasta; e Poonamallee, Pannur, Kilacherry, Sellampattida e Valaspuram fóra da cidade.

Specialis ratio eligendi parochum Nagory inter lusitanos dioec. S. Thomae de Meliapor.

ART. V. — In considerazione delle particolari condizioni della parrocchia di Nagory, il Vescovo di Dacca, sotto la cui giurisdizione viene a trovarsi la suddetta parrocchia, ne sceglierà il parroco tra i sacerdoti portoghesi della diocesi di San Tomaso di Meliapor.

ART. V. — Atendendo ás especiaes circunstancias da paroquia de Nagory, o Bispo de Dacca, a cuja jurisdicção fica pertencendo a dita paroquia, escolherá o respectivo paroco entre os sacerdotes portuguêses da diocese de S. Tomé de Meliapôr.

Pactio solam iurisdictionem attingit.

ART. VI. — Il presente accordo si riferisce solamente alla giurisdizione episcopale, e non alla proprietà dei beni, dei tesori artistici, delle scuole, ecc., portoghesi, che continueranno ad essere proprietà degli enti ai quali attualmente appartengono.

ART. VI. — O presente acordo refere-se unicamente á jurisdição episcopal e não á propriedade dos bens, dos tesouros artisticos, das escolas, etc., portuguêses, que continuarão a ser propriedade das entidades ás quaes atualmente pertencem.

Derogatio contrariorum.

ART. VII. — Tutte le disposizioni di precedenti documenti che fossero contrarie al presente protocollo s'intendono abrogate.

ART. VII. — Consideram-se revogadas todas as disposições de anteriores documentos contrárias ao presente protocolo.

Dies (11 apr. 1929).

Roma, undici Aprile mille novecento ventinove.

L. ✠ S. PIETRO CARDINALE GASPARRI

L. ✠ S. AUGUSTO DE CASTRO SAMPAIO CORTE REAL

Ratificatio.

Essendosi fra la Santa Sede e il Governo della Repubblica di Portogallo conchiuso, e dai rispettivi plenipotenziari sottoscritto, il giorno undici Aprile del corrente anno un Concordato; oggi, 29 Giugno 1929, Sua Eminenza il Signor Cardinale PIETRO GASPARRI, *Segretario di Stato di Sua Santità, e Sua Eccellenza il Signor Dottor* AUGUSTO DE CASTRO SAMPAIO CORTE REAL, *Inviato Straordinario e Ministro plenipotenziario della Repubblica di Portogallo, riuniti nelle camere del Palazzo Apostolico del Vaticano, previa lettura dei rispettivi strumenti di ratifica, li hanno trovati pienamente conformi in tutti e singoli i loro articoli. In seguito di che, hanno entrambi proceduto allo scambio delle ratifiche medesime, ed in fede di tale Atto hanno sottoscritto di loro propria mano il presente processo verbale in doppio originale, apponendovi il sigillo delle loro armi.*

Dies (29 iun. 1929).

Roma, dal Palazzo Pontificio al Vaticano, il 29 Giugno 1929.

L. ✠ S. PIETRO CARDINALE GASPARRI.

L. ✠ S. AUGUSTO DE CASTRO SAMPAIO CORTE REAL.

ANNOTATIONES

Ipsa rerum copia impediti (Tomus enim XVIII numero superat quingentas singulis tomis assignatas paginas) ad praesens volumen differre coacti sumus tres conventiones inter S. Sedem et Status initas, quas tamen omittere non poteramus, ne nostra series concordatorum manca seu incompleta maneret. Iam pauca de singulis observemus.

I. Conventio cum re publica Lusitana.

De ista conventione satis erit hoc observare, eam esse mere complementum, tunc nuntiatum, pactionis 15 april. - 3 maii 1928 (1), quam tomo XVIII, p. 76 rettulimus. Accuratius enim describenda erant territoria quibus iam constant dioecesis S. Thomae de Meliapor et aliae vicinae Indiarum. Nuperrime, Bulla *Quae ad spirituale,* 3 iul. 1929, S. Pontifex secundum praefatas pactiones dioeceses istas ordinavit. Cfr *Acta Apostolicae Sedis*, 3 mart. 1930, p. 121, ss.

Id unum praeterea cavetur, ut episcopus Daccensis solos sacerdotes Lusitanos dioecesis Meliapor, paroeciae Nagory praeficiat.

II. Concordia cum Rumania.

I. Iuvat conventionis intellectum statisticas rationes nosse religionum quae in Rumania distinguuntur. Eas ab Encyclopedia Hispana mutuamur, et ad annum 1918 referuntur. Itaque

---

(1) Nescimus cur in *A. A. S.*, XXI, 337, dies indicetur 4 maii, dum tomi XX, p. 134, refertur ad 3 maii.

Catholici ritus graeci sunt	1.456.147
ritus latini,	1.483.929
Armeni	17.596
Orthodoxi numerantur	9.695.714
Protestantes	1.246.970
Iudaei	834.344
Mahumetani	44.087

Numero igitur praevalent schismatici Orientales; dum catholici secundum locum tenent et fere aequali numero ad ritum graecum vel latinum pertinent.

II. In isto Concordato pauca specialia notanda sunt, cum fere contineat quae quasi communes clausulae sunt pactionum quae S. Sedes cum populo quod ad minorem partem catholico admitti hodie consueverunt. I. e :

1. Sanctio *libertatis* religionis catholicae quae, in art. I ad cultum pubblicum *expresse* protenditur; et liberi commercii cum S. Sede.

2. Quaedam agnitio constitutae *Hierarchiae* a civili potestate, quae proin etiam cavet ne sine eius assensu mutetur.

3. Non nullae cautiones seu stipulationes *nationales: a*) Nihil Episcopus extraneus intra Rumaniae fines, nihil Rumanus extra Rumaniam poterit; — *b*) Salva exceptione mutuo consensu admissa, nemo, nisi civis Rumanus dioecesim vel quasi-dioecesim regere, munus parochi, professoris Seminarii, canonici ecclesiae cathedralis gerere, vel Provincialis immo religiosus in Rumania esse potest.

4. Non nullae cautiones *politicae:* privata manifestatio eorum quos S. Sedes dioecesibus vel quasitalibus praeficere proponit, ne quid sub respectu politico obiciatur; iuramentum ab Episcopis praestandum; preces pro Rege; communicatio cum ministro cultuum aliarum nominationum (iam factarum), et ordinationum quae vulgantur et publice intersunt.

5. Interpretatio Conventionis, communi consensu facienda;

6. Praevisio ulterioris pactionis pro punctis non solutis.

III. Ut minus consuetam indicamus istam limitationem libertatis religionis catholicae: nec nova Instituta religiosa, nec novae domus religiosae erigi possunt sine tum S. Sedis tum Gubernii licentia.

IV. In hoc Concordato haec favent Ecclesiae: ampla libertas exercendi etiam publice cultum; administrandi dioeceses; ampla agnitio personarum iuridicarum ecclesiasticarum; subsidia pecuniaria; constitutio aerarii communis inter plures dioeceses pro variis operibus piis seu apostolicis; honor senatoriae dignitatis datus Episcopis; quaedam facultas et quasi obligatio admittendi novas paroecias easque ex aerario publico iuvandi; libertas religiose assistendi personis in Institutis publicis; provisiones de religiosa institutione; ius Ordinariorum nominandi magistros religionis, approbandi libros quibus institutio religiosa docetur; observandi modum quo religio explicetur; et provocandi, ubi oporteat, magistri depositionem.

V. Magis peculiaris clausula istius pactionis cernitur in facultate quae utrique parti tribuitur renuntiandi conventioni, praemissa sex mensium praemonitione.

Non commune etiam est consectarium iuridicum redigendi, subtracta iurisdictione S. C. de Propaganda Fide, territorium ad ius commune. Ratihabitio conventionis satis diu exspectanda fuit; immo, ut haec obtineretur, S. Pontifex debuit benigne approbare non nullas ministri declarationes quae vim quarundam vocum extenuare videntur, potissimum quod attinet ad ius Ordinariorum in magistros et libros quos alumni audire vel volvere debent.

Si tamen sincera et benevola mente exsecutione

compleatur, Ecclesia sanctam suam missionem pacifice explere poterit; animus tamen religioni hostilis variis stipulationibus quae convenerunt in detrimentum pacis et animarum abuti posset.

A. Vermeersch, S. I.

III. Concordia cum Borussia.

Die 13 Augusti 1929, Concordatum inter Sanctam Sedem et Statum Borussicum ratificatum est. Textus authenticus est germanicus et italicus, ita ut uterque textus eandem habeat vim iuridicam.

Vox « *concordati* » in textus non invenitur. Substituitur huic voci expressio « solenne convenzione », « förmlicher Vertrag », et hoc ex ratione tactica: in publica enim de concordato disceptatione, valde aspera, adversarii numerosissimi omnis cum S. Sede conventionis voce concordati abusi erant ad excitandos animos contra intentum gubernii. Ex altera parte, successus operis pendebat ab acceptatione conventionis per Parlamentum Borussicum, et haec acceptatio iterum a voto positivo quattuor factionum (inter quas etiam factio praepotens socialistarum), quarum tantum una (*Zentrum*) sincere et propter principia conventioni favebat. Ne ergo tribus aliis factionibus condiciones nimis difficiles generarentur, auctores conventionis a voce concordati abstinuerunt. Attamen agi de concordato dubium esse non potest. Nam de iisdem prorsus rebus et adhuc pluribus aliis tractatur, de quibus in architypo omnis concordati, nempe in Concordato Wormatiensi anno 1112 actum est: de electione Episcoporum, de bonis ecclesiasticis, de libertate et condicione iuridica Ecclesiae catholicae.

De hac condicione statim Art. 1 loquitur: « Libertati confessionis et exercitio religionis catholicae res publica Borussiae protectionem legum praebebit ». Quoad suum obiectum, hic articulus comprehendit ad minimum tantum quantum articuli 135 usque 141 Constitutionis Weimariensis diei 19 Augusti 1919, quae certe Ecclesiae catholicae sat amplam libertatem concedit. Valor articuli in eo est, quod, quae in constitutione unilateraliter et magis generaliter praestan-

tur, una cum sequentibus articulis in forma contractus bilateralis et magis definite statuuntur. Quoad futuram legem scholasticam, articulus, si legitime ad effectum adducitur, iuventutem catholicam ad minimum ab ea schola proteget, in qua eius evolutio religiosa secundum naturalem rerum eventum morali certitudine grave damnum pateretur. (Usque modo 90 % catholicorum Borussiae scholas publicas confessionales, i. e. catholicas frequentant.) Si de cetero in ipso concordato de schola sermo non est propter easdem rationes quas modo, loquentes de voce « concordati », allegavimus, nota officialis Nuntii Apostolici ad Praesidem Ministerii Borussiae et huius responsio iura catholicorum constitutionalia, praesertim circa instructionem religiosam, servant.

Articulus 2 agit de circumscriptione dioecesium et quidem tribus punctis:

1. Fundantur duae novae dioeceses: Aquisgranensis (ex parte occidentali dioecesis Coloniensis cum 1000000 fidelium, ita ut Colonia adhuc 2500000 catholicorum numeret) et Berolinens. (comprehendens veterem Legationem: Berolinensem et maiorem partem provinciarum Borussiae Brandenburgi et Pomeraniae cum quingentis milibus catholicorum). Fundationi dioecesis aequiparanda est fundatio Praelaturae *nullius* Schneidemühl, comprehendens eas partes dioecesium nunc polonicarum Culmensis et Posnaniensis, quae pace Versaliensi intra fines Germaniae remanent.

2. Fiunt variae mutationes intra circumscriptionem iam exsistentem, quarum gravissima ea est, quod terrae missionum usque huc in Borussia exsistentes et S. C. de Propaganda Fide subiectae, nunc Dioecesi Osnaburgensi plene incorporantur.

3. Distribuuntur omnes dioeceses Borussicae in tres provincias ecclesiasticas: in occidentalem cum sede Coloniens. ut metropolitana et dioecesibus suf-

fraganeis Trevir., Aquisgan., Monaster., Osnabürg. et Limburg.; in mediam cum Paderbornensi ut sede metropolitana et dioecesibus suffraganeis Fuldensi et Hildesheimensi (Fuldens. et Limburg, separantur ergo a Provincia ecclesiastica Rheni superioris); in orientalem cum Vratislaviensi (Breslau) ut metropolitana et dioecesibus suffraganeis Berolin., Ermland. Borussia orientalis), Schneidemühl.

Art. 4 et 5 praestant bona ecclesiastica et obiecta usui ecclesiastico inservientia ea extensione et eo modo, uti ante concordatum praestabantur. Pro mensis episcopalibus, Capitulis, cathedralibus, seminariis episcopalibus, Capitulis, cathedralibus, seminariis episcopalibus Status solvet summam annuam 2.800.000 marcarum (in universum Status Borussicus pro Ecclesia catholica ex bonis ecclesiasticis saecularizatis solvit summam annuam 23.000.000 marcarum. Quoad hanc dispositionem concordato nihil mutatum est).

Art. 3, 6 usque 12 conventionis, et quod de art. 12 addit " protocollum „ finale dant normas pro *provisione officiorum ecclesiasticorum*:

Quoad sacerdotes, qui non stabiliter curae animarum incumbunt, Status condiciones non ponit. Omnes alii civitatis Germaniae esse et sic dictam maturitatem ad frequentandas scholas superiores (Universitates, etc.) habere debent. De cetero, si Status pro eorum officio nihil solvit, Ecclesia in eorum educatione, instructione, in munere eius assignando prorsus libera est.

Qui officio parochiali a Statu dotato vel munere ecclesiastico superiore usque ad episcopatum inclusive fungi vult, praeterea ad minimum tribus annis studere debet (patet Ecclesiam ipsam ad normam Can. 1365 plus studiorum requirere!) aut in facultatibus pro theologia catholica Universitatum Germaniae, a Statu agnitis, aut in scholis superioribus pontificiis Urbis. Studiorum theologicorum in facultatibus theo-

logicis Universitatum Austriacarum persolutorum Status Borussicus agnoscit sec. Concordatum practice duos annos et dimidium. Deest igitur pro studiis ab ipso requisitis tantum dimidius annus. Professores seminariorum episcopalium, ut admitti possint, regulariter promotionem theologicam (sive germanicam sive romanam) et opus scientificum sic dictae habilitationis proponere debent. De hoc ultimo iudicium fert facultas cui incorporari cupiunt. Quoad professores theologiae in Universitatibus, iura Episcoporum aucta et clarius circumscripta sunt.

Obiectum illud sic dicti « *Kulturkampf* » : obligatio Ecclesiae indicandi Statui parochos ante eorum nominationem, Concordato abolita est.

Dignitates qui ut canonici prius ab ipsis canonicis eligebantur aut a Gubernio designabantur, nunc a Summo Pontifice, ceteri *canonici* ab Episcopo nominantur.

Primum locum in Concordato tenet electio Episcoporum. Hoc modo peragitur :

Vacante sede episcopali, ceteri episcopi Borussici et canonici sedis vacantis nomina candidatorum pro munere episcopali S. Sedi proponunt. S. Sedes elenchos prae oculis habens (« tenendo presenti queste liste »), quin ergo iisdem obligetur, capitulo tres candidatos proponit, ex quibus Episcopum eligant. Si Gubernium monet contra electum esse distincta et certa facta gravia ordinis politici, S. Sedes eum non nominabit.

Haec sunt puncta praecipua Concordati Borussici. Praestat in rebus ecclesiastico-politicis stabilitatem et securitatem iuridicam. Est bona exsecutio directionum quas constitutio Weimariensis quod ad libertatem Ecclesiae dat. Facit imprimis Ecclesiam independentem quoad essentialia officiorum ecclesiasticorum. Catholici Borussiae auctori Concordati, Cardinali PACELLI,

quanto longius tanto plus pro opere bene facto gratiam habebunt.

Notandum quoque est istud Concordatum sicut et Bavaricum, non in Urbe ut cetera Concordata, sed in ipsa civitate pro qua convenit esse initum et ratihabitum.

Observes demum sollicitudinem quae in hoc pacto demonstratur de scientia seu condicione eorum quae munera ecclesiastica obire debent.

ROBERTUS LEIBER S. I.

---

14. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Litt. enc. « Divini illius », 31 dec. 1929

DE CHRISTIANA IUVENTUTIS EDUCATIONE

(A. A. S., 22 feb. 1930, XXII, 49)

Ad venerabiles fratres, patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos, aliosque locorum ordinarios, pacem et communionem cum apostolica sede habentes itemque ad christifideles catholici orbis universos: de christiana iuventutis educatione.

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Introductio. **Divini illius** Magistri vices in terris gerentes, qui, etsi universam hominum familiam, vel ob commissa immerentium, infinita caritate sua complectebatur, teneriore tamen animo pueros prosecutus est atque in verba illa erupit amoris plena: « Sinite parvulos venire ad me », (1) Nos quoque ullam, quae Nobis obversaretur, opportunitatem non praetermisimus, ut paternam voluntatem, qua in eos ferimur, data occasione, ostenderemus eo potissimum intendentes animum, ut sedulae iisdem

(1) MARC., X, 14.

tribuantur curae opportunaque tradantur praecepta, quae ad christianam pertineant iuventutis educationem. Itaque, Divini ipsius Magistri veluti vocem referentes, pluries, admonendo, cohortando, dirigendo, salutaria verba habuimus cum coram iuvenibus eorumque praeceptoribus, tum coram matribus patribusque familias, de iis rebus quae christianam attingunt educationem, ea quidem sollerti cura, quae communem omnium Patrem decet, eaque opportuna vel importuna, quae pastoralis est muneris, sedulitate, secundum illud Apostoli: « Insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina » ; (1) quod profecto haec nostra postulant tempora quibus nimium saepe dolendum est perspicua ratione rectoque iudicio de rebus etiam maximi ponderis carere multos.

a) *Rationes disserendi de educatione christiana.*

At ipsa nostrae huius aetatis conditio, ipsa quae variis in regionibus scholastica agitatur ac paedagogica controversia, ipsa, quae bene multi e vobis, venerabiles fratres, atque e vestratibus, hac de re optata non semel Nobis fidenti animo aperuerunt, itemque Nostra, ut diximus, erga iuventutem actuosa voluntas, Nos impellunt ad causam iterum ac consultius pertractandam, non quasi eius doctrinae eiusque usus amplitudinem paene infinitam velimus funditus perscrutari, at quia praecipua saltem, quibus nititur principia ac rationes, breviter cupimus, et ea omnia, quae inde consequuntur atque ad usum pertinent, in sua luce ponere. Idque habeat iuventus, habeantque omnes qui, pro suo officio, eius praesunt educationi, veluti donum a Nobis singulari prorsus studio monumenti caussa datum, quinquagesimo exeunte anno ex quo sacerdotale munus suscepimus.

Iamvero, nunquam, ut nostris hisce temporibus, de educatione tantopere disceptatum est; quam ob rem plurimi novarum de paedagogia doctrinarum magistri ubique exstant, qui novas de hac re effingunt ac disserendo proponunt rationes ac vias, quibus eam iactant se posse educationem assequi, faciliorem scilicet atque efficaciorem, qua futurae aetatis homines ad optatam in terris felicitatem adipiscendam satius conformentur.

Cuius rei haec caussa est, quod videlicet homines, qui, a Deo creati, eius referunt similitudinem eodemque, perfectissimo bono, aliquando fruituri sunt, ut ex hodierna ipsa terrenarum rerum copia ac progressione facilius animadvertunt non posse bona externa neque privatam afferre neque publicam veri nominis felicitatem, ita, naturae suae ab ipso Creatore insitum,

(1) *II Tim.*, IV, 2.

acriorem experiuntur stimulum ad nobiliorem cotidie capiendam perfectioris vitae formam, quam quidem educationis ope potissimum suscipere contendunt. At nonnulli, quasi in nativa verbi significatione nimium insistentes, eiusmodi vitae perfectionem ex ipsa hominum natura expromere enituntur eiusque viribus tantum ad effectum adducere. In quo facile ii quidem errant, quandoquidem non ad Deum, universitatis rerum principium atque finem, oculos animosque intendunt sed in se ipsos inflectunt, terrenis fluxisque rebus haerentes toti: unde profecto fiet, ut iidem perpetua animorum fluctuatione ac perturbatione fatigentur, usque dum ad Deum, virtutum omnium unam veluti metam, mentem operamque suam convertant, secundum grandem illam Augustini sententiam: « Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te ». (1)

b) *Essentia, momentum et excellentia educationis christianae.*

Res igitur maximi momenti est, in iis quae ad educationem attinent non falli, haud aliter quam ab ipso supremo fine non aberrare, ad quem quidem quaelibet educationis opera necessario dirigitur. Etenim, quoniam omnis educandi ratio ad eam spectat hominis conformationem, quam is in hac mortali vita adipiscatur oportet, ut destinatum sibi a Creatore finem supremum contingat, liquido patet, ut nulla veri nominis educatio esse potest, quae ad finem ultimum non ordinetur tota, ita, praesenti hoc rerum ordine Dei providentia constituto, postquam scilicet se ipse in Unigenito suo revelavit qui unus « via, veritas et vita » est, plenam perfectamque educationem dari non posse, nisi eam, quae christiana vocatur. Quapropter manifesto apparet, christianam educationem caussam esse sane gravissimam, quod attinet non modo ad singulos homines, sed ad domesticam etiam civilemque consortionem, cuius quidem summa vis atque virtus ex ipsa vi atque virtute eorum profecto oritur ex quibus eadem tamquam elementis constat. Itemque ex hisce principiis, quae adhuc attigimus, dilucidum est quam praestabilis sit, prae ceteris omnibus, christianae educationis opera, quippe quae eo potissimum spectet, ut summi boni, nempe Dei, possessionem adolescentibus educandis comparet, et humanae societati maxima, quoad in terris fieri potest, emolumenta ac commoda pariat. Idque efficaciore prorsus modo ea assequi nititur, quandoquidem homines, eiusmodi inceptum provehentes, ipsi Deo navant operam, ut auctiori civium profectui privatim publice prospiciant; educatores enim iuvenum animos ita effingunt ac movent, ut eorum vitae cursum vel in

(1) *Confess.*. I, 1.

posterum quodammodo dirigant, divina testante Sapientia: « Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea » (1). Merito igitur hac de re scripsit S. Ioannes Chrysostomus: « Quid maius quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? » (2).

At nihil profecto christianae educationis amplitudinem dignitatemque, nihil supernaturalem eius praestantiam magis ostendit, quam amantissima illa verba, quibus Christus Dominus, quasi suam pueri gererent personam, asseveravit: « Quisquis unum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit » (3).

Partes disputationis.

Iamvero ut in hac maximae gravitatis opera non modo errores praecaveantur, sed etiam ut, divina suffragante gratia, ad prosperiorem successum muniatur via, omnino necesse est ut hoc plane exploratum sit, scilicet quid sibi velit christiana educatio quibusque nitatur principiis: id est, ad quem educandi munus pertineat et quisnam educatione indigeat, quae praeterea opus est intercedere rerum adiuncta, ac denique quae sit, ex rerum ordine a providentissimo Deo constituto, propria christianae educationis ratio eiusdemque propositum.

Ad quosnam spectet educatio.

Educandi munus non singulorum hominum, sed necessario societatis est. Tres vero numerantur societates necessariae, inter se distinctae at, Deo volente, congruenter copulatae, quibus quidem homo ab ortu suo adscribitur: harum duae, domestica nempe ac civilis consortio, naturalis ordinis; ac tertia, Ecclesia nimirum, supernaturalis. Primum obtinet locum domesticus convictus, qui, cum ab ipso Deo ad eiusmodi propositum constitutus ac comparatus sit, ut sobolis procreandae educandaeque curam habeat, idcirco natura sua, adeoque iuribus sibi propriis, civili societati antecedit. Nihilo setius familia ideo imperfecta est societas, quia non omnibus iis rebus est praedita, quibus nobilissimum propositum suum perfecte assequatur; civilis autem congregatio, cum omnia in sua facultate sint ad destinatum sibi finem, videlicet ad commune terrestris huius vitae bonum, necessaria, societas est numeris omnibus absoluta ac perfecta; hac igitur de caussa domestico convictui eadem praestat, qui quidem in civili solummodo consortione institutum suum tuto riteque absolvere potest. Tertia denique societas in qua homines, per baptismatis lavacrum, divinae gratiae

A) *In genere.*

(1) *Prov.*, XXII, 6.
(2) *Hom. 60,* in c. 18 Matth.
(3) MARC., IX, 36.

vitam ingrediuntur, Ecclesia est, supernaturalis quidem societas universum humanum genus complectens, atque in se perfecta, cum sibi omnia suppetant ad finem suum, sempiternam nempe hominum salutem, consequendum, ideoque in suo ordine suprema.

Consequens est, educationem, quae ad totum respicit hominem, qua hominem singillatim quaque societatis humanae participem, sive in naturae sive in divinae gratiae ordine constitutum, ad necessarias has societates tres, fini cuiusque proprio congruenter, pro praesenti ordine divinitus constituto aequabiliter pertinere.

B) *In specie: Ad Ecclesiam:*

Ac primo loco, praestantiore quodam modo ea ad Ecclesiam pertinet, duplici scilicet titulo ordinis supernaturalis, quem Deus ipsi tantummodo contulit, adeoque potiore omnino ac validiore quam quilibet alius naturalis ordinis titulus.

a) *Modo praeminenti.*

Prima iuris huiuscemodi ratio in suprema magisterii auctoritate ac munere nititur, quod divinus Ecclesiae Conditor eidem tradidit hisce verbis: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi »(1). Huic magisterio Christus Dominus erroris immunitatem impertivit, una cum mandatis docendi omnes doctrinam suam; quapropter Ecclesia « columna et firmamentum veritatis a Divino suo Auctore fuit constituta, ut omnes homines divinam edoceat fidem, eiusque depositum sibi traditum integrum inviolatumque custodiat, ac homines eorumque consortia et actiones ad morum honestatem vitaeque integritatem, iuxta revelatae doctrinae normam, dirigat et fingat » (2).

b) *Supernaturalis maternitas.*

Altera iuris ratio e supernaturali illo oritur matris munere quo Ecclesia, purissima Christi sponsa, divinae gratiae vitam hominibus largitur, eamque sacramentis praeceptisque suis alit ac provehit. Merito igitur S. Augustinus ait: « Non habebit Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem » (3).

Iamvero in iis omnibus rebus, in quibus eius educandi munus versatur, hoc est « in fide atque in institutione morum, divini magisterii Ecclesiam fecit Deus ipse participem, eamdemque divino eius beneficio falli nesciam: quare magistra

---

(1) Matth., XXVIII, 18-20.
(2) Pius IX, Ep. enc. *Quum non sine,* 14 Iul. 1864.
(3) *De Symbolo ad catech.,* XIII.

mortalium est maxima ac tutissima, in eaque inest non violabile ius ad magisterii libertatem » (1). Unde necessario consequitur Ecclesiam, ut in sui educandi muneris causa, ita in eiusdem exercitatione, nulli terrenae potestati subiici, cum in iis rebus ad quas suum proprium munus spectat, tum in iis quae sunt eidem exsequendo necessaria vel consentanea. Quam ob rem quod ad ceteras attinet disciplinas humanasque institutiones, quae per se communis omnium iuris sunt, singulorum civium nimirum ipsiusque societatis, facultatem habet Ecclesia, nulli sane potestati obnoxiam, hisce quoque disciplinis utendi de iisdemque praecipue iudicandi, quatenus eaedem ipsae christianae educationi aut conducere aut obstare videantur. Idque potest Ecclesia, sive quod, ut societas est perfecta, sui iuris est in praesidiis adiumentisque deligendis sibique comparandis, quae ad finem conferant suum; sive quod quaelibet doctrina atque institutio, perinde ut omnis hominum actio, ex ultimo fine necessario pendet, adeoque divinae legis praeceptis non subiici nequit, cuius quidem Ecclesia est erroribus omnino immunis custos, interpres ac magistra.

Quod idem decessor Noster f. r. Pius X dilucida hac sententia declaravit: « Quidquid homo christianus agat, etiam in ordine rerum terrenarum, non ei licet bona negligere quae sunt supra naturam, immo oportet ad summum bonum, tamquam ad ultimum finem, ex christianae sapientiae praescriptis omnia dirigat: omnes autem actiones eius, quatenus bonae aut malae sunt in genere morum, id est cum iure naturali et divino congruunt aut discrepant, iudicio et iurisdictioni Ecclesiae subsunt » (2).

Atque notatu dignum est quam perspicue gravissimum hoc catholicae doctrinae caput intellexerit ac declaraverit e laicorum ordine vir, tam in scribendo mirabilis quam in speculanda veritate subtilis ac rectus: « De moribus doctrinam non ad se tantummodo, sed ad se totam pertinere asseverat Ecclesia. Ac nunquam eadem profiteri ausa est, qui a materno gremio suo descivissent homines, nullam posse eos de recta vivendi ratione veritatem agnoscere; quin immo eiusmodi sententiam, quam non una fucatam veri specie quidam in medium protulissent, iterum atque iterum reprobavit. At profitetur utique, quemadmodum et ante actis temporibus professa est et in posterum est professura, sese unam, utpote quae a Christo Iesu condita

(1) Ep. enc. *Libertas*, 20 Iun. 1888.
(2) Ep. enc. *Singulari quadam*, 24 Sept. 1912.

sit et Spiritum Sanctum eius nomine missum a Patre acceperit, directo perpetuoque *omnem* in morum genere *veritatem* possidere, quam quidem singula hac de re peculiaria vera continentur, sive ea quae homines, naturali solummodo ratione ducti, assequi possunt, sive ea, quae vel doctrinam divinitus revelatam constituunt, vel ex eadem colligi queunt ». (1)

c) *Quousque pateant Ecclesiae iura.*

Litteras igitur, scientias et artes, quatenus ad christianam educationem ad omnemque suam de animarum salute operam sunt necessariae vel utiles, Ecclesia promovet, suas etiam scholas, instituta sua condendo sustentandoque, ubi quaevis disciplina tradatur et ad quemlibet eruditionis gradum fiat aditus. (2) Nec putanda est ab materno eius magisterio aliena ipsa, quam vocant, physica educatio, cum ea quoque id habeat ut christianae educationi aut prodesse aut nocere possit.

Atque haec in quovis animorum culturae genere Ecclesiae actio, quemadmodum summo est familiis nationibusque adiumento, quae, Christo sublato, in interitum ruunt, — ut recte Hilarius: « Quid mundo tam periculosum quam non recepisse Christum? (3) — ita civili harum rerum temperationi nullum affert incommodum; Ecclesia enim, mater ut est prudentissima, cum minime obsistat quominus scholae et instituta laicis educandis sua, in unaquaque natione, se ad legitima gubernatorum praescripta conforment, tum parata quoquo modo est cum ipsis gubernatoribus concordiam inire, et, si quae forte difficultates oriantur, eas communi consilio dirimere.

Est praeterea Ecclesiae et ius, quod abdicare, et officium, quod deserere nequit, pro tota vigilandi educatione, qualiscumque filiis suis, scilicet fidelibus, in institutis vel publicis vel privatis impertitur, non modo quod attinet ad religiosam, quae ibidem tradatur, doctrinam, sed etiam quod ad quamlibet aliam disciplinam rerumve ordinationem, quatenus cum religione morumque praeceptis aliquid habeant necessitudinis. (4)

Atque Ecclesia, ius eiusmodi exercendo, non se in aliena perperam immiscere videatur, immo potius materna quadam, eademque insigni, providentia consulere, ut filios suos ab gravi tueatur incolumes periculo omne virus imbibendi, quod doctrinae integritatem morumque sanctitudinem inficiat. Quae quidem Ecclesiae vigilantia, ut nullum potest verum parere incommodum sic nequit ad familiarum et Civitatis ordinem prosperitatemque

(1 A. Manzoni, *Osservazioni sulla Morale Cattolica*, c. III.
(2) Codex iuris canonici, c. 1375.
(3) *Commentar. in Matth.*, cap. 18.
(4) Cod. iuris can., cc. 1381, 1382.

non efficaciter conducere, cum ab adolescentibus illam arceat pestem, quae in aetatulam imperitam ac mobilem facilius ingruere et celerius in ipsum vivendi morem permanare solet. Quotiescumque enim recta deest religiosa ac moralis institutio — ut Leo XIII sapienter monet — « male sana omnis futura est animorum cultura: insueti ad verecundiam Dei adolescentes nullam ferre poterunt honeste vivendi disciplinam, suisque cupiditatibus nihil unquam negare ausi, facile ad miscendas civitates pertrahentur ». (1)

Munus autem educandi, quod in Ecclesia insidet, ad omnes populos, nullis locorum temporumque finibus, pertinet, ex Christi mandato: « docete omnes gentes », (2) nullaque in terris potestate legitime oppugnari ae praepediri potest. Atque primum omnes christifideles attingit, quorum ipsa magnam, uti amantissima mater, curam habet ac sollicitudinem. Proptereaque in eorum utilitatem, saeculorum decursu, ingentem scholarum institutorumque numerum quibusvis disciplinis tradendis excitavit ac provexit; etenim — quemadmodum, data haud ita pridem occasione, locuti sumus — « per remotiorem illam mediam aetatem, cum tam frequentia erant (fuit qui ea vel nimium multa diceret) monasteria, coenobia, templa, conlegiatae ecclesiae, capitula aut cathedralia aut cathedralibus inferiora, apud haec singula domicilium scholasticum, domicilium alumnis instituendis educandisque non deerat. Ad haec omnes studiorum Universitates adiicito, ubique, Apostolica Sede atque Ecclesia auspice, conditas in eiusdemque praesidio collocatas. Pulcherrimo enim eiusmodi spectaculo — quod hodie multo adspicimus melius, cum ante oculos sit et sit idem, ut tempora ferunt, magnificentius — nullae aetates caruerunt; quotquot autem eventa recolunt et inter se comparant, ii mirari non desinunt quantum Ecclesia hoc in genere egerit et quomodo commissum sibi divinitus munus expleverit conformandae ad christianam vitam societatis humanae, tot tamque laetos adipiscendo fructus atque exitus, At vero si facere nemo potest quin demiretur, Ecclesiam nullo non tempore alumnos, quos pro officio educaret, ad centena, ad milia, ad decies centena milia, circum se collegisse, haud minorem profecto admirationem habet quidquid ipsa egit non modo in adolescentium educatione, sed etiam in eorumdem, quae vere ac proprie dicitur, institutione ac doctrina. Si tot enim civilis cultus, humanitatis litterarumque

(1) Ep. enc. *Nobilissima Gallorum gens,* 8 Febr. 1884.
(2) MATTH., XXVIII, 19.

thesauros servari licuit, habitui ac proposito Ecclesiae tribuendum est, quae, vel per remotissimas barbarasque aetates, effecit, ut litteris, philosophiae, arti, architecturae potissimum, tantum lucis affulgeret ». (1)

Atque id omne agere idcirco potuit egitque Ecclesia, quia creditum sibi educandi munus infideles quoque complectitur, cum is sit hominibus universis constitutus finis, ut, Regnum Dei ingressi, aeternam salutem assequantur. Quemadmodum enim, temporibus hisce nostris, ludorum milia catholici missionales per omnes regiones disseminant Fidei adhuc exsortes, ab utraque Gangis ripa ad Flumen Flavum amplissimasque Oceani insulas, ab continenti Africo ad Patagoniam inferiorem ad gelidamque Alaskam, sic, superioribus saeculis, Ecclesia per suos evangelii praecones ad chistianam vitam atque humanitatem varias illas gentes informavit, ex quibus christianae civilis orbis nationes in praesenti constant.

Itaque pro explorato est, tam iure quam re ipsa educationis munus praecipua quadam ratione esse Ecclesiae proprium, et neminem posse, qui animum habeat ab praeiudicatis opinionibus vacuum, iustam aliquam cogitare causam cur ea ipsa Ecclesiae oppugnetur impediaturque opera, cuius hodie beneficiis societas humana perfruitur.

a) *Convenientia et consensus iurium Ecclesiae, Familiae et Status.*

Idque eo magis, quod cum praecipuo eiusmodi Ecclesiae iure non modo non discrepant, sed etiam iura omnino congruunt et familiae et Civitatis, immo vel ipsa quae in singulis civibus insunt ad iustam quod attinet cum scientiae, tum rationis ac disciplinae in ea pervestiganda, tum denique cuiusvis culturae animorum profanae libertatem. Etenim, ut talis concordiae causam atque originem, nullâ morâ, declaremus, supernaturalis ordo, in quo iura Ecclesiae nituntur, tantum abest ut naturalem ordinem, ad quem alia pertinent, quae memoravimus, iura, destruat atque extenuet, ut, contra, extollat ac perficiat: quorum quidem ordinum alter auxilium et quasi complementum alteri praestat, suae cuiusque naturae ac dignitati consentaneum, cum ambo a Deo profluant, qui non constare sibi non potest: « Dei perfecta sunt opera, et omnes viae eius iudicia ». (2)

Quae quidem res clarius apparebit, si educandi munus quod ad familiam et Civitatem pertinet, seorsum propiusque consideremus.

---

(1) Oratio habita ad alumnos Tusculani Conlegii, vulgo *di Mondragone*, 14 Maii 1929.

(2) *Deut.*, XXXII, 4.

Concordia muneris Ecclesiae cum munere Familiae.

Atque primum cum Ecclesiae munere familiae munus mirifice concordat, cum utraque a Deo simillime proficiscatur. Namque cum familia, in naturali ordine, Deus proxime fecunditatem communicat, principium vitae ideoque principium educationis ad vitam, una simul cum auctoritate, qnae est ordinis principium.

Familiae ius iuri civitatis antecedens.

Ad rem, qua solet perspicuitate sententiae dicendique subtilitate, Angelicus Doctor: « Carnalis pater particulariter participat rationem principii, quae universaliter invenitur in Deo... Pater est principium et generationis et educationis et disciplinae, et omnium quae ad perfectionem humanae vitae pertinent ». (1)

Habet igitur familia proxime a Creatore munus propterea-que ius prolis educandae; quod quidem ius cum abiici nequeat, quia cum gravissimo officio coniunctum, tum cuivis societatis civilis et reipublicae iuri antecedit, eaque de causa nulli in terris potestati illud infringere licet.

b) *Ius inviolatum sed non despoticum.*

Eiusmodi autem sanctitudinem iuris sic declarat Angelicus: « Filius enim naturaliter est aliquid patris...: ita de iure naturali est quod filius, antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris. Unde contra iustitiam naturalem esset, si puer, antequam habeat usum rationis, a cura parentum subtrahatur vel de eo aliquid ordinetur invitis parentibus ». (2) Cum vero ad hanc curam parentes teneantur, donec sibi ipsa consulere soboles valeat, patet, idem parentum inviolatum ius sobolis educandae eo usque proferri. « Non enim, — docet Angelicus — intendit natura solum generationem prolis, sed etiam traductionem et promotionem usque ad perfectum statum hominis in quantum homo est, qui est virtutis status ». (3)

Qua de re Ecclesia, pro sua iuris sapientia, haec et subtiliter et perspicue et uno quodam complexu in Codice iuris canonici edicit: « Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi ». (4)

In quo tam concors est communis humani generis sensus, ut cum eo aperte ii omnes pugnent, quotquot affirmare audent, prolem ante ad Civitatem quam ad familiam pertinere, et Civitati ius esse educandi absolutum. Pro nihilo autem est

(1) S. Th., 2 - 2, Q. CII, a. 1.
(2) Th., 2 - 2, Q. X, a. 12.
(3) Suppl. S. Th. 3. p. Q. 41, a. 1,
(4) Cod. iur. can., c. 1113.

ratio, quam isti afferunt, hominem nasci civem ideoque ab initio ad Civitatem pertinere, cum neutiquam reputent, hominem, ante quam civis sit, vivere oportere, eundemque vitam non ab Civitate sed a parentibus accipere; ut sapienter Leo XIII: « Filii sunt aliquid patris, et velut paternae amplificatio quaedam personae, proprieque loqui si volumus, non ipsi per se, sed per communitatem domesticam, in qua generati sunt, civilem ineunt ac participant societatem ». (1) Itaque: « Patria potestas est eiusmodi, ut nec exstingui, neque absorberi a republica possit, quia idem et commune habet cum ipsa hominum vita principium », (2) ut Leo XIII docet in iisdem Encyclicis Litteris. Unde tamen non sequitur, ius educandi, quo parentes fruuntur, absolutum esse atque imperiosum, utpote quod et fini supremo et legi naturali divinaeque coniunctissime subiiciatur, quemadmodum ipse Leo XIII in memorabilibus illis Encyclicis Litteris, ubi de praecipuis civium christianorum officiis, declarat, ita iurium et officiorum, quae parentes contingunt, summam complexus: « Natura parentes habent ius suum instituendi quos procrearint, hoc adiuncto officio, ut cum fine, cuius gratia sobolem Dei beneficio susceperunt, ipsa educatio conveniat et disciplina puerilis. Igitur parentibus est necessarium eniti et contendere, ut omnem in hoc genere propulsent iniuriam, omninoque pervincant ut sua in potestate sit educere liberos, ut par est, more christiano, maximeque prohibere scholis iis, a quibus periculum est ne malum venenum imbibant impietatis ». (3)

Animadvertendum autem est, officium educandi, quo familia obstringitur, non modo religiosam ac moralem educationem complecti, sed etiam physicam et civilem, pro ea potissimum ratione quam cum religione et morum doctrina habeant. (4)

c) *Ius legitime agnitum a tribunalibus civilibus.*

Istud vero, quod nullam controversiam recipit, familiae ius haud semel est legitime agnitum apud quasdam nationes, ubi ius naturae in civili servare regimine sollemne est. Etenim, ut exemplum ex recentioribus proferamus, Summum Foederatarum Americae Civitatum Tribunal, cum gravissimam quaestionem dirimeret, edixit: « nullam generalem potestatem Civitati esse unius eiusdemque formae decernendae, ad quam iuventus educi debeat, huiusque cogendae ut in publicis tantummodo scholis instituatur », ob hanc scilicet rationem ex iure naturae de-

(1) Ep. enc. *Rerum novarum,* 15 Maii 1891.
(2) Ibidem.
(3) Ep. enc. *Sapientiae christianae,* 10 Ian. 1890.
(4) Cod. iur. can., c. 1113.

promptam: « Puer non est mera res a Civitate procreata; qui eum alunt ac dirigunt, ius habent, cum nobilissimo officio coniunctum, ipsius educandi et ad officiorum perfunctionem comparandi » (1).

d) *Ius protectum ab Ecclesia.*

Testis historia est, rerum publicarum gubernatores, recentiore praesertim aetate, iura violasse ac violare, quae humani generis Conditor familiae contulit; testis eadem invicta, Ecclesiam eiusmodi iura continenter tutam esse ac defendisse; atque historiae testimonium hoc ipso aptius confirmatur, quod familiae peculiarem in modum Ecclesiae scholis confidunt, ut haud multo ante in Epistola ad Cardinalem a publicis Ecclesiae negotiis Nostra scribebamus: « Familia statim intellexit rem ita se habere, atque, inde a prioribus christiani nominis temporibus ad haec usque nostra, parentes, etsi manca nullave religione, suos mittunt et comitantur liberos ad ea educations instituta quae condiderit ac regat Ecclesia » (2).

Paternus enim sensus, qui a Deo est, ad Ecclesiam sese fidenter convertit, in qua familiarium iurium tutelam inventurum se novit eamque demum concordiam, quam Deus in ordine rerum collocavit. Ecclesia enim, quamvis — ut est conscia, cum muneris sui divini ad universos pertinentis, tum obligationis, qua universi tenentur, unius verae religionis amplectendae — nunquam desinat et sibi ius vindicare et in parentum catholicorum memoriam redigere officium prolis suae baptismo eluendae christianeque educandae, iuris tamen naturalis educandi, quod familiae est, sanctitatem tam studiose veretur, ut nolit, nisi certae quaedam condiciones cautionesque adsint, infidelium filios baptizare aut aliquo pacto educendos curare, donec tales filii per se ipsimet deliberare et Fidem libere amplecti queant (3).

Duae igitur, ut in memorata oratione Nostra animadvertimus, res sunt ante oculos propositae gravioris momenti, scilicet: « Ecclesiam praebere se in familiarum usum magistram atque educatricem, familias ad utendum Ecclesiae magisterio convolare eidemque liberos suos, ad centena, ad milia, concre-

---

(1) « The fundamental theory of liberty upon which all governments in this union repose excludes any general power of the State to standardize its children by forcing them to accept instruction from public teachers only. The child is not the mere creature of the State; those who nurture him and direct his destiny have the right coupled with the high duty, to recognize, and prepare him for additional duties ». U. S. Supreme Court Decision in the Oregon School Cases, June 1, 1925.

(2) Epist. ad Card. a publicis Ecclesiae negotiis, 30 Maii 1929.

(3) Cod. iur. can., c. 750, § 2; S. Th., 2-2. Q. X, a. 12.

dere: quae quidem duae res verum quoddam revocant ac praedicant, quod in ordine morali ac sociali plurimum habet ponderis, idest munus educandi imprimis ac potissimum Ecclesiae esse et familiae, iure quidem naturali ac divino, ideoque sic, ut nullam derogationem, nullam oppugnationem, subrogationem nullam patiatur ». (1)

Ius civitatis.

Ex hoc educandi munere, quod imprimis ad Ecclesiam familiamque pertinet, cum maximae utilitates, uti vidimus, in societatem universam dimanant, tum nullum damnum veris propriisque reipublicae iuribus quod ad civium educationem attinet, secundum ordinem a Deo statutum, obvenire potest. Haec iura ab ipso naturae auctore societati civili tribuuntur, non paternitatis titulo, uti Ecclesiae ac familiae, sed propter auctoritatem quae in eadem inest ad commune bonum in terris promovendum, qui quidem est finis eius proprius. Ex his sequitur educationem non eodem modo ad societatem civilem, quo ad Ecclesiam familiamve, pertinere, sed alio plane, qui scilicet fini eius proprio respondeat. Hic autem finis, idest commune bonum temporalis ordinis, in pace ac securitate consistit quibus familiae singulique cives in suis exercendis iuribus fruantur, simulque in maxima, quae in mortali hac vita esse potest, spiritualium fluxarumque rerum copia, omnium quidem opera atque consensione assequenda. Duplex igitur est civilis auctoritatis munus quae est in republica: tuendi nempe atque provehendi, minime vero familiam singulosque cives quasi absorbendi vel se in eorum locum substituendi.

a) *ad bonum commune.*

b) *Duplex munus civilis auctoritatis.*

Quamobrem, quod ad educationem spectat, ius est vel, ut rectius loquamur, officium est reipublicae tutandi suis legibus antecedens familiae ius — quod supra memoravimus — christiano nempe more prolem educandi, adeoque supernaturali Ecclesiae iuri in christianam eiusmodi educationem obsequendi.

Itemque Civitatis est, hoc ius in prole ipsa tueri, si quando parentum opera — ob eorum vel inertiam vel indignitatem — aut physice aut moraliter fortasse desit; siquidem ipsorum ius educandi, ut supra diximus, non absolutum est atque imperiosum, sed a naturali et divina lege dependens, ob eamque rem non modo auctoritati et iudicio Ecclesiae subiectum, sed etiam vigilantiae ac tutelae, pro communi bono, Civitatis; neque enim familia perfecta est societas quae necessaria omnia in se habeat ad se cumulate planeque perficiendam. Quo in

(1) Oratio habita ad alumnos Tusculani Conlegii, vulgo *di Mondragone*, 14 Maii 1929.

casu, ceteroquin perraro, Civitas non iam se in familiae locum substituit, sed, semper accommodate ad naturalia prolis et supernaturalia Ecclesiae iura, necessitati opportunis subsidiis consulit ac providet. Generatim, ius est munusque Civitatis, moralem ac religiosam iuventutis educationem, ad rectae rationis fideique normas, tuendi, publicas eas causas removendo quae eidem adversantur. Praecipue vero Civitatis est, ut commune bonum postulat, educationem ipsam iuventutis atque eruditionem pluribus modis promovere. Primum ac per se, operae ab Ecclesia familiisque susceptae favendo atque opitulando, quae quam sit efficax historia usuque rerum comprobantur; deinde operam ipsam perficiendo ubi ea deest vel haud sufficit; scholas quoque et instituta propria condendo; Civitas enim magis quam ceteri opibus pollet, quas sibi pro communibus omnium necessitatibus traditas, aequum omnino est et consentaneum ut in eorum utilitatem, a quibus accepit, impendat. (1) Praeterea praecipere Civitas potest ac proinde curare ut cives omnes cum civilia et nationalia iura perdiscant, tum a scientia, doctrina morum physicisque ludis instructi sint quantum decet atque hisce nostris temporibus commune bonum reapse postulat. Verumtamen plane liquet, eo Civitatem officio teneri, ut, in publica privataque educatione atque eruditione omnibus his modis provehenda, non solum nativa Ecclesiae et familiae iura christiane educandi vereatur, sed etiam iustitiae quae suum cuique tribuit parêre. Itaque nefas est, Civitatem educationis institutionisque causam ita ad se redigere totam, ut familiae, contra christianae conscientiae officia vel contra quam legitime malint, physice aut moraliter ad Civitatis ipsius scholas liberos suos mittere cogantur.

c) *Quamnam educationem sibi reservare possit.*

Attamen id non prohibet quominus, ob rectam rei publicae administrationem vel pacem domi forisque defendendi causa, quae quidem omnia, cum ad commune bonum tam sint necessaria, tum peculiarem postulant peritiam praecipuamque apparationem, scholas Civitas instituat quas dixeris praeparatorias ad quaedam sua officia, ad militiam praesertim, dummodo ab Ecclesiae et familiae iuribus laedendis, in iis quae ad eas pertinent, se abstineat. Nec immerito equidem id Nos iterum hic admonemus; hac enim aetate nostra — qua nationalismus quidam, cum immoderatus et fallax tum paci veri nominis prosperitatique infensus, gliscere coepit — modi omnes excedi

(1) Sermo habitus ad alumnos Tusculani Conlegii, vulgo *di Mondagrone*, 14 Maii 1929.

solent in physica educatione, quam vocant, adolescentulorum (atque interdum puellarum, contra ipsam humanarum rerum naturam) militari more ordinanda; in qua saepe nimium eius temporis, ipso Domini die, teritur quod et religiosis officiis et domesticae vitae sanctitudini tribuendum esset. Quamquam non hoc loco rectum disciplinae habitum iustamque animi audaciam, sed quidquid immodicum est Nos reprehensum volumus, uti violentiae spiritum, qui quidem aliud omnino est atque animi fortitudo nobilissimusque militaris virtutis sensus pro patriae ac publici ordinis defensione; itemque nimiam athleticae laudationem aestimationemque hic improbamus, unde, ethnicorum quoque tempore, germanae educationis physicae depravatio ac deiectio profluxit.

Iamvero non solum iuventutis sed etiam aetatum omnium et condicionum ad civilem societatem Statumque educatio pertinet quae civica appellari potest, quaeque, pro parte, ut aiunt, positiva, in eo consistit ut omnibus ad societatem eiusmodi pertinentibus res publice proponantur, quae, et mentes cognitionibus rerumque imaginibus imbuendo et sensus percellendo voluntates ad honestum invitent et morali quadam necessitate perducant; pro negativa autem, ut ea praecaveat atque impediat quae sibi adversantur. (1) Quae quidem civica educatio, tam profecto ampla ac multiplex ut Status operam fere totam pro communi bono amplectatur, cum ad aequitatis leges conformare se debeat, tum doctrinae Ecclesiae, quae earum legum Magistra est divinitus constituta, refragari nequit.

d) *Relationes Civitatis et Ecclesiae.*

Quae omnia hucusque de opera diximus, quam Civitas in educationem conferre debet, doctrina catholica *de Civitatum constitutione christiana*, tamquam firmissimo et immutabili fundamento, innituntur, quae tam egregie a Decessore Nostro Leone XIII, praesertim in Encyclicis Litteris *Immortale Dei* et *Sapientiae christianae* exposita est: « Deus — is ait — humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cuiusque natura caussaque proxime definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur.

---

(1) P. L. Taparelli, *Saggio teoretico di Diritto naturale*, n. 922, opus quod numquam satis laudari potest vel iuvenibus commendari qui studiorum Universitates frequentant. (Cfr sermonem Nostrum die 18 Decembris 1927 habitum).

Sed quia utriusque imperium est in eosdem, cum usu venire possit, ut res una atque eadem quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res, ad utriusque ius iudiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo sunt ambae constitutae, utriusque itinera recte atque ordine composuisse. « Quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt » (*Rom.*, XIII, 1) ». (1) Iamvero inventutis educatio est quidem ex iis rebus quae ad Ecclesiam Statumque pertinent, « quamquam aliter atque aliter », uti supra retulimus. « Itaque — prosequitur Leo XIII — inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio: quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. Qualis autem et quanta ea sit, aliter iudicari non potest, nisi respiciendo, uti diximus, ad utriusque naturam, habendaque ratione excellentiae et nobilitatis caussarum; cum alteri proxime maximeque propositum sit rerum mortalium curare commoda, alteri caelestia et sempiterna bona comparare. Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumque Dei pertinet, sive rursus tale intelligatur propter caussam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae: cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta, cum Iesus Christus iusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei, Deo ». (2)

Quicumque haec principia recipere eademque proinde ad educationem applicare recusat, is necessario cum neget Christum ob sempiternam hominum salutem Ecclesiam suam condidisse, tum affirmat societatem civilem et Statum Deo eiusque naturali ac divinae legi non subiici. Quod quidem manifesto impium est, sanae rationi contrarium maximeque, quod ad educationem attinet, perniciosum omnino rectae iuvenum conformationi ac certe civili ipsi societati veraeque humani convictus prosperitati exitiosum. E contrario, haec principia in usum deducendo, esse non potest quin plurimum ad rectam civium conformationem conferatur. Id re factisque, omnibus aetatibus, luculenter comprobatum est; quare, ut Tertullianus, primis Chistiani nominis temporibus, in *Apologetico*, ita, quo vixit tempore, S. Augustinus omnes Ecclesiae catholicae hostes provocare poterat – nosque ipsi in praesens eius verba usurpare possumus: — « Proinde qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicae, dent exercitum talem, quales doctrina

(1) Ep. enc. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.
(2) Ep. enc. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.

Christi esse milites iussit; dent tales provinciales, tales maritos, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales iudices, tales denique debitorum ipsius fisci redditores et exactores, quales esse praecipit doctrina christiana, et audeant eam dicere adversam esse reipublicae; imo vero non dubitent eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse reipublicae ». (1) Quoniam vero de educatione agitur, opportune hic est admonendum quam egregie catholicam hanc veritatem, re quidem comprobatam, expresserit recentiore aetate, cum scilicet litterae renatae sunt, ecclesiasticus scriptor qui optime de christiana educatione meritus est, piissimus nempe doctusque Silvius Antonianus Cardinalis, mirabilis illius educatoris, S. Philippi Nerii, discipulus idemque magister atque ab epistulis latinis S. Caroli Barromaei, quo instante et suasore aureum librum *De christiana liberorum educatione* confecit, in quo haec habet: « Quo magis temporalis gubernatio cum spirituali conspirat eandemque iuvat ac promovet, eo magis ad servandam rempublicam confert. Dum enim Ecclesiae rector, auctoritate subsidiisque spiritualibus, pro suo fine, bonum christianum conformare studet, una simul, quod necessario consequitur, eundem bonum etiam civem efficit, qualis scilicet sub potestate politica esse debet. Idque accidit propterea quod in Sancta Ecclesia Catholica Romana, Civitate Dei, bonus civis unum idemque est ac vir probus. Quamobrem graviter errant qui res tam inter se coniunctas seiungunt atque opinantur bonos cives haberi posse aliis quidem legibus aliisque viis atque illis quae ad bonum christianum conformandum conferunt. Atque dictitet quidem ac sermocinetur quantum sibi libet humana prudentia; fieri enim non potest ut pacem temporalemque tranquillitatem veri nominis afferat quidquid a pace aeternaque beatitudine seiungitur eisdemque repugnat ». (2) Ut autem Civitati, ita scientiae eiusque viae et investigationi nihil est pertimescendum ex eo quod Ecclesia plenum habeat absolutumque educandi mandatum. Siquidem catholica instituta, quicumque gradus est eruditionis ac scientiae ad quem pertinent, nulla prorsus defensione indigent. Gratia qua ea ipsa apud omnes florent, laudes quas sibi comparant, ingenii monumenta quae magno numero gignunt iique maxime viri, quos, plena atque exquisita a doctrina instructos magistratui praebent, artibus, disciplinis tradendis, vitae demum qua late ea patet, satis su-

Necessitas et utilitas conspirationis cum Ecclesia.

(1) Ep. 138.

(2) *Dell'educazione dei figliuoli*, lib. I, c. 43.

perque ipsorum gloriam concelebrant. (1) Quae ceterum facta nihil aliud sunt quam praeclara doctrinae catholicae confirmatio a Concilio Vaticano definitae: « Neque solum fides et ratio inter se dissidere numquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat, fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis iuvet ac promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur immo, eas, quemadmodum a Deo scientiarum Domino profectae sunt, ita, si rite pertractentur, ad Deum iuvante eius gratia perducere. Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent ». (2) Quae quidem norma, iustae libertatis scientiae provehendae simul est norma, quae violari nequit, iustae libertatis docendi probe intellectae; eaque servari debet quotiens aliis doctrina traditur, at ex graviore sane iustitiae officio cum traditur iuventuti, tum quia in ipsam praeceptor, publicus privatus, non absolutum sed participatum ius habet; tum quia omnis puer seu adolescens christianus sanctissimum ius habet ut secundum Ecclesiae doctrinam, veritatis quidem columen ac fundamentum, edoceatur; eidemque gravem quidem inferret iniuriam qui eius fidem turbaret, fiducia abutendo iuvenum erga magistros eorumque naturali rerum imperitia atque immodica ad libertatem absolutam fallacemque inclinatione.

Educationis subiectum.

Neque enim oblivisci unquam licebit, christiane educandum totum esse hominem, quantus est, nimirum in unam naturam per spiritum et corpus coalescentem omnibusque animi et corporis partibus instructum quae vel a natura proficiscuntur vel ipsam excedunt, qualem demum ex recta ratione et ex divinis oraculis cognoscimus; hominem scilicet, quem a pristina nobilitate delapsum, Christus redemit in eamque supernaturalem dignitatem restituit ut adoptivus filius Dei esset, minime tamen iis redditis praeter naturam privilegiis, ex quibus ante et corpus immortale et animus aequus fuerat atque integer. Unde

Homo totus, delapsus sed redemptus.

(1) Epist. ad Card. a publicis Ecclesiae negotiis, 30 Maii 1929.
(2) Conc. Vat., Sess. 3, cap. 4.

factum, ut quae foeda in hominum naturam ab Adami culpa profluxere, praesertim voluntatis infirmitas effrenataeque animi cupiditates, in homine supersint.

Et profecto « stultitia colligata est in corde pueri et virga disciplinae fugabit eam ». (1) A pueritia igitur voluntatis inclinationes, si pravae, cohibendae, sin autem bonae, promovendae sunt, ac praesertim puerorum mens imbuatur doctrinis a Deo profectis et animus divinae gratiae auxiliis roboretur oportet, quae si defuerint, nec suis quisque moderari cupiditatibus poterit neque ad absolutionem perfectionemque disciplina atque informatio ab Ecclesia adduci, quam ideo Christus caelestibus doctrinis ac divinis Sacramentis instruxit ut efficax omnium hominum esset magistra.

Falsa et damnosa disciplina puerilis meris naturae viribus contenta.

Quam ob rem omnis disciplina puerilis, quaecumque, meris naturae viribus contenta, ea respuit aut negligit quae ad vitam christianam rite informandam divinitus conferunt, falsa plenaque erroris est; omnisque via et ratio educandae iuventutis, quae labis a protoparentibus ad omnem posteritatem transmissae divinaeque gratiae rationem nullam aut vix ullam habet, proptereaque in solis naturae viribus tota nititur, a veritate prorsus aberrat. Huc fere pertinent quae nostris temporibus palam proferuntur, variis quidem nominibus, doctrinae, quarum est, totum ferme cuiuslibet eruditionis fundamentum in eo ponere, ut pueris integrum sit sese informare ipsos ingenio atque arbitratu plane suo, vel repudiatis maiorum praeceptorumve consiliis omnique lege atque ope humana et divina prorsus posthabita. Quae tamen omnia si suis finibus ita circumscribantur, ut novi huiusmodi magistri velint, adolescentes in suam ipsorum eruditionem eo magis propriam quoque operam atque industriam conferre quo plus aetate et rerum cognitione progrediantur, itemque ut a puerorum educatione omnis vis atque asperitas removeatur, quam nihilominus iusta correctio non redolet, verum id quidem, at minime novum, cum id ipsum et Ecclesia docuerit et christiani praeceptores, more a maioribus tradito, retinuerint, Deum imitati, qui omnes creatas vult res praecipueque omnes homines navare sibi operam, secundum propriam ipsorum naturam, qui divina Sapientia « attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter ». (2)

Ast, si communem verborum significationem, si res ipsas consideremus, haud alio spectant complures eiusmodi doctores,

---

(1) *Prov.*, XXII, 1 .
(2) *Sap.*, VIII, 1.

nisi ut puerorum educationem e divinis legibus eximant, quam ob rem novum quiddam ac mirum hodie conspicimus, institutores scilicet ac philosophos in eo desudantes ut codicem quaerant ac digerant de iuventute in universum educanda, quasi nulla sint divina oracula decalogo descripta, nulla sacra Evangeliorum praecepta, nulla naturae lex, quam Deus in animis hominum defixit ac paene insculpsit, per rectam rationem promulgavit ac per se ipse decalogo sancivit atque constituit. Unde etiam fit, ut novi id genus institutores disciplinam puerilem ab Ecclesia adhibitam, eo quod tota in auctoritate divina atque in sacris legibus innititur, tamquam non sui iuris, inertem atque obsoletam habere atque appellare contemptim soleant.

In quo profecto misere ipsi falluntur, cum, aventes puerum, ut aiunt, in libertatem revocare, eum demum insanae superbiae ac pravis cupiditatibus mancipent, quae - ut ex eorum commentis consequitur - tamquam necessitates quaedam humanae naturae, quam exlegem perhibent, probandae essent.

Sed quod turpius est, huiuscemodi magistri, etsi incassum, per errorem tamen impie ac periculose id sibi vindicant ut profanis communibusque inquisitionibus atque experimentis ea periclitentur quae in puerorum educationem facta incidunt supernaturalis ordinis, ut, exempli causa, divinum ad sacerdotalia munia et ad religiosam vitam impulsum atque generatim arcana ea omnia quae Gratia Dei in animis hominum operatur, quae, licet naturae vires extollat, eas tamen infinite praetergreditur et nullo pacto legibus physicis parere potest, quia « spiritus ubi vult spirat » (1).

c) Sexualis ratio educationis.

Multo autem perniciosiores sunt illae de natura duce omnino sequenda opiniones doctrinaeve, quae in educationis humanae certam quandam ingrediuntur partem salebrarum plenam in eam scilicet quae ad morum integritatem et ad castimoniam pertinet. Passim enim bene multi et stulte et periculose eam tenent provehuntque educandi rationem, quae sexualis putide dicitur, cum iidem perperam sentiant, posse se, per artes mere naturales et quovis amoto religionis pietatisque praesidio, adolescentibus a voluptate et luxuria praecavere, scilicet hos omnes, nullo sexus discrimine, vel publice, lubricis initiando instruendoque doctrinis, immo, quod peius est, mature occasionibus obiiciendo, ut eorum animus, eiusmodi rebus — quemadmodum ipsi aiunt — assuetus, quasi ad pubertatis pericula obdurescat.

(1) Io , III, 8.

In eo autem isti homines graviter errant quod nativam humanae naturae fragilitatem non agnoscunt neque legem illam membris nostris insitam, quae, ut verbis utamur Pauli Apostoli, mentis legi repugnat, (1) idque praeterea temere infitiantur quod usu quotidiano didicimus, iuvenes nempe prae aliis in turpia saepius incidere non iam ob mancam mentis cognitionem quam ob infirmitatem voluntatis illecebris obnoxiae atque divinis auxiliis destitutae.

Qua de re prorsus difficili, si quidem, omnibus perpensis, adolescentem aliquem tempestive ab iis moneri oporteat, quibus Deus educandi pueros officium commisit cum gratiis opportunis coniunctum, illae profecto cautiones et artes sunt adhibendae, christianis institutoribus non ignotae, quas apte Antonianus hisce verbis describit: « Eo usque imbecillitas nostra atque in malum proclivitas misere procedit, ut, quae ad remedium peccati consilia adhibentur, ea ipsa ad peccandum fere ansam atque incitamentum praebeant. Quapropter magnopere interest, ut prudens pater, si quando de lubricis istiusmodi rebus cum filio colloquatur, bene attendat, neque ad hoc deveniat ut fere sub aspectum subiiciat artes singulas quibus horrenda eiusmodi pestis tam magnam orbis partem veneno suo inficit, ne, dum libidinis ignes restinguere aggreditur, eos potius in tenerioribus puerorum animis aut sopitos suscitet aut plane incendat. Ut autem generatim loquamur, quamdiu pueri excolendi sunt, satis superque erit iis uti remediis quae castimoniam in animos inducant simulque ab iis vitia contraria prohibeant » (2).

d) *Coëducatio.*

Aeque vero fallax atque christianae institutioni infensa illa adolescentes instruendi ratio habenda est, quam vulgo coëducationem appellant; eorum enim qui ipsam tuentur, bene multi idcirco tuentur quia aut non considerant aut negant, protoparentum labe vitiatum nasci hominem, plerique vero omnes, quia tali notionum perturbatione laborant ut legitimum hominum convictum habeant quasi quendam virorum ac feminarum omnibus plane rationibus parium inconditum acervum. Divinus sane rerum omnium moderator perfectum utriusque sexus convictum in legitimo tantum coniugio vigere voluit, dein in familia inque humana consortione, certo ordine dispertitum. Accedit quod nihil est in ipsa natura — ex qua duo sexus, compage corporis, inclinationibus, ingenioque dissimiles procedunt — unde colligi

(1) *Rom.*, VII, 23.

(2) *Dell'educazione cristiana dei figliuoli*, lib. II, c. 88.

possit, mares et feminas promiscua, nedum una eademque, educatione informandos esse. Alter autem et alter sexus a Dei sapientia ad hoc sunt constituti ut in familia et societate mutuo se compleant et in unum quid apte coalescant, ob illud ipsum corporis animique discrimen quo inter se differunt, quod idcirco in educatione atque institutione tenendum, imo fovendum est per aptam distinctionem ac separationem, aetatibus ac conditionibus congruentem. Eiusmodi vero praecepta, ad christianae prudentiae praescriptum, tempestive atque opportune servanda sunt non modo in scholis omnibus, praesertim per trepidos adolescentiae annos, unde totius ferme futurae vitae ratio omnino pendet, sed etiam in gymnicis ludis atque exercitationibus, in quibus christianae peculiari modo modestiae puellarum cavendum, utpote quas ostentare sese atque ante omnium oculos proponere summopere dedeceat.

Memores itaque gravissimorum verborum Magistri divini: « Vae mundo a scandalis » (1) sollicitudinem ac sollertiam vestram, Venerabiles Fratres, vehementer excitamus adversus perniciosissimos huiusmodi errores qui in christiana plebe, maximo cum iuventutis detrimento, nimis late pervagantur.

Curanda quae educationem circumstant.

Ad perfectam autem educationem assequendam curare opus est, ut quae omnia pueros, dum instituuntur, circumsaepiunt, ea proposito apte respondeant.

a) *Familia christiana.*

Et profecto quod primum ex necessitate naturae puerum rite conformandum circumdat, ipsa eius familia habenda est, ad hoc demum munus a Deo constituta. Quapropter eam tandem institutionem constantem atque tutissimam iure existimabimus quae in recte composita ac bene morata familia recipitur, eoque efficaciorem et constantiorem quo magis parentes, potissimum, ac domestici pueris virtutis praeeant exemplo.

Verum non is Nobis est animus ut universam de institutione domestica materiam, ne per summa quidem capita, pertractemus, tam late ea patet; de qua, ceteroqui, non desunt, cum ex veteribus tum ex recentioribus, qui, catholicae doctrinae congruenter, optime scripserint, inter quos praeclaram prorsus meretur laudem Antonianus ille, quem superius loquentem induximus, qui disputationem *De christiana liberorum institutione* ea quidem peritia adornavit ut sanctissimus vir Carolus Borromaeus eam parentibus christianis in templo congregatis publice legendam curaret.

(1) MATTH., XVIII, 7.

Volumus tamen, Venerabiles Fratres, animum huc intendatis vestrum, quo res nostris temporibus misere deciderint quae ad domesticam institutionem spectant; cum enim ad artes liberales atque ad publica munera, quae sunt profecto minoris momenti, homines diutiuis litterarum studiis, laboriosis exercitationibus ac producto tirocinio se comparent, contra, ad filiorum institutionem, quod profecto caput est officii patrisfamilias, plerique parentum temere accedunt nullaque fere adhibita praeparatione, quod rebus ac curis terrenis distineantur. Ad bonum praeterea minuendum, quod familiaris puerorum institutio pareret, accedit quod fere ubique gentium facilius in dies pueros a familia inde a teneris annis seiungendi consuetudo increbrescit, causis interpositis vel oeconomicis, ut industriae mercaturaeque serviendi, vel politicis; et natio quaedam est, ubi pueri e familiae gremio extorquentur, ut in coetus ludosque a Deo alienissimos, non tam recte conformandi quam, verius, deformandi ac depravandi, inducantur — scilicet eo proposito, ut, ad eorum placita qui communia omnia esse omnibus somniant, impietatem odiumque imbibant — veriorem ita horribilioremque Innocentium stragem renovando.

Itaque animarum Pastores per Iesu Christi divinam erga homines caritatem obsecramus atque obtestamur ut nihil reliqui faciant, sive per contiones sive per catecheses, sive verbis sive scriptis in populum late vulgatis, christiani ut parentes, non tam generatim quam singillatim, perdiscant, quae sibi incumbant officia ad religiosam quod attinet et moralem et civilem liberorum suorum educationem, et quae potissimum, praeter sanctioris vitae suae exempla, viae ac rationes ad eam efficacius consequendam conducant. Huiusmodi profecto monitiones hortationesque Paulus Apostolus haud fastidivit in suis epistulis frequentare, praesertim in ea, quam ad Ephesios scripsit, ubi, praeter alia, id monuit: « Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros »; (1) quae quidem provocatio non ex eo tantum oritur quod parentes severiores atque asperiores se liberis praebeant, sed ex eo praecipue quod filiorum ingenium ac nativam alacritatem moleste ferant et aptiores correctionis modos ignorent, ac praesertim ex molli illa atque veluti enervata, quae in familiis usu venit, disciplina, unde fit ut in puerorum animis cupiditates effrenatae dominentur. In hoc igitur parentes, itemque puerorum institutores, animum intendant ut dignitatem potestatemque quam habent a Deo, cuius revera vices gerunt,

(1) *Eph.*, VI, 4.

rite in bonum filiorum usurpent, non quidem ut sibi commodum pariant, sed ut filios informent atque instruant ad sanctum et suavem « Dei timorem, omnis sapientiae initium », in quo tantummodo superiorum reverentia solide innititur et quo dempto constans ordo, pax serena atque omne bonum neque in familia neque in universa humanae coniunctionis societate consistere potest.

b) *Ecclesia eiusque actiones educativae.*

Infirmis autem humanae naturae viribus, deterioris ob avitam culpam factae, Deus, qua est bonitate, uberibus suae Gratiae auxiliis consuluit eâque praeterea, quam animis expiandis atque ad sanctitatem evehendis multiplicem habet Ecclesia adminiculorum copiam: Ecclesia, inquimus, magna illa Christi familia, quae est idcirco educatrix cum singulis familiis ita congruens ac coniuncta quam quae maxime.

Qui profecto locus ad optimam institutionem aptissimus, quae est Ecclesia, non solum sacramenta complectitur ac praebet quae divinam gratiam continent atque animis inserunt, neque sacros tantum ritus qui ad informandos ad virtutes adolescentes mirum in modum conferunt, neque tandem sola sacri templi saepta, in quo sollemnes caerimoniae, sculpta signa, pictae tabulae, organorum vocumque concentus ad animos pietate ac bonis moribus imbuendos tam praeclaro adiumento sunt; verum etiam magnum ea numerum atque varietatem scholarum, coetuum, institutorumque omne genus fovet ac sustentat, quae eo spectant, ut ad pietatem, ad litteras doctrinasque, adhibitis quoque iucunditatis oblectamentis et ipsa corporis exercitatione, adolescentes instituantur. Haec porro tam perennis in eiusmodi operibus fovendis atque alendis fecunditas non modo patefacit atque ostendit, maternam Ecclesiae providentiam et superari non posse et omni esse admiratione dignissimam, sed etiam illam comprobat, aeque mirabilem, concordiam, quam supra diximus Ecclesiae cum christiana familia intercedere, ut affirmari vere queat, Ecclesiam et familiam unum quoddam christianae educationis perfugium et quasi sacrarium habendas esse.

c) *Schola:*

Quod autem novae progenies omnibus iis artibus ac disciplinis instruendae essent quibus civilis convictus proficit ac florescit, et sola ad id familia minime sufficeret, propterea publica gymnasia ortum habuerunt, primum tamen - diligenter attendite - Ecclesiae familiaeque in unum conspirantium operâ, multo autem post, reipublicae. Quapropter litterarum sedes ac scholae, si, ad historiae fidem, earum originem inspiciamus, naturâ suâ tamquam subsidium ac fere complementum Ecclesiae simul et familiae exstiterunt; consequens igitur est, publicas scholas non

solum familiae atque Ecclesiae repugnare non posse, sed etiam cum utraque, quantum res patitur, congruere oportere, nempe ut tria haec — schola, familia, Ecclesia — unum fere christianae institutionis sacrarium efficere videantur, nisi velimus scholam a suo plane proposito aberrare et in adolescentium pestem atque perniciem converti.

Quod utique aperte professus est vel laicus vir ille, ob sua de iuventutis institutione scripta tantis ornatus laudibus — quamquam ea ipsa haud omnino commendari queunt, cum corruptam de libertate doctrinam redoleant — qui illud protulit: « schola, nisi templum est, spelunca est »; idemque alio loco: « Quando in puerorum educationem cum litterarum studia, tum doctrinae, quae ad religionem et ad domesticam civilemque societatem spectant, non unâ conspirant, homines miseri atque inepti exsistunt ». (1)

neutra, laica.

Inde necessario consequitur, per scholas, quas *neutras* vel *laicas* nuncupant, omne fundamentum christianae educationis disiici atque everti, utpote a quibus religio omnino removeatur; quae ceterum scholae nullo modo nisi specie *neutrae* erunt, cum religioni plane infensae reapse aut sint aut futurae sint.

Longum est neque vero oportet ea repetere quae decessores nostri, praesertim Pius IX et Leo XIII, aperte declararunt, quorum in tempora potissimum incidit, ut gravissima huiusmodi laicismi pestis in scholas publicas invaderet. Eorum Nos expostulationes (2) iteramus ac confirmamus, itemque sacrorum Canonum praescripta, quibus catholici adolescentes prohibentur ne scholas cum neutras tum mixtas, eas scilicet ad quas, nullo discrimine, catholici et acatholici instituendi conveniunt, quavis de causa frequentent; quas tamen adire licebit, prudenti dumtaxat Ordinarii iudicio, in certis quibusdam tantummodo locorum temporumque conditionibus, modo peculiares cautiones adhibeantur. (3) Neque illa tolerari potest schola (praesertim si ea « unica » sit ad eamque omnes pueri accedere teneantur), in qua, etsi sacrae praecepta doctrinae separatim catholicis traduntur, tamen catholici non sunt magistri, qui pueros catholicos acatholicosque communiter litteris atque artibus imbuunt.

mixta, unica.

(1) Nic. Tommaseo, *Pensieri sull'educazione,* Parte I, 3, 6.

(2) Pius IX, Ep. *Quum non sine,* 14 Jul. 1864. — Syllabus, Prop. 48. — Leo XIII, alloc. *Summi Pontificatus,* 20 Aug. 1880; Ep. enc. *Nobilissima,* 8 Febr. 1884; Ep. enc. *Quod multum,* 22 Aug. 1886; Ep. *Officio sanctissimo,* 22 Dec. 1887; Ep. enc. *Caritatis,* 19 Mart. 1894, etc. (cfr. Cod. iur. can. cum fontium annot., ad can. 1374).

(3) Cod. iur. can., c. 1374.

Neque enim quia doctrina religionis in aliqua schola (plerumque nimis parce) impertitur, idcirco haec iuribus Ecclesiae ac familiae satisfacit et digna fit quae ab alumnis catholicis celebretur; nam ut hoc quaevis schola revera praestet, omnino oportet ut tota institutio ac doctrina, scholae ordinatio tota, nempe magistri, studiorum ratio, libri, ad quamvis disciplinam quod pertinet, christiano spiritu, sub ductu maternaque Ecclesiae vigilantia, sic imbuti sint ac polleant, ut Religio ipsa totius instituendi rationis cum fundamentum tum fastigium constituat; neque hoc solum in scholis in quibus doctrinae elementa, sed in iis etiam ubi altiores disciplinae traduntur. « Necesse est », ut Leonis XIII verbis utamur, « non modo certis horis doceri iuvenes religionem, sed reliquam institutionem omnem pietatis sensus redolere. Id si desit, si sacer hic habitus non doctorum animos ac discentium pervadat foveatque, exiguae capientur ex qualibet doctrina utilitates, damna saepe consequentur haud exigua » (1). *catholica.*

Nemo tamen obiiciat, fieri omnino non posse, ut ea respublica, quae homines diversa quod ad religionem sentientes complectitur, puerorum institutioni aliter consulat quam per scholas quae neutrae ac mixtae vocantur, cum, contra, ipsa respublica civium eruditioni prospicere et prudentius debeat et facilius queat, si Ecclesiae familiarumque hac in re coepta operamque libere perfici atque adhiberi sinat, aequis praeterea aiteram alteramque fovendo muniendoque subsidiis. Id autem, magno cum familiarum gaudio itemque profectu publicae sive eruditionis sive tranquillitatis, effici posse, ea plane demonstrant, quae videmus usu venire apud quasdam nationes, in quibus, etsi alii aliam religionem sectamve sequuntur, ordo dispertitioque scholarum nullo pacto iura familiarum offendunt, non solum quod pertinet ad doctrinas (praesertim cum illic catholici ludi catholicis adolescentibus praesto sint), sed etiam quod spectat ad aequam rectamque sumptuum compensationem a republica collatam scholis illis quas familiae iure suo postulant.

At vero in aliis, mixtae item religionis, nationibus res se longe aliter habent, haud exiguo cum catholicorum hominum detrimento; qui, auspicibus ducibusque Episcopis et sacerdotibus omnibus utriusque cleri opem ferentibus, pecuniâ dumtaxat suâ scholas sustentant ad filios suos recte instituendos — memores ut sunt gravissimi quo obstringuntur officii — et, lau-

(1) Ep. enc. *Militantis Ecclesiae,* 1 Aug. 1897.

dabili liberalitate ac constantia, in suo perstant proposito, illud tamquam insigne suae actionis praeferentes ut scilicet « omni catholicae iuventuti catholicam educationem in scholis catholicis » omnino provideant. Quod quidem coeptum, etsi sumptu publico minime fulcitur, ut lex iustitiae postularet, tamen a magistratibus praepediri ac vetari nullo modo potest, nisi ii velint sacra familiae iura conculcare et germanae libertatis nervos infringere.

Ubi vero gentium primis hisce libertatis quasi elementis repugnatur vel multiplici ratione officitur, homines catholici nunquam satis, vel per maximas molestias, in eo elaborabunt ut scholas suas tueantur incolumes et iustae de libera adolescentium institutione leges auspicato condantur.

Munus actionis catholicae pro schola.

Quicquid autem ad scholam catholicam in filiorum suorum usum provehendam ac tuendam a christifidelibus agitur, opus religionis sine ulla dubitatione est, proptereaque potissimum « Actionis Catholicae » munus; ita ut paterno animo Nostro pergratae sint, sintque praecipuis laudibus dignae sodalitates illae omnes, quae multifariam in opus tam necessarium peculiari modo ac studiosissime incumbunt.

Quapropter alte denuntietur et bene ab omnibus animadvertatur atque agnoscatur, christifideles, catholicam scholam filliis quaerendo suis, nusquam gentium opus admittere politicae factionis, sed fungi religionis officio, quod sua ipsorum conscientia necessario postulat; iisdemque eam esse mentem non ut filios suos a reipublicae disciplina atque spiritu distrahant, immo ut ad id ipsum, perfectissimo modo atque nationis utilitati accommodatissimo, conforment, cum catholicus veri nominis a catholica quidem doctrina instructus, hoc ipso optimus civis, cultor patriae, publicae auctoritati sincera fide obtemperans, sub quavis legitima regiminis forma, reperiatur.

In eiusmodi vero schola, quae cum Ecclesia et cum christiana familia concordat, eventurum profecto non est, ut, manifesto cum educationis detrimento, ea variis in disciplinis oppugnentur quae in religiosa institutione discipuli didicerint; quod si praeceptores, pro sua magisterii sollicitudine, ad eorum cognitionem refutationis causa, libros erroribus inquinatos duxerint perferendos, talibus id quidem cautionibus talique sanae doctrinae remedio praestituri sunt, ut non iacturam, sed potius utilitatem christiana inde iuventutis educatio capiat.

Qua in instituendi ratione, itidem, non est cur patrii sermonis classicarumque, ut aiunt, litterarum studium ullum unquam morum sanctimoniae detrimentum afferat; christianus enim magister

exemplum de apibus capiet, quae quicquid in floribus purissimum est, sugunt reliquumque dimittunt, ut in sermone de classicorum scriptorum lectione (1) adolescentes sanctus Basilius docet.

Quae quidem necessaria cautio — ab ethnico quoque Quintiliano proposita (2) — minime impedit quominus christianus magister, quae vere bona et utilia in disciplinas earumque tradendarum rationem tempora nostra intulerint atque inferant, ea adsciscat adhibeatque, secundum illud Apostoli: « Omnia probate; quod bonum est tenete ». (3) Quocirca, dum nova assumit, cavebit ipse, vetera ne facile deserat, quorum utilitatem et vim plurium saeculorum usus docuerit, litterarum latinarum in studio praesertim, quas cotidie magis prolabentes cernimus, ob neglectas, perperam sane, docendi rationes, ab eo, qui in Ecclesiae praecipue scholis magnopere floruit, sano humaniorum litterarum cultu tam utiliter usurpatas. Mos vero nobilissimus a maioribus traditus postulat ut iuvenes, catholicis scholis commissi, litteris utique et doctrinis plene pro temporum nostrorum conditione, sed simul etiam saniore philosophia solide ac penitus imbuantur, inordinata eorum levitate posthabita qui « invenissent forsitan necessaria nisi et superflua quaesiissent ». (4) Itaque ea magistro cuique christiano ante oculos habenda sunt, que brevi sententia Leo XIII complectitur: «... alacrius adnitendum est, ut non solum apta ac solida institutionis methodus, sed maxime institutio ipsa catholicae fidei omnino conformis in litteris et disciplinis vigeat, praesertim autem in philosophia, ex qua recta aliarum scientiarum ratio magna ex parte dependet ». (5)

Recti magistri.

Salutaris autem scholarum efficientia non tam rectis legibus quam magistris rectis tribuenda est, qui, egregie parati atque suam quisque callentes disciplinam, discipulis tradendam, mentis quidem animique laudibus ornati quas munus sane gravissimum postulat, casta et divina caritate erga iuvenes sibi commissos flagrent, perinde ac Iesum Christum eiusque Ecclesiam diligunt — quorum illi sunt filii carissimi — atque hoc ipso sincere bonum verum familiarum ac patriae cordi habent. Praeclaris igitur afficimur solaciis gratoque divinam Bonitatem prosequimur animo, cum videamus ad sodales religiosos et reli-

(1) *P. G.*, t. 31, 570.
(2) *Inst. Or.*, I, 8.
(3) *I Thess.*, V, 21.
(4) SENECA, *Epist.* 45.
(5) Leo XIII, Ep. enc. *Inscrutabili*, 21 Apr. 1878.

giosas virgines, quotquot docendis pueris adolescentibusque se devovent, tot tamque probos accedere utriusque sexus praeceptores, eosdemque — ad animum sanctius excolendum in congregationes quoque et sodalitates proprias coeuntes, quae tamquam nobilissimum validumque « Actionis Catholicae » praesidium laudandae ac promovendae sunt, — utilitatis immemores suae, enixe constanterque illi operam dare quam « artem artium et scientiam scientiarum » (1) Sanctus Gregorius Nazianzenus vocat, scilicet iuvenes regundi ac conformandi. Cum tamen in eos quoque illud divini Magistri quadret : « Messis quidem multa, operarii autem pauci » (2), tales christianae educationis artifices — quorum institutio Pastoribus animarum summisque religiosorum ordinum moderatoribus magnopere curae esse debet — Dominum messis multos ut alios mittat supplicibus precibus exoramus.

Oportet praeterea, adolescentis educatio, quippe qui sit « cereus in vitium flecti » (3), in quacumque consuetudine vitae ipse se habeat, dirigatur et custodiatur, malas removendo occasiones, bonas autem opportune sufficiendo, in animi remissionibus et in delectu sodalium, quia « corrumpunt mores bonos colloquia mala » (4).

d) *Mundus eiusque pericula.*

Nostris, ceteroqui, temporibus eo plenius ac diligentius evigilandum est, quo plures iuvenibus imperitis faciendi morum pietatisque naufragii occasiones increbrescunt, maxime ex impiis obscenisque libris, quorum satis multi nefarie parvo veneunt ac propagantur, ex « cinematographicis » ludis, nunc autem ex « radiophonicis » quoque auditionibus, quae cuiusvis generis lectionem — sicut « cynematographa » quodlibet spectaculum — plerisque exhibent atque faciliorem reddunt. Validissima eiusmodi ad quidvis evulgandum subsidia, quae, si ad sana principia apte regantur, eruditioni magnopere atque educationi prodesse queant, saepe — proh dolor — provehendis vitiorum illecebris sordidisque quaestibus serviunt. Sanctus Augustinus in ardore ingemiscebat, quo ad ludos circenses christifideles eius temporis complures rapiebantur, depravationemque Alipii, discipuli et amici sui, quae, feliciter, paulisper constitit, vividis verbis enarrat (5). Quot iam adolescentes, lu-

(1) Oratio II, *P. G.*, t. 35, 426.
(2) Matth., IX, 37.
(3) Horat., *Art. poët.*, v. 1
(4) *I Cor.*, XV, 33.
(5) *Conf.*, VI, 8.

dis hodiernis et turpibus libris corruptos, parentes ac magistri nunc defleant oportet!

Quapropter omnia illa laudanda et adiuvanda sunt opera educationi dedita, quae, christiano prorsus spiritu studioque ducta iuvenum animis subveniendi, opportunis libris et ephemeridibus parentes potissimum et praeceptores de insidiis edocent, quae, subdole plerumque, moribus et religioni per libros et spectacula struuntur, itemque, praeterquam quod curant, ut saniores libri in vulgus propagentur et ludi scenici rectae institutioni fructuosi habeantur, magno quidem impendio theatra et « cinematographa » aliquando condunt, unde christianae virtuti non modo nihil discriminis incidat, verum etiam haud parum accedat utilitatis.

Eiusmodi tamen custodia ac vigilantia, quam adhiberi oportere diximus, minime postulat, ut iuvenes ab hominum commercio segregentur, quibuscum vita degenda animaeque saluti consulendum erit, sed tantum ut muniantur et christiane firmentur, hodie quam maxime, adversus illecebras erroresque mundi, qui, ad illud Ioannis, totus est « concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae » (1); ita ut, quemadmodum de priscis christianis Tertullianus scripsit, tales nostri se habeant quales christianos esse nullo non tempore decet « compossessores mundi, non erroris » (2).

Quibus Tertulliani verbis illud tetigimus, de quo, licet maximi momenti esset, postremo agere constituimus: videlicet in quo, ut e proprio eius fine colligitur, christiana educatio praecipue posita sit; quod autem si sedulo animadvertatur, meridiana luce clarius apparebit, supremum educandi munus atque officium ad Ecclesiam pertinere.

Finis et forma educationis christianae.

Eo proprie ac proxime intendit christiana educatio, ut, divina cum gratia conspirando, germanum atque perfectum christianum efficiat hominem: ut Christum scilicet ipsum exprimat atque effingat in illis qui sint Baptismate renati, ad illud Apostoli vividum: « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis ». (3) Vitam enim supernaturalem germanus christianus vivere debet in Christo: « Christus, vita vestra », (4) eandemque in omnibus rebus gerendis manifestare « ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali ». (5)

(1) *I Io.*, II, 16.
(2) *De idololatria*, 14.
(3) *Gal.*, IV, 19.
(4) *Col.*, III, 4.
(5) *II Cor.*, IV, 11.

a) *Verum christianum conformare.*

Quae cum ita sint, summam ipsam humanorum actuum, quod attinet ad efficientiam sensuum et spiritus, ad intellectum et ad mores, ad singulos et ad societatem domestic m atque civilem, christiana educatio totam complectitur, non autem ut vel minime extenuet, verum ut secundum Iesu Christi exempla et doctrinam extollat, regat, perficiat.

Itaque verus christianus, christiana educatione conformatus, alius non est ac supernaturalis homo, qui sentit, iudicat, constanter sibique congruenter operatur, ad rectam rationem, exemplis doctrinaque Iesu Christi supernaturaliter collustratam: scilicet, homo germana animi firmitate insignis. Neque enim quisquis sibi consentit et sui propriique tenax propositi agit, is solido ingenio est, sed unus ille qui aeternas iustitiae rationes sequitur, ut agnovit ethnicus ipse poëta, « iustum » una simul « et tenacem propositi virum » (1) extollens; quae, ceterum, iustitiae rationes integre servari nequeunt, nisi Deo tribuatur ut fit a vero christiano — quidquid Deo debetur.

Hic sane christianae educationis finis profanis hominibus inanis quaedam cogitatio videtur vel potius tale propositum quod perfici nequeat quin non modo naturales vires deleantur vel saltem extenuentur, sed etiam huius vitae actio quodammodo repudietur: unde sequitur, ut sit illud a societate hominum terrenaque eorum prosperitate alienum et cuilibet in litteris, in artibus, in cultu demum humano civilique profectui vehementer infestum. Cui vero dubitationi, quam ethnici olim, etsi eruditi, rerum tamen nostrarum ignari et praeiudicatis opinionibus, proposuerant — quaeque, recentiore aetate, proh dolor, crebrius ac pertinacius prolata est — Tertullianus occurrerat: « Non sumus exsules vitae. Meminimus gratiam nos debere Deo Domino Creatori; nullum fructum operum eius repudiamus; plane temperamus, ne ultra modum aut perperum utamur. Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, ceterisque commerciis cohabitamus in hoc saeculo. Navigamus et nos vobiscum et militamus, et rusticamur, et mercamur, proinde miscemus artes, operas nostras publicamus usui vestro. Quomodo infructuosi videamur negotiis vestris, cum quibus et de quibus vivimus, non scio ». (2) Idcirco sincerus christianus tantum abest ut res in hac vita gerendas abdicet et naturales vires comprimat, ut, contra, has alat ac perficiat cum vita supernaturali ita copu-

Qui etiam civis est nobilissimus et utilissimus.

(1) Horat., *Od.* L III, od. 3, v. 1.
(2) *Apol.*, 42.

lando, ut ipsam naturalem vivendi rationem exornet efficaciori-busque foveat adiumentis, non modo ad spiritualia atque aeterna, sed etiam ad ipsius naturalis vitae necessitates congruentibus.

Id profecto tota comprobat christianae religionis eiusque institutorum historia quacum historia germani civilis cultus humanarumque progressionum, ad nostros usque dies, omnino cohaeret —; praecipue autem vita Sanctorum ostendit, qui, ab Ecclesia Matre, eademque una, perpetua quadam fecunditate geniti, perfectam absolutamque christianae educationis formam in se referentes, hominum communionem nobilitarunt et bonis omne genus auxerunt. Optime sane iidem de humano genere meriti, in omni civium ordine atque in quavis vitae conditione, editis perfectae sanctitatis exemplis, floruerunt; in iis enim non desunt cum agricolae simplices ac rudes tum viri disciplinis litterisque exculti, cum tenuior opifex tum exercitus dux, cum privatus paterfamilias tum rex populorum gubernator, cum ingenuae puellae deditaeque rei familiari mulieres tum regiae uxores atque imperatrices. Verum, quibusnam praedicemus laudibus illos evangelii praecones, qui in missionibus, opera propemodum infinita, bonorum quoque huius vitae feraci, una cum fidei lumine barbaris gentibus humani civilisque cultus commoda tulerunt ac ferunt: quibusnam eos omnes, qui tot ac tam varia opera hominibus christiana caritate sublevandis condiderunt: quibusnam denique sanctos illos ex utroque sexu institutores, sane frequentissimos, qui suam christianae educationis operam per alios propagandam perpetuandamque singulari sane cum familiarum ac nationum utilitate, curarunt?

c) Iesus, Magister et exemplum educationis.

Haec, haec quidem sunt quae ex christiana educatione proficiscuntur beneficia, idcirco quia ea ipsa hominem evehit atque effingit ad vitam virtutemque supernaturalem in Christo; quandoquidem Iesus Christus Dominus noster, divinus Magister, cum sit eius vitae ac virtutis auctor et largitor, tum universis hominibus, in quacumque ii conditione versantur, iuvenibus praesertim, exemplum se praebet, in eo potissimum aetatis suae decursu intuendum atque imitandum, cum, obediens omnibusque virtutibus, quae singulos, familiam, societatem respiciunt, coram Deo et hominibus, exornatus, vitam obscure et laboriose traduxit.

Conclusio.

Itaque omnes eiusmodi thesauri, quos, nunquam satis aestimandos, hucusque vix ex parte memoravimus, tam arcte ad Ecclesiam pertinent, ut eius veluti naturam constituant, cum mysticum Christi corpus, immaculata Christi Sponsa, ideoque fecundissima Mater, itemque suprema ac perfecta educatrix

Ecclesia sit. Quamobrem magnus ille atque ingeniosus Augustinus — cuius beato ab obitu saeculum quintum ac decimum acturi mox sumus — sancta erga talem Matrem caritate abreptus, has voces edebat: « Merito Ecclesia catholica, Mater christianorum verissima, non solum ipsum Deum, cuius adeptio vita est beatissima, purissime atque castissime colendum praedicas; sed etiam proximi dilectionem atque caritatem ita complecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis animae aegrotant, omnis apud te medicina praepolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quiete senes prout cuiusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces ac doces. Tu parentibus filios libera quadam servitute subiungis, parentes filiis pia dominatione praeponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quam sanguinis nectis... Tu cives civibus, gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate coniungis. Doces Reges prospicere populis; mones populos se subdere Regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium, sedulo doces; ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas et nulli debeatur iniuria » (1).

Supplices interea, Venerabiles Fratres, animos et manus ad caelum « ad Pastorem et Episcopum animarum nostrarum », (2) ad divinum Regem « Dominum dominantium » erigamus, ut ipse virtute omnipotenti sua iubeat, in orbe universo terrarum praeclaros christianae institutionis fructus cotidie magis percipi atque augeri, in singulorum hominum et populorum emolumentum.

Quorum autem caelestium munerum auspicem, paterno animo, vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque vestro apostolicam benedictionem impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 31 mensis Decembris anno 1929, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. XI

(1) *De moribus Ecclesia catholicae*, lib I, c. 30.
(2) Cfr. *I Petr.*, II, 25.

ANNOTATIONES.

I. Cum, praeter nostram exspectationem, latinus textus authentice prodierit encyclicarum de educatione litterarum, quarum authenticum scriptum italicum supra, p. 45 dedimus, existimavimus tum momento argumenti deferendum esse, tum consulendum esse utilitati plurium lectorum quibus italica lingua minus nota est, tum praevidendum esse usum frequentissimum latinae allegationis, ut praefatas litteras lingua nostrae ephemeridis iterum legendas procuraremus. Dum hoc praestamus minime a recepto more nostro recedimus, quippe qui latine reddere monumenta quae alia lingua conscripta sint potius soliti simus.

II. Quos autem fidelius authenticis actis inhaereremus, summaria quae in margine ponuntur non sunt a nobis confecta, sed mere sunt verbalis translatio summariorum quae in *Acta Apostolicae Sedis* italice iuxta ipsas litteras prodierunt. Id etiam lectorem monendum esse existimavimus.

15. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Motu proprio 6 feb. 1930

INSTITUENS « SECTIONEM HISTORICAM » PENES S. RITUUM CONGREGATIONEM.

(A. A. S., 22 feb. 1930, XXII, 87)

PIUS PP. XI

Opportunitas recognoscendi processum de causis historicis.

Già da qualche tempo (1) è venuta maturando in Noi la persuasione che i procedimenti in uso presso la Sacra Congregazione dei Riti per la trattazione delle cause « storiche »

(1) *I. e. latine.* Iam ab aliquo tempore invaluit in Nobis haec persuasio oportere ut modi quibus apud S. Congregationem Rituum « historicae » Sanc-

dei Santi hanno bisogno di qualche ritocco, affinchè possano meglio corrispondere alla propria natura di tali cause e alle loro speciali esigenze (natura ed esigenze abbastanza chiaramente indicate già da Benedetto XIV: *De Servorum Dei beatif. et canoniz.*, dove parla delle *causae antiquae*), massime tenuto conto dello sviluppo raggiunto dalle discipline storiche e dei perfezionamenti portati ai loro metodi.

Quid sint causae historicae.

Per cause « storiche » dei Servi di Dio intendiamo quelle per le quali (trattisi della vita, delle virtù, del martirio o di antico culto) non si possono raccogliere deposizioni di testimoni contemporanei ai fatti in causa, nè si hanno documenti certi di tali deposizioni debitamente raccolte in tempo opportuno.

Sembrandoci *coram Domino* di non poter frapporre ulteriori indugi, invocato il divino aiuto e chiamati a consiglio uomini di non dubbia competenza, dopo matura considerazione, di nostro *Motu proprio* abbiamo ordinato ed ordiniamo quanto segue:

Omittenda in istis causis.

I. — Nelle cause storiche dei Servi di Dio, dopo il processo informativo ordinario e la relativa ricerca degli scritti nei consueti modi, si ometteranno nel processo apostolico le parti suaccennate (vita, virtù, martirio, antico culto) sulle quali non si possono più raccogliere testimonianze contemporanee.

Rerum omissarum attributio sectioni novae.

II. — Le dette cause, per le parti indicate, saranno di competenza speciale di una « Sezione storica » che con questo

---

torum causae examinari consueverint aliquantisper recognoscantur ut melius congruant cum propria huiusmodi causarum natura atque earum peculiaribus requisitis (quae natura et requisita iam a Benedicto XIV, *De Servorum Dei beat f. et canoniz.* ubi de *causis antiquis* agit satis perspicue indicata sunt), praesertim si consideres scientiarum historicarum progressus et perfectiores methodos quas adhibent.

« Historicas » Servorum Dei causas eas intellegimus (sive vita, virtutes, martyrium vel antiquus cultus agatur) de quibus desiderantur tum testimonia factis quae intersunt coaeva, tum certa documenta depositionum debita ratione tempore opportuno collecta.

Cum *coram Domino* res nobis ultra diferenda non videatur, implorato divino auxilio atque auditis pro consilio viris indubie peritiae, post maturam considerationem Nostro *Motu Proprio* decrevimus ac decernimus haec quae sequuntur:

I. — In historicis Servorum Dei causis, post ordinarium processum « informativum » et respectivam, consuetis rationibus factam, indagationem scriptorum, in processu apostolico omittentur partes supra memoratae (vita, virtutes, martyrium, antiquus cultus) de quibus testimonia coaeva iam colligi nequeunt.

II. — Praefatae causae, pro istis partibus, spectabunt specialiter ad « Sectionem historicam » quam hoc Nostro *Motu Proprio* ad binas iam in sinu

Nostro *Motu proprio* intendiamo aggiungere ed aggiungiamo alle due già esistenti in seno alla Sacra Congregazione dei Riti.

Novae sectionis constitutio.

III. — Affinchè la nuova Sezione possa debitamente soddisfare al suo compito:

1) Sarà costituita, in numero competente, da Consultori specializzati nelle discipline e nelle ricerche storiche;

2) A capo di essa sarà un « Relatore generale » al quale incomberà la direzione dei lavori storici;

Actio Relatoris et Consultorum.

3) Il Relatore generale, dopo la regolare apertura del processo informativo, ne esaminerà le parti di sua competenza, farà egli stesso od ordinerà le ulteriori ricerche che giudicherà necessarie, e richiederà alla Postulazione, in originale od in copia autentica, tutti i documenti che riterrà opportuni, trasmettendo poi i documenti così raccolti ai Consultori della sua Sezione, che stimerà più idonei alle singole cause;

4) I voti dei detti Consultori con le conclusioni del Relatore generale saranno dal Relatore stesso consegnati all'E.mo Prefetto della Congregazione e da questo al Promotore della Fede per il loro esame e le eventuali obiezioni e conclusioni;

5) I documenti ed i voti di cui sopra serviranno di base e di punto di partenza ai voti dei Consultori della prima Sezione della Sacra Congregazione dei Riti;

6) Ai Consultori della Sezione storica toccherà di rispondere alle obiezioni e domande del Promotore della Fede per le difficoltà comprese nell'ambito delle loro competenze;

S. Congregationis Rituum existentes sectiones addere intendimus et addimus.

III. — Ut nova Sectio suo munere debita ratione fungi possit:

1) Consiliariis qui disciplinas et indagationes historicas specialiter colunt compenetur;

2) Ei praeficietur « Relator generalis », ad quem moderatio laborum historicorum pertinebit;

3) Relator generalis, postquam processus informativus regulariter erit apertus, eius partes ad ipsum spectantes examinabit, peraget ipse vel imperabit ulteriores indagationes quas necessarias exstimaverit, atque a Postulatione, originalia vel authentice transumpta acta omnia exiget quae opportuna existimaverit. Sic collecta acta subinde communicabit cum Consultoribus suae Sectionis quos singulis causis magis idoneos existimaverit.

4) Vota istorum Consultorum, subiunctis Relatoris Generalis conclusionibus, ab ipso Relatore tradentur Em. Congregationis Praefecto, qui eadem pro examine et forte proponendis obiectionibus et conclusionibus ad Promotorem Fidei transmittet.

5) Praefata acta et vota erunt fundamentum et initium unde Consultores primae Sectionis S. Congregationis Rituum vota conficient.

6) Consultorum Sectionis historicae erit obiectionibus et quaesitis Promotoris Fidei, intra ambitum suae competentiae satis facere.

7) Sono comprese nelle attribuzioni della Sezione storica le indagini che occorressero per completare la ricerca dei documenti e degli scritti attinenti alle cause; per il loro esame dottrinale si procederà secondo le prescrizioni del *Cod. iur. can.* e la prassi in uso;

Quando praeterca consulenda sectio.

8) Per evidenti ragioni di utilità la Sezione storica dovrà essere consultata per le riforme, emendazioni e nuove edizioni di testi e di libri liturgici.

Dies (6 febr. 1930).

Dal Vaticano, 6 Febbraio 1930.

PIUS PP. XI

ANNOTATIONES

I. In ipsa quasi praefatione Decreti die 6 febr. *Motu Proprio* editi, commendantur normae iam olim a BENEDICTO XIV, de causis antiquis praescriptae, in amplissimo opere doctissimi Pontificis (1), quod non minus quam sex volumina replet. Ipse autem locus ad quem remittimur satis parum definite designatur his verbis: « *dove parla delle cause antiquae* ».

Arbitramur tamen locum istum a nobis repertum esse capite 1 Libri III, cum inscribatur: « De testibus de auditu in causis antiquis Beatificationis et Canonizationis ».

Haec porro est istius capitis summa:

1. Observat potiores esse testes de visu.

2. Si testes oculati defecerint, potestne ex testibus de auditu sufficiens probatio colligi de virtutibus et de miraculis? BENEDICTUS XIV refert id esse controversum. Dum autem plures allegat qui partes af-

---

7) Intra provinciam Sectionis historicae continentur indagationes opportunae ad complendam inquisitionem actorum et scriptorum quae ad causam attinent; doctrinale autem eorum examen fiet ad normam praescriptionum *Cod. iur. can.*, et usitatae praxis.

8) Cum manifesta utilitas id postulaverit, Sectio historica consultum adeunda erit de reformandis, emendandis et denuo edendis textibus et libris liturgicis.

Ex aedibus Vaticanis, 6 febr. 1930.

PIUS PP. XI.

(1) *De Servorum Dei beatificatione et canonizatione.*

firmantes tenent, disputat de ipsa temporis antiqui notione, quod alii in centum, alii in septuaginta, alii demum in sexaginta annis constituunt; quod postremum in duobus *S. Rit. Congr.* decretis sufficere visum est.

Late dein, tum ex *ratione:* quia in istis causis ex aequo et bono proceditur, quia necessitas id admittere cogit, quia in C. *Licet* 47, de testibus, cuius universalis vis vindicatur, testes de auditu agnoscit, tum *auctoritate celeberrimorum iuris peritorum;* tum *exemplis* quae a primis, a mediis et ab ultimis temporibus desumuntur, BENEDICTUS XIV demonstrat non esse ambigendi locum.

In fine observat, quod per se est manifestum, melius etiam fore si ad testes de auditu unus de visu addi queat.

II. Ex duabus sectionibus quae iam exsistunt apud *S. Rituum Congregationem,* prior deputatur causis Beatificationis et Canonizationis, altera S. Liturgiae.

III. *Postulator,* ex can. 2004 § 2, ille est qui apud tribunal competens causam beatificationis vel canonizationis pertractat. Singulis causis singuli tantum postulatores admittuntur; postulator autem (isque solus) potest sibi per legitimum mandatum alios, qui vice-postulatores dicuntur, sibi substituere, v. g. apud curias extra Urbem.

Postulatio demum, nomine collectivo designat postulatorem, vice-postulatores et, latiore sensu, quotquot sunt eorum administri.

IV. Novae sectionis historicae Relator generalis est R. P. Dom QUENTIN, O. S. B.; vice relator est R. P. ANTONELLI, O. F. M. Consultores sunt numero viginti, inter quos distinguimus duos Bollandistas qui Bruxellis degunt: Rr. PP. DELEHAYE et PAUL. PEETERS, S. I.

16. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Chirographus 6 feb. 1930, cum epistola Em. Card. Bisleti

DE COMMISSIONE PRO GRADUUM COLLATIONE ET RATIONE STUDIORUM

(A. A. S., 22 feb. 1930, XXII, 93)

I. — *Epistola Em. Card. Praef. S. C. de Sem. et stud. Univers.*

Beatissimo Padre, (1)

In adempimento dell'augusto volere della Santità Vostra e in conformità alle direttive che la stessa Santità Vostra si è degnata di darmi, questo Sacro Dicastero nominò nel Marzo 1929 una Commissione per lo studio circa il conferimento dei gradi accademici nelle discipline sacre e il riordinamento delle Facoltà Ecclesiastiche di Teologia, Filosofia e Diritto canonico.

Tale Commissione, nella quale sono rappresentati tutti gli Atenei ecclesiastici di Roma, è composta dei seguenti Reverendissimi Signori:

Rev.mo Mons. ERNESTO RUFFINI, Segretario della S. Congregazione, *Presidente.*

Rev.mo D. FEDELE DE STOTZINGEN, Abate Primate dei Benedettini Confederati, per l'Ateneo del Collegio di S. Anselmo.

Rev.mo P. MARCO SALES, O. P., Maestro del S. Palazzo, Presidente della Facoltà teologica della Sapienza.

Rev.mo Mons. SALVATORE TALAMO, Segretario dell'Accademia Romana di S. Tommaso d'Aquino.

Rev.mo P. AGOSTINO GEMELLI, O. F. M., Rettore Magnifico dell'Università Cattolica del S. Cuore.

---

(1) *I. e. latine :*

Beatissime Pater,

Ut augustam Voluntatem Sanctitatis Vestrae expleam et congruenter agam cum normis quas ipsa Sanctitas Vestra mihi dare dignata est, hoc sacrum Dicasterium in mense Martio nominavit Commissionem ad deliberandum de collatione graduum academicorum in sacris disciplinis, et ordinandis denuo Ecclesiasticis facultatibus Theologiae, Philosophiae et Iuris canonici.

(Numerantur dein qui in Commissionem cooptati sunt, observando non esse Romanum Atheneum ecclesiasticum qui per quempiam non fuerit praesens).

Rev.mo P. MARIANO CORDOVANI, O. P., Reggente del Pont. Collegio Angelico.

Rev.mo P. DOMENICO PALERMO LAZZARINI, S. I., Prefetto degli Studi della Pont. Università Gregoriana.

Rev.mo Mons. PIO PASCHINI, Professore di Storia Ecclesiastica, Decano della Facoltà teologica del Seminario Romano Maggiore al Laterano.

Rev.mo P. FILIPPO MAROTO, C. M. F., Professore di Testo di Diritto canonico, Decano della Facoltà giuridica del Seminario Romano a S. Apollinare.

Rev.mo P. AGOSTINO BEA, S. I., Professore nel Pont. Istituto Biblico e nella Pont. Università Gregoriana nel Corso di Magistero.

Rev.mo P. CORNELIO DAMEN, C. SS. R., Professore di Teologia morale nell'Ateneo Urbano di Propaganda Fide.

Rev.mo P. BERTRANDO KURTSCHEID, O. F. M., Professore di Diritto canonico nel Collegio Internazionale di S. Antonio.

Rev.mo Mons. PAOLO SAVINO, Aiutante di Studio della S. Congregazione dei Seminari e delle Università, *Segretario*.

I Rev.mi Mons. Paschini e P. Maroto vennero indicati dall'E.mo Cardinale Pompilj; il Rev.mo P. Damen fu presentato dall'E.mo Cardinale Van Rossum; i Reverendi Padri Lazzarini e Kurtscheid furono suggeriti rispettivamente dai Superiori Generali della Compagnia di Gesù e dell'Ordine dei Frati Minori.

La Commissione iniziò subito i suoi lavori, e già il 23 Aprile 1929 teneva presso questa Segreteria la sua prima adunanza. A questa ne tennero dietro altre, cioè tre nel medesimo mese di Aprile, quattro nel successivo mese di Maggio, quattro nel mese di Dicembre u. s. e quattro in questo mese di Gennaio.

La discussione è proceduta sempre col più serio impegno da parte di tutti i componenti la Commissione, i quali, in antecedenza alle adunanze, preparavano studi particolari e stendevano voti sugli argomenti da trattare, voti che venivano dall'Ufficio stampati e distribuiti *per manus* ai singoli membri.

Statim a Commissione initium operi datum est, et iam 23 april. 1929 primum in hac Secretaria convenit. Conventum istum alii exceperunt, i. e. tres eodem mense aprili, quattuor in subsequente mense maio, quattuor in ultimo elapso mense decembri et quattuor in hoc mense ianuario.

Deliberatio semper maxime seria mentis applicatione ab omnibus sociis Commissionis facta est: ante conventum themata particularia praeparabantur et vota de argumentis tractandis scribebantur. Quae vota subinde ab Officio typis scribebantur et *per manus* singulis membris distribuebantur.

Sono state discusse diverse questioni relative ai requisiti necessari per la erezione degli Atenei ecclesiastici, all'ordinamento generale di tali Istituti, in ordine al conferimento dei gradi accademici, e alla *Ratio studiorum* delle tre facoltà di Teologia, Filosofia e Diritto canonico.

Ho ragione più che fondata a sperare che il lavoro verrà sollecitamente compiuto, sì da poter essere umiliato, in forma di schema, alla Santità Vostra verso la fine del corrente anno scolastico.

Non posso non far presente, Beatissimo Padre, la singolare applicazione e lo straordinario sacrificio dimostrato da tutti e singoli i dotti e prudenti membri della sunnominata Commissione, per l'attuazione del grave compito loro affidato. E perchè le loro fatiche abbiano a riuscire, come è loro profonda aspirazione, di pieno gradimento della Santità Vostra, per l'onore della Santa Chiesa, e per il sano progresso degli studi sacri, imploro umilmente per essi, come per me, l'Apostolica Benedizione.

Dalla Sacra Congregazione dei Seminari e delle Università, 31 gennaio 1930.

Di vostra Santità

umilissimo, devotissimo, obbligatissimo servitore e figlio

GAETANO Card. BISLETI

II. — *Chirographus SS. D. N. Pii Pp. XI.*

Signor Cardinale, (1)

S. Pontificis approbatio.

Con grande Nostra soddisfazione abbiamo letto la sua del 31 Gennaio p. p. nella quale ella, signor Cardinale, Ci dava

---

Variae quaestiones disputatae sunt de requisitis necessariis ad Athenea ecclesiastica erigenda, ad ea generali modo ordinanda pro graduum academicorum collatione, et de *Ratione studiorum* trium Facultatum Theologiae, Philosophiae et Iuris canonici.

Habeo abunde unde sperem fore ut opus diligenter absolvatur, ita ut, ad finem vergente currente anno scholastico, Sanctitati Vestrae schematica ratione humiliter offerri possit.

Non possum, Beatissime Pater, non memorare singulare studium et non ordinarium spiritum immolationis quae omnes et singuli docti et prudentes socii praefatae Commissionis demonstrarunt ut grave munus ipsis commissum exsequerentur. Ut autem eorum labores possint, sicut magnopere cupiunt, plene Sanctitati Vestrae esse accepta ad honorem Sanctae Ecclesiae et sanum progressum disciplinarum sacrarum, pro ipsis sicut pro me Apostolicam Benedictionem imploro.

Ex S. Congr. Seminariorum et Universitatum, 31 iunio 1930.

(1) *I. e. latine.* Domine Cardinalis,

Valde nobis placuit epistola tua 31 mensis ianuarii proxime elapsi qua,

ampie notizie sulla costituzione e sui lavori della speciale Commissione in adempimento della Nostra volontà e secondo le direttive Nostre da cotesto sacro Dicastero nominata per un largo ed approfondito studio circa il conferimento dei gradi accademici nelle discipline sacre e circa il riordinamento delle Facoltà ecclesiastiche di Teologia, Filosofia e Diritto canonico.

Spes superata.

I nomi degli egregi membri del clero secolare e regolare chiamati a comporre la Commissione Ci erano già per se stessi altrettante ragioni a bene sperare della efficienza della Commissione medesima; le nostre speranze sono state sorpassate dai lavori che la Commissione ha compiuti nelle sedici piene adunanze tenute dall' Aprile 1929 al p. p. Gennaio 1930, lavori che la sua lettera, signor Cardinale, Ci riassumeva e dei quali Noi fummo minutamente e diligentemente tenuti al corrente dall esimio Monsignor Segretario di cotesta Sacra Congregazione, Presidente della Commissione su lodata.

Optatum.

All'espressione della Nostra piena soddisfazione non possiamo non aggiungere quella del fiducioso desiderio che Ci mette in cuore la da lei espressa « più che fondata speranza » che il lavoro verrà sollecitamente compiuto, sì da poter esserCi presentato in forma di schema verso la fine del corrente anno scolastico.

Intentio obligandi.

Con particolare soddisfazione abbiamo poi veduto tutti gli Atenei ecclesiastici di Roma essere — e tanto bene — rappresentati nella importante Commissione, come l'avevamo con

---

Domine Cardinalis, Nos ample docuisti de Constitutione et de laboribus specialis Commissionis quae, ad explendam Nostram voluntatem et secundum directiones nostras ab hoc sacro Dicasterio nominata est, ut late et alte deliberaretur de collatione graduum academicorum in sacris disciplinis et de ordinandis denuo ecclesiasticis facultatibus Theologiae, Philosophiae et Iuris canonici.

Iam ipsa nomina inclitorum sociorum cleri saecularis et regularis qui ad Commissionem constituendam vocati erant per se causam dabant bene auspicandi de ipsius Commissionis efficientia; spem autem nostram superaverunt ea quae, in 16 plenariis sessionibus quae ab aprili 1919 ad mensem iannuarium 1930 sunt habitae, Commissio perfecit: haec in tua epistola Domine Cardinalis summatim recolebas; de iis autem minutatim et sollerter certiores facti sumus ab Eximio Praelato Secretario istius S. Congregationis, praelaudatae Commissionis Praeside.

Simul cum plena Nostra laetitia non possumus non exprimere fidenter votum quod cordi Nostro suggerit ea quam « plus quam fundatam spem » vocabas fore ut opus diligenter perficiatur, ita ut versus finem currentis anni scholastici Nobis schematice exhiberi possit.

Peculiari autem voluptate observavimus omnia athenea ecclesiastica Urbis, sicut particulari intento nostro voluminus, habuisse qui pro iis in gravi Commissione — et quam bene — starent. Hoc enim intendimus ut quae Com-

particolare intenzione voluto; intendendo Noi che le deliberazioni della Commissione stessa, una volta da Noi approvate e fatte Nostre, siano obbligatorie, come per tutte in genere le Facoltà e gli Atenei ecclesiastici, così ed a più forte ragione per tutti quelli di Roma, nessuno eccettuato; diciamo a più forte ragione, perchè da quelli rifulger deve l'esempio di alta disciplina da' quali gli altri hanno il diritto di attenderlo.

Benedictio Apostolica.

Intanto, a premio ed incoraggiamento del non facile lavoro ed a pegno dei divini indispensabili aiuti, a lei, signor Cardinale, a tutta la Sacra Congregazione da lei con tanto zelo presieduta ed in particolare alla nuova Commissione, ed ai singoli suoi membri, di tutto cuore impartiamo la Apostolica benedizione.

Dies (6 febr. 1930).

Dal Vaticano, 6 Febbraio 1930.

PIUS PP. XI

---

17. — Suprema S. C. S. Officii

Decretum 20 ian. 1930

LIBROS PROSCRIBENS

(A. A. S., 27 ian. 1930, XXII, 21)

Feria V, loco IV, die 23 Ianuarii 1930

Libri delati.

Delati ad hanc Supremam Sacram Congregationem Sancti Officii, cui — praeter alia — munus incumbit in perniciosa scripta animadvertere, libri quorum tituli:

« MARIO MISSIROLI, *Date a Cesare* — La politica religiosa di Mussolini con documenti inediti;

IGNOTUS, *Stato Fascista, Chiesa e Scuola* »,

---

missio facienda deliberaverit, postquam nobis probata et Nostra facta fuerint, obligent omnes in genere ecclesiasticas Facultates et Athenea, et pari modo, immo fortiore ratione omnia, nullo excepto, Instituta Romana: fortiore, dicimus ratione, quia a quibus cetera Instituta illud iure meritoque exspectant, ab iis exemplum altae disciplinae re vera effulgeat.

Interea, ut praemium et stimulum non facilis operis et pignus divinorum auxiliorum quae suppleri nequeunt, tibi Domine Cardinalis, omni Sacrae Congregationi cui tanto zelo praees ac speciatim novae Commissioni singulisque eius sociis, ex toto animo Apostolicam benedictionem impertimus.

Ex aedibus Vaticanis, 6 feb. 1930.

typis vulgo « del Littorio » superiore anno editi, gravissimis contra doctrinam catholicam erroribus scatentes inventi sunt, praesertim quod attinet ad divina Ecclesiae iura et ad supremam Romani Pontificis potestatem eiusque exercitium.

Examine peracto.

E.mi ac R.mi Domini Cardinales, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, in plenario conventu supradictae feriae et diei, audito DD. Consultorum voto, duos supra memoratos libros habendos esse censuerunt tamquam praedamnatos ad normam canonis 1399 Codicis iuris canonici, mandantes ut in Indicem librorum prohibitorum iidem inserantur.

Declarantur praedamnati can. 1399 et inserendi in Indicem libr. prohiq.

Et in eadem feria V. SS.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Assessori concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit ac publicandam iussit.

Confirmatio et praeceptum publicandi.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 25 Ianuarii 1930.

Dies (25 ian. 1930).

A. Subrizi, *Supremae S. C. S. Officii Subst. Notarius.*

ANNOTATIO

Observes hic memorari libros esse delatos ad S. S. C. S. Officii; — examen factum et librorum errores; — praedamnationem ad normam can. 1399.

Approbatio seu confirmatio S. Pontificis ipsa die resolutionis accessit.

S. C. pro Ecclesia Orientali

Varia Decreta

18. — I. Decretum 23 dec. 1929,

DE CLERICIS ORIENTALIBUS, SIVE SAECULARIBUS, SIVE RELIGIOSIS, QUI E TERRITORIIS AUT DIOECESIBUS ORIENTALIBUS IN SEPTEMTRIONALEM VEL MEDIAM, VEL MERIDIONALEM AMERICAM, VEL IN AUSTRALIAE REGIONES DEMIGRANT, UT SPIRITUALEM INIBI CURAM PRAESTENT FIDELIBUS PROPRII RITUS.

(A. A. S., 22 febr. 1930, XXII, 99)

Qua sollerti alacritate nullo non tempore Apostolica Sedes aeternae eorum fidelium orientalium saluti prospexerit, qui e

Sollicitudo S. Sedis de O-

rientalibus migrantibus,

territoriis patriarchalibus, regionibus seu dioecesibus orientalibus migrantes, exteras petunt regiones, praesertim si sua inibi transtulerint domicilia, plurima sane documenta ac decreta, in hanc rem edita, luculenter testantur.

ut Fidei et suo ritui fideles maneant.

Nihil enim Ecclesiae Matri antiquius fuit, quam omni ope eniti, ut isti quoque fideles, tot inter pericula, quae in iis exteris praesertim regionibus, praecipue ex eorum haereticis sectis et orientalibus dissidentibus commercio ac necessitudine oriuntur, sartam tectamque servarent catholicam fidem; atque ut suo cuiusque orientali ritu libere uti possent, etiamsi inter catholicos latini ritus degerent. Quapropter semper eidem cordi fuit, ut ad spiritualem eorum curam suscipiendam, sacerdotes orientalis ritus e territoriis patriarchalibus vel orientalibus deligerentur, qui scientia et bonis moribus praediti, sanctissimo huiusmodi ministerio obeundo pares omnino essent quique ad curam spiritualem exercendam in fideles sui cuiusque ritus fidenti animo mitti possent. Eadem de causa provisum atque praecautum est, ut praestantes horum sacerdotum dotes ac virtutes in antecessum diligenter dignoscerentur, itemque ut Ordinarii locorum ad quae demigrare cuperent, non modo libenter eos excepturi essent, sed etiam eos expeterent uti optatos laboris socios in vinea Domini. Quem in finem saepe plane a S. Sede leges et decreta peropportuna lata fuere.

Inde delectus sacerdotum orientalium.

Opportunitas restituendi et renovandi decreta iam lata,

Verum, cum procedente tempore, leges et decreta huiusmodi aut rite non intellecta sint, aut velut in oblivionem venisse viderentur, et abusus non pauci irrepserint, iidemque eius naturae, ut probis ritus orientalis sacerdotibus haud mediocri detrimento esse possent, Sacra haec Congregatio opportunum, immo necessarium esse duxit easdem leges ac decreta iterum commemorare, et restituere, idque praesertim ad spiritualem fidelium orientalium utilitatem efficacius procurandam. Uti enim pluries huic Sacrae Congregationi relatum fuit, quidam sacerdotes, ex iis praesertim qui in Americam et Australiam se contulerunt, ob suum cuiusque agendi morem, non tantum a latinis, sed a suis etiam orientalibus fidelibus gravi improbatione et quasi nota censoria digni habiti sunt; alii, quaerentes quae sua sunt, non quae Iesu Christi, fideles suis curis concreditos misere dereliquerunt, huc illuc passim vagantes; alii demum, ne catholici quidem aut sacro Ordine initiati, corruptis documentis, tam callide locorum Ordinarios in errorem inducere conati sunt, ut iidem nonnunquam conquesti sint, quasi sacerdotes probi ab improbis, legitimi a simulatis hac mendacibus, vix aut ne vix quidem discerni ac cognosci

possint. Quae cum ita sint, neminem latet quantis incommodis in suo obeundo munere praepediantur optimi orientalis ritus sacerdotes, ac propterea quam necessarium sit opportuna remedia, abiecta omni cunctatione, salubriter afferre.

Eorumque vigori prospiciendi.

Verum in his remediis exquirendis, duxit haec Sacra Congregatio necessarium non esse leges ac decreta compluries a S. Sede lata immutare, sed satius ea restituere ac renovare, simul statuendo methodum ac viam certam ac definitam, qua citius et melius eaedem leges et decreta eadem applicarentur et fraudibus contra ipsa aditus praecluderetur.

Lous zeli Antistitum latinorum,

Non vero eget haec Sacra Congregatio moras trahere in commendando Episcopis latinis illarum regionum orientales, qui in eorundem dioecesibus commorantur; probe enim ipsa novit quanto amore, hoc praesertim tempore, tum Episcopi latini, tum Nuntii aut Delegati Apostolici prosequantur orientales, eos quoque qui ab unitate Ecclesiae sunt separati; nam non una tantum communitas seu paroecia schismatica ad unitatem Ecclesiae, cura et industria Episcoporum Americae, rediit.

ipsis commendatur cura de ecclestis et scholis pro Orientalibus,

Rogat igitur magis magisque eosdem Ordinarios, ut omni zelo, studio et industria incumbant, ad normam praesertim Const. « Orientalium dignitas » n. 9, in curam orientalium fidelium in suis dioecesibus commorantium, ut, incolumi manente ritu, ecclesias et quidem scholas, quatenus fieri possit, pro iis excitandas curent: quod si ii proprias scholas habere, pro rerum adiunctis, non valeant, omni ope adnitantur ne illi orientales quasi coacti sint suos pueros scholis protestanticis aut alienis a sensu Christi committere. Pariter, quinimo praesertim, foveant vocationes ecclesiasticas in filiis indigenis illorum fidelium ritus orientalis. et curent ut non solum ad pietatem informentur et ecclesiasticis disciplinis imbuantur, sed etiam, consulta hac Sacra Congregatione, ut in proprio ritu probe instruantur et in sacris ordinentur; nam iis quoque, ita eruditis et institutis, addictis ad curam spiritualem fidelium suorum rituum. plenius huic curae spirituali prospectum erit, quia eorum opera convenientius erit impensa et propensius acccepta.

de vocationibus ecclesiasticis.

Statuta de sacerdotibus orientalibus qui in Americae vel Australiae regiones se conferunt.

Ut igitur haec Sacra Congregatio aptiore modo debitae sacerdotum orientalium existimationi consulat, itemque spirituali fidelium orientalium procurationi prospiciat, tota re mature discussa in comitiis generalibus Emorum Patrum habitis die 17 lunii 1929, haec, quae sequuntur, statuit ac decernit de sacerdotibus orientalibus, qui in Americae vel in Australiae regiones se conferunt ad pastorale inibi ministerium exercendum; quae quidem diligenter religioseque erunt observanda, sive ab Or-

dinariis et sacerdotibus orientalibus, sive etiam, vi can. 257 Codicis iuris canonici, ab Ordinariis latinis.

1. Inquisitio ab Ordinariis latinis facienda de orientalibus in sua dioecesi versantibus, nuntius dandus de eorum necessitatibus spiritualibus.

1. Ordinarii latini locorum, de quibus supra, inquirant num catholici ritus orientalis sedem transtulerint aut commorentur in suis dioecesibus; ad quem certum et definitum ritum orientalem pertineant, an iidem indigeant necne cura spirituali praestanda a sacerdote proprii ritus; et hinc sine mora hanc necessitatem aut opportunitatem curae spiritualis, uti supra, huic Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali significent et declarent per Nuntium aut Delegatum Apostolicum regionis, qui, si opus sit, eandem necessitatem aut opportunitatem recognoscet et comprobabit.

Subsequens actio S. Congr.

Sacra vero haec Congregatio statim per Nuntium aut Delegatum Apostolicum regionis rem communicabit cum Episcopo vel Episcopis orientalibus eiusdem ritus, aut cum Domino Patriarcha, si ritus eo gaudeat, et casus ferat; simul rogando ut unum vel plures sacerdotes ad hoc munus dignos et idoneos designent, a S. C. pro Ecclesia Orientali, cuius erit licentiam concedere, adprobandos, idque pariter significent per Nuntium au Delegatum Apostolicum regionis, qui suam sententiam de hisce sacerdotibus ipsi Sacrae Congregationi patefaciet.

2. Notificatio facienda ab ipsis Antistibus Orientalibus.

2. Quodsi Domini Patriarchae aut Episcopi orientales, quacumque via et ratione certiores facti sint de hac opportunitate vel necessitate curae spiritualis fidelibus orientalibus in iis locis praestandae per sacerdotes proprii ritus, id pariter significent huic Sacrae Congregationi, simul indicando dioecesim vel dioeceses ubi fideles isti degant et designando ac proponendo sacerdotem vel sacerdotes, uti supra, dignos et idoneos, idque significent per tramitem Nuntii aut Delegati Apostolici, qui suam sententiam, uti supra, de propositis sacerdotibus declarabit.

Subsequens actio S. Congr.

Sacra vero haec Congregatio statim rem Episcopo loci de quo supra, per Nuntium aut Delegatum Apostolicum, declarabit, simul rogando Ordinarium de suo consilio vel licentia; itemque Nuntium aut Delegatum Apostolicum de sua sententia super negotio universo.

3. Fideles qui id exoptent petant ab Ordinario loci sacerdotem proprii ritus.

3. Si qui fideles curam spiritualem exoptent per sacerdotem proprii ritus, expeditius erit si id petant ab Ordinario loci, qui petitionem, una cum suo consilio vel consensu mittat ad Nuntium aut Delegatum Apostolicum regionis, qui quidem id transmittat ad hanc Sacram Congregationem cum suis percontationibus, informationibus et voto.

4. Equidem non tantum Domini Patriarchae, et Ordinarii sive latini sive orientalis ritus, sed etiam fideles, possunt directe ea, de quibus supra, cum hac Sacra Congregatione communicare; attamen non parvum temporis compendium sequetur si ordine supra statuto id fiat.

4. Directe tamen cum S. Congreg. agere possunt.

5. Episcopus vel Episcopi orientales vel Patriarcha, prouti supra in art. 1 et 2, designando sacerdotem vel sacerdotes dignos et idoneos ad curam spiritualem, simul trasmittant litteras commendatitias ad Missae celebrationem atque edoceant Sacram Congregationem de eius vel eorum curriculo vitae et moribus, deque iis omnibus quae comprobare possint eum vel eos ad munus suscipiendum vere dignos esse atque idoneos. Si agatur de sacerdote cleri regularis designatio et informationes transmittantur etiam a suo Superiore.

5. Informatio de designatis danda S. Congregationi.

6. Ad sacrum ministerium exercendum in praefatis regionibus non admittantur sacerdotes saeculares uxorem habentes, sed solum sacerdotes caelibes, aut vidui. Vidui tamen iustis de causis ab hac Sacra Congregatione excludi poterunt ab iis dioecesibus et locis, in quibus eorum proles forte degat aut quocumque modo inveniatur, pariterque si in viciniis eorundem locorum.

6. Ne admittantur nisi caelibes vel vidui; neque hi semper.

7. Statim ac Sacra haec Congregatio, opportunis assumptis notitiis, designatum sacerdotem idoneum reputaverit, per speciale *rescriptum*, modo usitato, concedet licentiam ut dictus sacerdos se conferat in determinatam dioecesim, ut inibi domicilium constituat et fidelibus suae gentis seu ritus spirituale praebeat auxilium.

7. Rescriptum licentiae *H. S. Cong. mittendum ad Ordinarium dioecesis.*

Idque rescriptum seu licentiam Sacra Congregatio, ad omnem dubitationem et difficultatem Episcopis harum regionum auferendam, mittet ad Ordinarium dioecesis ubi sacerdos ritus orientalis domicilium constituere intendit, per tramitem Nuntii aut Delegati Apostolici, vel, si res urgeat, directe ad eundem Ordinarium, certiorato simul Nuntio aut Apostolico Delegato. Unius erit huius Sacrae Congregationis, Ordinariis et ipsis Patriarchis exclusis, hanc licentiam concedere, quam Sacra Congregatio scripto, seu per *rescriptum* dumtaxat dabit.

8. Eandam licentiam Sacra Congregatio ad sacerdotem designatum mittet per Nuntium aut Delegatum Apostolicum, vel, eo certiorato, per Ordinarium proprium, aut, uti supra dictum, per Patriarcham, et, si agatur de sacerdote religioso, per suum Superiorem, Delegato Apostolico, et, si casus ferat, Patriarcha certioratis; atque una cum licentia, mittet, ratione supra determinata, eidem sacerdoti litteras commendatitias, vulgo *celebret*,

8. Et ad sacerdotem una cum litteris « celebret ».

dictum in finem, et pro tempore necessario ad iter faciendum validas.

9. Profectio sine mora. Celebratio Missae in itinere,

9. Sacerdos, sine mora, simul ac poterit, ad statutum locum proficiscetur.

Si opus sit ut iter ad tempus intermittatur, sacerdos ad Missae celebrationem admitti potest, ab eo exhibitis rectori ecclesiae, ubi litare exoptat, litteris commendatitiis, vulgo *celebret*, a Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali acceptis. Rector vero Ecclesiae in iisdem litteris adnotabit diem celebrationis et titulum Ecclesiae, una cum sua subsignatione.

Quid si plus aequo moram protrahat.

Quodsi memoratus sacerdos orientalis ritus moram protrahat plus quam aequum est, rector Ecclesiae hac de re certiorem reddat Episcopum seu Ordinarium loci.

Ordinarius loci ne admittat amplius ad Missae celebrationem sacerdotes, qui, sine iusta causa, plus quam aequum est, in loco interiecto consistant, aut huc illucque vagentur, et, salvo suo iure, rem referat Nuntio aut Delegato Apostolico, aut huic Sacrae Congregationi.

10. Exibenda litterae Ordinario, qui

10. Statim ac memoratus sacerdos ad statutam dioecesim pervenerit, sistat coram Ordinario loci, eidem exhibendo litteras commendatitias a Sacra Congregatione, et litteras discessoriales a proprio Antistite aut a Domino Patriarcha habitas.

facultates dabit et domicilium assignabit.

Loci vero Ordinarius, iuxta tenorem *rescripti* habiti ab hac Sacra Congregatione, de quo in art. 7, ei facultatem dabit Missam seu divinam Liturgiam celebrandi, Sacramenta administrandi, ac quaelibet sacra munia persolvendi, necnon mansiones pro cura spirituali fidelium proprii ritus, eaque omnia suscipiendi, quae necessaria et opportuna censuerit; itemque locum praefiniet, in quo sacerdos domicilium statuere debeat.

11. Subiectio Ordinario loci.

11. Dictus sacerdos iurisdictioni Ordinarii loci subesse debet.

12. Materia oboedientiae.

12. Salvo igitur semper suo ritu, stet mandatis Ordinarii loci, tum quoad curam spiritualem suorum fidelium in loco et in Ecclesia sibi assignatis, tum ad adeundam aliam ecclesiam, paroeciam, seu alium locum ipsius dioecesis ad ministerium exercendum, vel ad fideles sui ritus causa sacri ministerii invisendos.

Consensus utriusque Episcopi pro ministerio extra dioecesim.

Neque in aliam dioecesim se conferre poterit, pro exercitio temporaneo sacri ministeriii aut pro invisendis fidelibus proprii ritus, nisi praehabito consensu Episcopi *a quo* atque Episcopi *ad quem;* et si hunc consensum obtinuerit, se gerat modo, ratione et condicionibus a memoratis Superioribus statutis.

13. Ut quilibet sacerdos, qui in aliquam dioecesim Americae, vel Australiae emigraverit, mutare dioecesim valeat in ambitu earundem regionum, sufficit ut in hoc conveniant Episcopus *a quo* et Episcopus *ad quem;* proprium consensum scripto significando. Hac de re vero, Episcopus *ad quem* nuncium quantocius mittere tenetur per Nuntium aut Delegatum Apostolicum ad Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali.

13. Leges mutantis dioecesim.

14. In fine cuiusque anni, a die data in rescripto supputandi, tenetur quilibet sacerdos orientalis, qui in praefatis regionibus degat, *relationem scriptam* mittere ad Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali de statu religioso suorum fidelium et de sacro ministerio adimpleto; hanc vero relationem exhibebit Ordinario loci, ut hic sua auctoritate eam *scripto* comprobet, opportune suas addens adnotationes, ipseque Ordinarius eam ad Sacram Congregationem transmittat.

14. Relatio annua ad S. Congreg., comprobata ab Ordinario loci.

15. Nullus ergo Episcopus in suam dioecesim admittat aliquem sacerdotem orientalis ritus, e dioecesi orientali provenientem, eique facultatem celebrandi, vel sacrum ministerium exercendi det, nisi a Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali necessarium *rescriptum* antea acceperit, ad normam art. 7; itemque, nisi hoc *rescriptum* receperit, nullam, ad omnem fraudem praecavendam, Ordinarius praestet fidem quibusvis litteris aut documentis, iis etiam uti ex hac Sacra Congregatione prolatis, exhibitis a sacerdote, vel ab eo qui se esse sacerdotem dictitat; atque in casu, salvo suo iure, rem referat Nuntio aut Delegato Apostolico suae regionis vel huic Sacrae Congregationi.

15. Nullus Episcopus sacerdotem sine rescripto *S. C. admittat.*

Interim vero Ordinarius loci in sacerdotem orientalem qui dictum in finem sine debita licentia in suam dioecesim se contulerit animadvertere poterit, pro suo prudenti arbitrio, remediis et sanctionibus, ad normam art. 9.

In eum qui sine rescripto se contulerit in regionem, Ordinarius animadvertere poterit.

16. Sacerdotes omnes dictum in finem ibi commorantes, firma manente prohibitione eleemosynas, pecuniam, sine huius Sacrae Congregationis facultate, colligendi, quod attinet ad stipes Missarum et collationes consuetas, pro more dioecesis, ad Dei cultum, ad ecclesias vel scholas etc. faciendas, stent omnino decretis et ordinationibus dioecesanis; nisi aliter in casibus particularibus pro iis praescribendum Ordinarius loci censeat.

16. Eleemosynas, pecuniam sine facultate S. C. colligere prohibentur; pro stipendiis et collationibus consuetis stent decretis dioecesanis.

17. Praescriptis, de quibus in art. 11, 12, 13, 14, 15 et 16, tenentur ii quoque sacerdotes orientales, qui ante editum hoc decretum se contulerint in has regiones, ibique legitime commorentur.

17. Applicatio ad sacerdotes iam ibi degentes.

18. Peculiaria de Ruthenis.

18. A Ruthenis vero, qui se conferunt ad Foederatos Status Americae, aut ad Canadensem ditionem, ad exercendam curam spiritualem sub iurisdictione Ordinariorum sui ritus, serventur particularia decreta ab hac Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali lata.

Quod si ad id munus petant alias regiones supra memoratas, praescriptiones huius decreti servabunt.

Dies a quo viget Decretum.

Hoc decretum, ut cunctis ad quos pertinet probe perspectum evadat, vim obligandi habebit a die prima mensis Aprilis anni millesimi nongentesimi trigesimi.

Approbatio SS.

Quae omnia Ss.mo Domino relata in audientiis 22 Iunii et 7 Decembris, an. 1929, Sanctitas Sua adprobavit ac rata habuit, atque decretum de iis edendum iussit.

Dies (23 dec. 1929).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 23 Decembris 1929.

A. Card. SINCERO, *a Secretis.*

L. ✠ S.

H. I. CICOGNANI, *Adsessor.*

---

19. — II. Decretum 7 ian. 1930,

DE CLERICIS ORIENTALIBUS, SIVE SAECULARIBUS, SIVE RELIGIOSIS, QUI E TERRITORIIS AUT DIOECESIBUS ORIENTALIBUS IN AMERICAM SEPTEMTRIONALEM, VEL MEDIAM, VEL MERIDIONALEM, VEL AUSTRALIAE REGIONES SE CONFERUNT, NON AD CURAM SPIRITUALEM FIDELIBUS PROPRII RITUS PRAESTANDAM, SED OB ALIAM CAUSAM, OECONOMICAM VEL MORALEM, VEL DEMUM UT INIBI PER BREVE TEMPUS VERSENTUR.

(A. A. S., 22 feb. 1930, XXII, 100)

Facta quae decreti sunt ratio et occasio.

Non raro accidit ut clerici orientales e territoriis vel dioecesibus orientalibus, obtenta vel non licentia ab hac Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali, in Americam vel in Australiae regiones se conferant, et ibi diutius commorentur, cuiusvis generis causis interpositis, huc et illuc vagentur nomine auxilii praestandi fidelibus suae gentis vel ritus, vel eos invisendi, quandoque vero stipes Missarum et, sine facultate, eleemosynas colligant, sacra ministeria illegitime exerceant, atque ita non parvo detrimento sint bonae existimationi orientalium, praesertim sacerdotum. Ut igitur, prout opus est, consulatur

bono nomini sacerdotum orientalium, atque omnis fraudi via, hac in re, praecludatur, Sacra haec Congregatio, re pertractata in comitiis generalibus E.morum Patrum die 17 Iunii 1929 habitis, quae sequuntur statuit atque decernit.

Comitia habita 17 iun. 1929.

1. Quilibet clericus, qui in hisce adiunctis inveniatur, per tramitem sui Superioris, aut Episcopi Ordinarii vel Patriarchae, supplices preces ad hanc Sacram Congregationem mittat, ac causam petitionis exponat; indicet pariter tempus huic itineri et suae absentiae necessarium, atque locum vel loca ad quae vult se conferre; et si agatur de coniunctis invisendis vel de negotiis temporalibus tractandis, indicet domicilium eorum, ad quos visitandos intendit et quibuscum agendum sibi est.

1. Preces per proprium Ordinarium ad S. C. mittendae.

2. Superior, Episcopus Ordinarius, vel Patriarcha, scripto addat hisce precibus, antequam eas ad hanc Sacram Congregationem mittat, sedulas notitias de vita et moribus sacerdotis oratoris, suam mentem de causarum veritate significet, atque litteras commendatitias suppeditet pro Missae celebratione.

2. Subiungendae notitiae.

Praestabit vero illas preces, de quibus in art. 1, et has notitias transmittere per tramitem quoque Nuntii aut Delegati Apostolici.

3. Si vero haec Sacra Congregatio — assumptis, si casus ferat et ipsa ita censeat, aliis notitiis de sacerdote, — imploratam licentiam concesserit, hac de re *nuncium*, per Nuntium aut Delegatum Apostolicum, vel, eo certiorato Ordinario loci ad quem pergere ille intendit, ut ibi moram faciat, dabit; atque sacerdoti licentiam impertietur *per rescriptum* ipsi tradendum, una cum litteris commendatitiis ad Missae celebrationem, indicando pariter locum, ad quem praefatus sacerdos est perrecturus, itemque causas et tempus ibi manendi.

3. Licentia communicabitur Ordinario quo sacerdos ire velit; ipsi tradetur rescriptum cum commendaticiis.

4. Pro casibus vero urgentioribus, in quibus ob grave damnum vel periculum instans tempus non sit recurrendi ad Sacram Congregationem, eadem Sacra Congregatio Nuntiis aut Delegatis Apostolicis necessarias tribuit facultates iuxta speciales instructiones eisdem datas.

4. Nuntii vel Delegati Ap.ci urgenti casui prospiciunt.

5. Iis servatis, quoad loca interiecta in itinere, quae statuta sunt, congrua congruis referendo, in art. 9 decreti huius Sacrae Congregationis diei 23 Decembris 1929, Ordinarius loci, ad quem sacerdos pervenit ut ibi moram faciat iuxta concessionem huius Sacrae Congregationis, Missae celebrationem eidem permittere valet ad normam nuncii recepti a Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali.

5. De itinere et mora cfr art. 9 superioris Decreti.

6. Si vero Ordinarius loci *nuncium* de quo in art. 3 non receperit, ad praecavendas omnes fraudes, fidem ne praestet

6. Ordinarius nisi accepto nuncio art. 3

celebrationem Missae et ministerium non permittat

litteris aut documentis, iis etiam uti ex hac Sacra Congregatione prolatis, exhibitis a sacerdote, vel ab eo qui se esse sacerdotem dictitat, eum non admittat ad Missae celebrationem, eoque minus ad sacrum ministerium exercendum, et, salvo suo iure, rem deferat Nuntio aut Delegato Apostolico suae regionis vel huic Sacrae Congregationi.

Reditus, elapso tempore.

Elapso statuto tempore memoratus sacerdos ad suam dioecesim redeat, servatis in reditu quae in art. 5 decernuntur.

7. Ultra istud non iam litari permittetur.

7. Si memoratus sacerdos ultra tempus statutum diutius sine iusta causa commoretur in loco, de quo supra, loci Ordinarius ne amplius eum admittat ad Missae celebrationem, et, salvo suo iure, rem referat Nuntio aut Delegato Apostolico, aut huic Sacrae Congregationi.

8. De eleemosynis etc., cfr. decretum proxima subsequens.

8. Iidem sacerdotes, quoad eleemosynas, pecuniam, aut stipendia Missarum colligendas seu corrogandas, omnino tenentur decreto huius Sacrae Congregationis « De clericis orientalibus eleemosynas, pecuniam vel Missarum stipendia colligentibus, seu corrogantibus extra orientales regiones et dioeceses », dato hac ipsa die 7 Ianuarii 1930.

Dies a quo viget decretum.

Hoc decretum, ut cunctis ad quos pertinet probe perspectum evadat, vim obligandi habebit a die prima mensis Aprilis anni millesimi nongentesimi trigesimi.

Approbatio SS.

Quae omnia, Ss.mo Domino relata in Audientiis d. 22 Iunii et 7 Decembris, a. 1929, Sanctitas Sua adprobavit ac rata habuit, atque decretum de iis edendum iussit.

Dies (7 ian. 1930).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 7a Ianuarii 1930.

A. Card. SINCERO, *a Secretis.*

L. ✠ S.

H. I. CICOGNANI, *Adsessor.*

20. — III. Decretum 7 ian. 1930,

DE CLERICIS ORIENTALIBUS ELEEMOSYNAS, PECUNIAM VEL MISSARUM STIPENDIA COLLIGENTIBUS SEU CORROGANTIBUS EXTRA ORIENTALES REGIONES, ET DIOECESES.

(A. A. S., 22 feb. 1930, XXII, 108)

Decreti occasio.

Saepenumero Apostolica Sedes normas et decreta edidit de iis rebus rationibusque, quae vel ad clericos orientales pertinent, vel ad eos, qui huiusmodi titulum usurpantes, quavis in-

terposita causa, domo demigrant, et per exteras regiones cursitantes, eleemosynas quaerunt, stipem corrogant, ac Missarum stipendia expostulant, aliquando etiam falso affirmantes se facultatem habere retinendi partem tantum stipendii, reliquum vero concedendi seu relinquendi ipsis offerentibus, clerum et fideles nimium saepe decipientes. Qua in re, ea documenta repetere ac revocare iuvat, quae recens promulgata sunt, ac praesertim *Epistulam circularem* a Sacra Congregatione Fidei Propagandae die 1 mensis lanuarii anno 1912 datam (1); atque *Monitum* a Sacra hac Congregatione nuperrime datum die 2 mensis Aprilis a. 1928 (2); praeterquam quod can. 622 § 4, Codicis iuris canonici statuit, scilicet: « Sine authentico et recenti rescripto Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, Ordinarii latini nec sinant orientalem ullum cuiusvis ordinis et dignitatis in proprio territorio pecuniam colligere, nec suum subditum in orientales dioeceses ad eundem finem mittant ».

Recoluntur acta anteriora.

Attamen, quoniam gravissimae eiusmodi fallaciae non raro, etiam nunc, ab iis praesertim confinguntur et struuntur qui, cum neque clerici, neque orientales, neque catholici sint, dolo sibi rem atque nomen assumunt, ad fraudes praecavendas, et ad consulendum, pro viribus, bonae existimationi orientalium, normae alias datae per hoc decretum, mature perpensum in coetu Plenario E.morum huius Sacrae Congregationis Patrum die 17 lunii 1929, habito, satius ac disertius confirmantur atque enucleantur:

Ratio enucleatius confirmandi normas.

Coetus Patrum, 17 iun. 1929.

1. Ad quamlibet in latina dioecesi collectam, sive pecuniae, sive stipendiorum Missarum a quocumque clerico orientali, cuiusvis ordinis et dignitatis, faciendam, omnino necessaria est licentia Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali.

1. Licentia S. C. requisita pro collecta in dioecesi latina.

2. Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali hanc legem sequetur, ut numquam licentiam concedat, sive pecuniam quaeritandi, sive stipendia Missarum colligendi, pro quovis loco, ac quaecumque adducatur causa.

2. Licentia plerumque negabitur.

3. Quod si aliquando, propter adiuncta omnino peculiaria et ex causa prorsus extraordinaria, hoc permittere iudicaverit, huiusmodi peculiaris concessio ad loca nominatim determinanda praefinita erit et coarctata; ac simul *ipsa Sacra Congregatio Episcopos locorum singillatim et expresse certiores faciet de hac licentia ac de ratione tributae concessionis; firma lege, ut etiam in hoc casu collecta fieri nequeat nisi de consensu Episcopi.*

3. Quo pacto admittetur exceptio.

(1) Cfr *Periodica*, t. 6, 241.
(2) Cfr *Periodica*, t. 17, 72.

4. Aliter nullus Ordinarius collectam poterit permittere;

4. Nullus ideo Ordinarius, extra casum quo ipsemet a S. Sede, vel directe vel per Legatum Romani Pontificis — sive Nuntium, sive Delegatum Apostolicum, — uti supra statuitur, praemonitus fuerit, ad omnes fraudes hac in re praecavendas, ullo modo concedere poterit vel permittere, ut quaelibet collecta in sua dicione fiat, sive pecuniae, sive Missarum stipendiorum, ne in casu quidem quo stipem quaeritans litteras commendatitias vel quaelibet documenta aliorum Ordinariorum et cuiusvis dignitatis ecclesiasticae exhibeat, non exclusis iis quoque documentis quae exhibeantur uti ab hac Sacra Congregatione prolata.

Neque Ordinarius vel Rector ecclesiarum stipes dare.

Itemque, neque Ordinarii, neque ecclesiarum rectores poterunt istiusmodi orientalibus vel iis qui se dictitant orientales, stipes Missarum suppeditare seu quomodolibet concedere.

Si fecerint, respondent de Missis et culpam praestant.

Quod si fecerint, ipsi respondere tenentur de Missarum celebratione, et pro modo culpae, de auxilio iis praestito quoad pecuniam et stipendia seu intentiones Missarum collecta.

5. Extensio Decreti.

5. Praesens Decretum ad omnes orientales ubique locorum spectat, iis tamen exceptis, qui in proprio territorio orientali versantur.

6. Rogantur Ordinarii Decretum divulgare.

6. Rogantur Rev.mi Ordinarii, ut de hoc Decreto certiores faciant suos sacerdotes, praesertim ecclesiarum rectores, domus religiosas, et quatenus opus sit, etiam fideles.

Deferendi abusus.

Quod si similes casus seu abusus accidant in suis dioecesibus, nomina istorum, qui se esse orientales dicunt, referant ad hanc Sacram Congregationem, et, si res urgeat ac suadeat, deferant quoque ad Magistratus seu Auctoritates civiles loci.

Dies a quo viget.

Hoc decretum, ut cunctis ad quos pertinet probe perspectum evadat, vim obligandi habebit a die prima mensis Aprilis anni millesimi nongentesimi trigesimi.

Approbatio SS.

Quae omnia Ss.mo Domino relata in Audientiis d. 22 Iunii et 7 Decembris a. 1929, Sanctitas Sua adprobavit ac rata habuit, atque decretum de iis edendum iussit.

Dies (7 aug. 1930).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 7a Ianuarii 1930.

A. Card. SINCERO, *a Secretis.*

L. ✠ S.

H. I. CICOGNANI, *Adsessor.*

21. — S. Cong. Concilii

Instructio 12 ian. 1930

AD ORDINARIOS DIOECESANOS: DE INHONESTO FEMINARUM VESTIENDI MORE.

(A. A. S., 27 ian. 1930, XXII, 26).

Acta S. Pontificis.

Vi supremi apostolatus, quo in universa Ecclesia divinitus fungitur, Ssmus Dominus Noster Pius Papa XI verbis et scriptis nunquam destitit illud S. Pauli (*I ad Tim.*, II, 9, 10) inculcare, videlicet: « mulieres in habitu ornato cum verecundia et sobrietate ornantes se, et... quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona ».

Ac saepenumero, occasione data, idem Summus Pontifex improbavit acerrimeque damnavit inhonestum vestiendi morem in catholicarum quoque mulierum ac puellarum usum hodie passim inductum, qui non modo femineum decus atque ornamentum graviter offendit, sed nedum in temporalem earumdem feminarum perniciem verum etiam, quod peius est, in sempiternam, itemque in aliorum ruinam miserrime vertit.

Nihil igitur mirum, si Episcopi ceterique locorum Ordinarii, sicut decet ministros Christi, in sua quisque dioecesi pravae huiusmodi licentiae ac procacitati modis omnibus unaque voce obstiterunt, derisiones nonnumquam ac ludibria ob hanc causam sibi a malevolis illata aequo fortique animo tolerantes.

S. C. Conc. tum laudat tum hortatur Episcopos.

Itaque hoc Sacrum Consilium cleri populique disciplinae provehendae cum eiusmodi Sacrorum Antistitum vigilantiam et actionem merita probatione ac laude prosequatur, tum eosdem vehementer hortatur ut consilia atque incepta opportune inita insistant et alacrius pro viribus urgeant, quoadusque hic pestiferus morbus ex honesta hominum consortione penitus extirpetur.

Quod ut facilius ac tutius ad effectum deducatur, haec Sacra Congregatio, de mandato Sanctissimi Domini ea quae sequuntur ad rem statuere decrevit:

I. Contiones habendae.

I. Parochi praesertim et concionatores, data occasione, secundum illud Apostoli Pauli (*II ad Tim.*, IV, 2) instent, arguant, obsecrent, increpent ut feminae vestes gestent, quae verecundiam sapiant quaeque sint ornamentum et praesidium virtutis; moneantque parentes ne filias indecoras vestes gestare sinant.

II. *Cura parentum de puellarum doctrina et vestitu.*

II. Parentes, memores gravissimae obligationis qua tenentur prolis educationem in primis religiosam et moralem curandi, peculiarem adhibeant diligentiam, ut puellae a primis annis in doctrina christiana solide instituantur atque in earum animo ipsi, verbis et exemplo, amorem virtutum modestiae et castitatis impense foveant; familiam vero, Sacrae Familiae exempla imitati, ita constituere atque gubernare satagant, ut singuli verecundiae amandae atque servandae inter domesticos parietes habeant causam et invitamentum.

III. *Vitandae publicae exercitationes.*

III. Parentes iidem filias a publicis exercitationibus et concursibus gymnicis arceant; si vero eisdem filiae interesse cogantur, curent ut vestes adhibeant quae honestatem plene praeseferant; inhonestas vero vestes illas gestare nunquam sinant.

IV *et* V. *Opera moderatricum et scholarum magistrarum*

IV. Collegiorum moderatrices et scholarum magistrae modestiae amore puellarum animos ita imbuere enitantur, ut eadem ad honeste vestiendum efficaciter inducantur.

V. Eaedem moderatrices ac magistrae puellas, ne ipsarum quidem matribus exceptis, quae vestes minus honestas gestent, in collegia et scholas ne admittant, admissasque, nisi resipiscant, dimittant.

VI. *Religiosae excludant non modeste vestitas; inculcent pudorem.*

VI. Religiosae, iuxta litteras die XXIII mensis Augusti, a. MDCCCCXXVIII, datas a Sacra Congregatione de Religiosis, in sua collegia, scholas, oratoria, recreatoria puellas ne admittant, admissas ne tolerent, quae christianum vestiendi morem non servent: ipsae vero in alumnis educandis peculiare adhibeant studium, ut in earum animo sancti pudoris et verecundiae christianae amor altas radices agat.

VII. *Associationes ad abusus cohibendos.*

VII. Piae instituantur et foveantur feminarum Associationes, quae consilio, exemplo et opere finem sibi praestituant cohibendi abusus in vestibus gestandis christianae modestiae haud congruentibus et promovendi morum puritatem ac vestiendi honestatem.

VIII. *A piis associationibus excludantur inhoneste vestitae.*

VIII. In pias Associationes feminarum ne illae admittantur, quae inhonestas vestes induant; admissae vero, si quid postea hac in re peccent et monitae non resipiscant, expellantur.

IX. *A S. Communione, a matrinae munere, ab ipso ecclesiae ingressu prohibeantur.*

IX. Puellae et mulieres, quae inhonestas vestes induunt, a Sancta Communione et a munere matrinae in sacramentis Baptismi et Confirmationis arceantur, atque, si casus ferat, ab ipso ecclesiae ingressu prohibeantur.

X. *Arripienda occasio festorum.*

X. Cum incidunt per annum festa, quae modestiae christianae inculcandae peculiarem exhibeant opportunitatem, praesertim vero festa B. M. Virginis, parochi et sacerdotes piarum Unionum et Catholicarum Consociationum moderatores feminas

ad christianum vestiendi morem, opportuno sermone revocare atque excitare ne praetermittant. In festo autem Beatae Mariae Virginis sine labe conceptae peculiares preces in omnibus cathedralibus et paroecialibus ecclesiis quovis anno peragantur, habitis, ubi fieri potest, opportunis cohortationibus in sollemni ad populum concione.

XI. Consilium diocesanum a vigilantia, de quo in declaratione Sancti Officii die XXII mensis Martii, a. MDCCCCXVIII data, semel saltem in anno de aptioribus modis ac rationibus ad feminarum modestiae efficaciter consulendum ex professo agat.

XI. Consilium vigilantiae de re deliberet.

XII. Quo vero haec salutaris actio efficaciter et tutior succedat, Episcopi aliique locorum Ordinarii, tertio quoque anno, una simul cum relatione de religiosa institutione, de qua in Litteris *Orbem catholicum* die XXIX mensis Iunii, a. MDCCCCXXIII(1) Motu proprio datis, etiam de rerum conditione ac statu circa feminarum vestiendi morem deque operibus ad normam huius Instructionis praestitis, hanc Sacram Congregationem certiorem reddant.

XII. Relatio triennalis ad S. C.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Concilii, die XII mensis Ianuarii in festo Sacrae Familiae, anno MDCCCCXXX.

Dies (12 ian. 1930).

✠ D. Card. SBARRETTI, Ep. Sabinen. Mandelen., *Praefectus.*
L. ✠ S.

† Iulius, Ep. Lampsacen., *Secretarius.*

---

22. — S. Congr. de Religiosis

Instructio - 25 nov. 1929

AD SUPREMOS MODERATORES ET MODERATRICES RELIGIOSARUM LAICARUM FAMILIARUM, DE OBLIGATIONE SUBDITOS IN DOCTRINA CHRISTIANA RITE IMBUENDI.

(A. A. S., 27 ian. 1930, XXII, 28)

Quantum homini necessaria sit accurata ac seria christianae doctrinae institutio, ex hoc manifeste apparet, quod ex ea recta fides nutritur ac roboratur, sine qua vita christiano more traduci nequit. Quae quidem necessitas hodie praesertim persentitur, cum graves de Deo, de religione, de anima rationali, de societate, atque de aeterna hominis destinatione errores ubique circumferuntur. Munus vero hanc doctrinam penitiore modo

Christianae eruditionis necessitas, praesertim pro religionum sodalibus.

(1) Cfr A. A. S., t. 15, 327 ; *Per.*, XII, 122.

addiscendi eos potissimum tangit, qui Deo se in religiosis Congregationibus devoverunt: praetermissa enim illa christianae doctrinae cognitione, nec spiritualem vitam in se, ut debent, fovere possunt, nec in aliorum salutem procurandam, ut eorum munus est, incumbere.

Cum autem, ultimis praesertim temporibus, multae ac variae religiosae familiae virorum ac mulierum exortae sint, ex quarum opera, dummodo rite instituantur, plurimum sibi bonum Ecclesia iure meritoque repromittere potest, hinc ad has Sacra haec Congregatio peculiari modo sollicitudinem suam dirigit, eo scilicet fine, ut praedicti utriusque sexus Sodales ipsimet in sacra doctrina probe erudiantur, et pueros vel puellas, quorum cura eis fuerit demandata, in eadem, omni qua par est diligentia, instruant.

Ad quem finem sequentia decernenda proposuit ac, approbante Summo Pontifice, praesentibus litteris decernit:

1. Ante vota ita iustruantur ut, praevio examine tantum ad vota admittantur.

1. Probandatus ac novitiatus tempore ita tyrones utriusque sexus christianam doctrinam recolant atque penitius edoceantur, ut unusquisque frater et unaquaeque soror eam non solum memoriter teneat, sed etiam rite explicare queat, nec ad vota nuncupanda sine sufficienti eiusdem cognitione admittatur, praevio examine.

2. Examen coram Ordinario vel delegatio eorum qui doctrinam explicaturi sunt in scholis.

2. Anno tyrocinii elapso, omnes religiosi alumni, qui in scholis primariis publicis et privatis doctrinam christianam pueris ac puellis explanaturi sint, tum in ipsa catechesi, tum in ratione eam pueris proponendi ita instituantur, ut examen coram Ordinario vel iudicibus ab eodem delegatis, sustinere valeant.

3. Programma pro isto examine.

3. Quoad programma ad huiusmodi examen praeparandum adhiberi potest quod apud Vicariatum Urbis in usu est pro decernenda idoneitate ad catechesim in scholis elementariis edocendam.

4. Idoneitatis documentum ab iis religiosis comparandum qui in paroecia christianam doctrinam explicabunt.

4. Si vero non in scholis, sed in paroecia, religiosis viris vel foeminis munus committatur pueros puellasve doctrinam christianam docendi, hi sibi ab Ordinarii Curia comparare curent idoneitatis documentum.

Dies (25 nov. 1929).

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, die 25 Novembris 1929.

A. H. M. Card LÉPICIER, *Praefectus.*

L. ✠ S. V. La Puma, *Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. Hactenus, nullo canone generali praescriptum continebat de eruditione religiosa etiam in Institutis laicis. Canon enim 565 § 2, per hebdomadariam collationem mere noviciis conversis institutionem in doctrina christiana procurandam praecipit; canon 509 § 2 vult ut christiana catechesis bis in mense habeatur pro conversis et familiaribus. Nomine autem conversorum proprie venient qui in Institutis religiosis secundam classem constituunt.

Sed, cum quam plura Instituta etiam laica doctrinae christianae tradendae operam dent, S. Congregatio *de Religiosis* idoneos catechesis magistros pueris puellisque providere intendit; atque ideo, sub isto respectu apostolico vult etiam ut ipsi religiosi sufficienter in doctrina christiana erudiantur: qui prius bene edocti sint etiam alios melius et maiore zelo docebunt.

II. Praescripta autem sunt tria numero:

1. Vult S. Congregatio ut etiam in laica religione, nullus sit religiosus, nulla Soror, qui catechismum non solum memoriter non teneat, sed etiam aliquantisper eum explicare nequeat.

Etenim, etiam rudis litterarum, si sedulo instruatur, ad quendam textus intellectum non ita difficulter perduci potest. Explicatio autem de qua hic sermo est non est nisi paulo prolixior enuntiatio rerum quae textu sunt contentae. Quare istud primum praeceptum censemus esse commune omnium religiosorum Instituti laici.

Examen autem quod ante vota sustinendum est ab ipso Superiore religioso ordinari potest. Ipse igitur, designatis magistris, materia, horis studio assignandis, eum examinis modum praescribat quem magis opportunum esse duxerit.

2. Alterum praescriptum proprium est eorum qui in scholis doctrinam christianam explanaturi sunt. Hi parati esse debebunt examen coram Ordinario vel eius delegatis subire.

Observes non ipsum examen sed sufficientem examini eruditionem religiosis futuris magistris praecipi.

Cum enim S. C. *de Religiosis* nihil ipsis Ordinariis locorum praecipere queat, noluit Antistites obligare ad huiusmodi examen ordinandum. Neque in numero tertio, de programmate, aliud proponitur nisi exemplum catalogi exhibentis res pro isto examine cognoscendas.

Istius programmatis, quod italice est conscriptum, his annotationibus subiciemus latinam versionem.

3. Cum agitur autem de docenda doctrina christiana in paroeciis religiosis (iis solis, cum ceterae ad S. C. de Religiosis non spectent) praecipitur ut *curent* sibi ab Ordinarii Curia idoneitatis documentum comparare. Iterum observes praecipi curam seu rationabilem conatum. Fieri enim potest ut Ordinarius huiusmodi documentum tradere non soleat. Praescriptum igitur sic intellegi potest: Ubi, sicut in Urbe, documenta talia sunt in usu, religiosi Institutorum laicorum ea sibi exquirant.

In ispsa Urbe, diploma idoneitatis a Vicariatu solis personis saecularibus imponitur quaerendum, ut officium tradendi catechismum suscipere licite possint. Praesens igitur Instructio ad religiosos congregationum laicarum istam obligationem extendere videtur.

III. Manifestum est, ex ipsa inscriptione Instructionis, solos attingi Instituta laica.

IV. Iam versionem latinam programmatis de quo in art. 3 proponamus.

Ad usum lectorum nostrae ephemeridis latine reddimus ex italico sermone opusculum Vicariatus Romani quod programma continet ad quod Instructione S. C. de Religiosis remittimur.

Ex Normis approbatis 1 aug. 1921 (art. 17-19), nulla persona saecularis officium docendi catechismum assumere in Urbe

potest, nisi Commissio catechistica dioecesana eam habilem agnoverit.

Diploma idoneitatis traditur post examen vel exhibitum titulum admissum. Examen componitur lectione practica catechismi de designato prius argumento et interrogationibus de programmate constituto.

Programma examinis idoneitatis ad docendum catechismum in scholis elementariis.

Pars. I. Paedagogia catechistica vel catechetica.

1. *Catechismus.* Definitio. - Varia genera. - Finis, excellentia, momentum, necessitas praeceptionis catechisticae.

2. *Dotes* magistri catechismi.

3. *Notae propriae methodi catechisticae.* - Methodus; variae eius formae: inquisitiva vel didactica; deductiva vel inductiva; analytica vel synthetica. - Methodus praeceptionis catechisticae esse debet didactica, nixa auctoritate Dei revelantis. - Methodus intuitiva: quomodo ad varias religiosae disciplinae partes aptetur. - Aliae proprietates methodi catechisticae: unitas, perspicuitas, ordo, practica ratio, congruentia cum legibus mentis. - Systema cyclicum.

4. *Forma praeceptionis catechisticae.* - Forma expositiva, interrogativa, socratica vel evolutiva, vel mere interrogativa. Qualis ad docendum catechismum sit aptior.

5. *Alumni* scholae catechisticae. Pueri considerati respectu Dei, familiae, patriae, totius humani generis. Quomodo agendum sit cum pueris ut sint attenti, dociles et studiosi.

6. *Auxilia praeceptionis catechisticae.* Tabulae parietales, graphica in muro descriptio Palestinae, tabula *(tableau noir, lavagna)*, variae imagines, libri legendi, orationes *(conférences)* maxime cum luminosis imaginibus, visitationes.

7. *Summaria notitia aliarum quaestionum didacticarum.* De *litterali* memoria rerum tenenda, estne necessaria an saltem utilis. - De praemiis et poenis. - Cautiones et attendenda in explicando sexto et nono praecepto.

8. *Notiones praticae de schola catechismi.* - Praeparatio aulae. Preces. Proclamatio et repetitio scholae anterioris. Explicatio novi argumenti. Recapitulatio, hortatio finalis. Preces in fine. Cantus.

9. Ad *consulendum varietati, efficaciae et decori praeceptionis catechismi.* Situs ipsius magistri; tonus vocis. Interrogationes collectivae et singulares. - Lectio.

Pars altera. Doctrina christiana.

I. *Apologetica.*

Definitio. - Elenchus accuratus veritatum quas examinat et demonstrat de homine, de Deo, de Religione naturali, de Religione supranaturali, de divinitate Iesu Christi Eiusque religione, de Ecclesia.

II. *Dogmatica. - Credo vel symbolum Apostolorum.*

Art. 1. Deus. - Exsistentia facilibus rationibus demonstrata. - Attributa (unitas, aeternitas, simplicitas, immutabilitas, immensitas, omniscientia, omnipotentia, bonitas, sanctitas, providentia).

Mysterium. - Quid sit. - Mysteria principalia. - Unitas et Trinitas Dei.

Creatio. - Quid inferat, et quodnam sit eius obiectum. Angeli et Daemones, Angelus Custos.

Homo. - Creatio. - Quonam sensu dici debet creatum esse unumquemque nostrum. - Dotes animae: spiritualitas, immortalitas, libertas. - Status iustitiae originalis primi hominis; peccatum originale. - Promissio Redemptoris.

Art. II et III. Mysterium Incarnationis. - Factum. - Naturae et persona, voluntates et operationes in Iesu Christo.

Beatissima Virgo. - Eius praerogativae: Immaculata Conceptio, Maternitas divina, Virginitas perpetua. Assumptio.

Vita abscondita Iesu. - Nativitas in Bethleem, exsilium, vita in Nazareth, visitatio templi in aetate 12 annorum.

Vita publica Iesu. - Praedicatio, doctrina, miracula.

Art. IV. Passio et mors Iesu Christi. - Ultima Cena et institutio Eucharistiae. - Summaria notitia Passionis. - Crucifixio, agonia et mors. - Momentum et superabundantia divinae redemptionis Iesu.

Art. V. Sepultura Iesu. - Descensio ad Limbos. - Resurrectio. - Apparitiones Iesu post Resurrectionem.

Art. VI. Ascensio Iesu in Coelum. - Eius gloria.

Art. VII. Reditus Iesu in fine mundi ad iudicandos homines. - Rationes iudicii universalis.

Art. VIII. Spiritus Sanctus. - Eius manifestationes et symbola. - Peculiaris opera Spiritus Sancti: sanctificatio.

Art. IX. Ecclesia. - Origo. - Constitutio. - Notae: unitas, sanctitas, catholicitas, apostolicitas. Eas sola Ecclesia romana possidet, desunt aliis ecclesiis. - Ecclesia docens et discens. - Papa: eius praerogativae: primatus: infallibilitas. - Episcopi. - Officia erga Ecclesiam et Papam.

Communio sanctorum. - Ecclesia triumphans, expians, mi-

litans. - Quid secumferat communio sanctorum. - Orationes et suffragia.

Art. X. Remissio peccatorum. - Media remissionis. - Indulgentiae.

Art. XI. Resurrectio carnis. - Dogma cátholicum. - Qualitates corporum gloriosorum et damnatorum.

Art. XII. Vita aeterna. - Iudicium particulare et universale. - Infernus. - Purgatorium. - Paradisus. - Limbi.

III. *Moralis. - Praecepta Dei. - Praecepta Ecclesiae. - Virtutes. - Peccatum.*

Moralis in genere. - Fundamentum et norma Moralitatis. - Moralis naturalis et christiana.

Lex: divina et humana; aeterna, naturalis, divina positiva, mosaica et christiana. - Lex humana: ecclesiastica.

Praecepta Dei vel Decalogus.

Brevis notitia historica. - Obligatio ea observandi. - Praeceptum magnum: amor Dei et proximi.

I. *Praeceptum:* Officia religionis. - Officia fidei, spei et caritatis. - Praecipua peccata contra istas virtutes. - Officia cultus: cultus interni et externi: singulorum et societatis. Praecipui actus cultus; peccata contraria.

Cultus duliae et hyperduliae. - Legitimitas et utilitas cultus SS. Virginis, Angelorum et Sanctorum. - Cultus Crucis, sanctarum reliquiarum, imaginum.

II. *Praeceptum:* Obiectum directum et indirectum secundi praecepti. - Sanctum Nomen Dei. - Blasphemia: varii modi. - Gravitas istius delicti. - Imprecatio: varia eius species. - Iuramentum: condiciones liceitatis. - Votum: quid sit, variae species, inde ortae obligationes.

III. *Praeceptum:* Quaenam opera sunt diebus festivis prohibita. - Causae quae in illis diebus laborem licitum reddere possunt. - Actus religionis de praescripto vel consilio pro die festiva.

IV. *Praeceptum:* Officia filiorum adversus parentes, et parentum adversus filios. - Officia inferiorum (alumnorum, famulorum, subditorum, fidelium) adversus superiores et superiorum (magistrorum, officinatorum, potestatum civilium, praepositorum spiritualium) adversus eorum inferiores.

V. *Praeceptum*: quod prohibet circa vitam naturalem homicidium, duellum, vulnerationes et damna personalia. - quod prohibet circa vitam spiritualem: scandalum, variae eius species, gravitas.

VI et IX. *Praeceptum:* Quae imponunt et quae vetant, Occasiones peccati et pericula puritatis, et media eam conservandi.

VII et X. *Praeceptum:* Peccata contra iustitiam quae laedunt ius proprietatis. - Furtum, sacrilegum et non sacrilegum. - Detentio iniusta. - Damna realia proxima illato. - Fraus. - Violatio contractuum. Obligatio restituendi.

VIII. *Praeceptum:* Falsum testimonium. - Officia de testimoniis in iudicio. Mendacium, variae eius species. - Diffamatio, varii eius modi. - Calumnia, detractio, susurratio, iudicium temerarium.

Praecepta generalia Ecclesiae.

Praeceptum primum: - Festa de praecepto praeter Dominicam. - Obligatio audiendi Missam. - Essentiales Missae partes. Rationes quae ab audienda Missa dispensant.

Praeceptum alterum: - Officium abstinentiae, quid ferat: dies abstinentiae, causae dispensantes. Ieiunium, quid inferat: dies ieiunii, causae dispensantes.

Praeceptum tertium: - Obligatio Confessionis et Communionis annuae.

Praeceptum quartum: - Praescripta circa necessitates Ecclesiae.

Praeceptum quintum: - Quid sint sollemnitates nuptiales, tempora quibus vetantur, et cur.

Virtutes.

Virtutes cardinales: prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia.

Peccatum.

Peccatum - originale et actuale, mortale et veniale. - Distinctio specifica et numerica peccatorum. - Condiciones peccati gravis.

Vitia capitalia: - Peccata contra Spiritum Sanctum. - Peccata quae vindictam clamant in conspectu Dei.

IV. *Sacramenta.*

Gratia. — Gratia: habitualis et actualis. Effectus gratiae habitualis seu sanctificantis; media eam aequirendi, augendi, amissam recuperandi. Meritum .

Sacramenta. — Definitio. - Condiciones veri sacramenti. - Necessitas et numerus sacramentorum. Sacramenta vivorum et mortuorum. Character. Materia, forma et minister Sacramentorum. Subiectum Sacramentorum. Condiciones validi sacramenti. - Condiciones ad obtinendum fructum sacramenti. Sacramentalia.

Baptismus. — Institutio. - Materia, forma et minister. — Effectus baptismi. Patrini et Matrinae. Eorum munus et officia.

Baptismi promissa. - Baptismus fluminis, sanguinis, voti. Baptismus adultorum et conversorum. Impositio nominis.

Confirmatio. — Institutio. - Materia, forma et minister. - Condiciones ricipiendi fructuose sanctam Confirmationem. - Effectus. - Dona Spiritus Sancti. - Officia patrini.

Eucharistia. — Definitio. - Promissio et institutio Eucharistiae. Praesentia realis et transubstantiatio; aliae veritates dogmaticae quae ad Eucharistiam attinent. - Materia, forma, minister istius sacramenti.

S. Missa. - Discrimen inter sacrificium Crucis et Sacrificium Altaris. - Missae valor.

Communio. - Obligatio communionis. Dispositiones ad bene communicandum Effectus communionis. Communio frequens et cotidiana. Viaticum.

Paenitentia. — Institutio. - Materia, forma, minister. Quid requiratur ad bonam confessionem. Dolor: perfectus seu contritio, imperfectus seu attritio. Accusatio peccatorum. Indulgentiae, variae species, condiciones ad eas acquirendas.

Extrema Unctio. — Institutio. - Materia, forma, minister. Quando administrari potest. Effectus.

Ordo. — Institutio. - Ordines maiores et minores. Sacerdotium. Episcopatus. Materia, forma, minister Ordinis. Effectus. - Dignitas et momentum sacerdotii. Officia sacerdotis. Vocatio sacerdotalis. Obligationes fidelium erga Papam, Episcopos, Parochos, saderdotes in genere.

Matrimonium. — Definitio. - Institutio. Brevis notitia de impedimentis matrimonii. Materia, forma, minister matrimonii. Partes Sacerdotis in celebratione matrimonii. Proprietates matrimonii: unitas et indissolubilitas. Officia coniugum. Actus civilis.

Pars III. Liturgica.

Oratio. — Oratio vocalis et mentalis. Praeceptum orationis. Quandonam orandum est. Condiciones bonae orationis. Varietas orationum quas Ecclesia adhibet.

Oratio dominica. — Specialis excellentia istius orationis ob eius originem. Brevis explicatio istius orationis.

Salutatio angelica. — Origo et partes *Ave Maria.* Brevis explicatio. - Rosarium.

S. Missa. — Fines Missae. Partes Missae. Modus assistendi Missae. Benedictio eucharistica.

Magnae devotiones Christianismi. — Devotio ad Cor Iesu, ad Mariam SS., ad S. Ioseph, ad angelos et specialiter ad angelum custodem, ad sanctos et specialiter ad sanctum proprii nostri nominis. - Pietas erga defunctos.

[22]

Nota Bene.

Ut amplitudini quam ratio praeceptionis religionis habet in scholis elementaribus respondeat, examen has quoque partes complecti deberet.

Pars. IV. Historica.

Facta Veteris et Novi Testamenti. - Vita Iesu. - Parabolae. - Praecipua puncta historiae ecclesiasticae. - Sancti Italiae. - Sancti locales.

Pars V. - Biblica. - Summaria notitia Bibliorum vel S. Scripturae. Valor humanus et divinus S. Scripturae. Novum Testamentum. - Notiones particulares de Evangeliis.

Pars VI. Litteraria. - Poemata religiosa in litteris italicis, quatenus ad obiectum praeceptionis eucharisticae referuntur. Divina Comoedia Dante Alighieri. Hymni religiosi Manzoni.

Pars VII. Artistica. - Cantus populares, praecipui cantus gregoriani. Themata religiosa a pictoribus et sculptoribus italicis frequentius illustrata.

Ne nimis onerosum reddat examen, auctoritas ecclesiastica istud primis partibus circumscribit, non dubitans quin futurum sit ut Magistri et Magistrae, ope librorum auxiliarium, in eorum praeceptionibus catechisticis noverint pares esse scholae tradendae, quae praerogativas veri apostolatus possidet.

23. — S. Cong. dei Religiosi

Istruzione 6 feb. 1930

AI REV.MI SUPERIORI DEGLI ORDINI REGOLARI E DEGLI ISTITUTI ED ASSOCIAZIONI CON O SENZA VOTI, DI DIRITTO PONTIFICIO, PER L'APPLICAZIONE DELL'ART. 29, LETTERA *b*), DEL CONCORDATO TRA LA SANTA SEDE ED IL REGNO D'ITALIA, RELATIVO AL RICONOSCIMENTO DELLA PERSONALITÀ GIURIDICA DELLE ASSOCIAZIONI RELIGIOSE.

(A. A. S., 3 mart. 1930, XXII, 138)

SS. D. voluntati obtemperans, S. C. haec communicat.

Questa Sacra Congregazione dei Religiosi, in conformità agli augusti voleri del S. Padre, invia a tutti i Superiori degli Ordini regolari e degli Istituti religiosi di voti semplici ed Istituti senza voti, di diritto pontificio, le seguenti istruzioni per rendere loro più facile ed agevole l'applicazione dell'art. 29,

lettera *b*), del Concordato tra la Santa Séde e il Regno d'Italia, relativo al riconoscimento della personalità giuridica delle Associazioni religiose.

Leges italicae ante Concordatum.

Per intelligenza dei medesimi Superiori è opportuno premettere alcuni brevi cenni circa lo stato della legislazione italiana anteriore al Concordato.

La legge 7 luglio 1866, n. 3036, estesa alla provincia di Roma colla legge 19 Giugno 1873. n. 1402, tolse la personalità giuridica agli Ordini, Corporazioni e Congregazioni religiose, le quali, tuttavia, sebbene spogliate dei loro beni, non cessarono di esistere come associazioni di fatto, e poterono, a mezzo dei soci, possedere i beni necessari per la loro sussistenza.

Attenta varia iurisprudentia.

Tale capacità di possedere a mezzo dei soci fu riconosciuta con sentenza della Corte di Cassazione di Roma 25 Aprile 1892 in causa Buccelli contro Carones (*Giurispr. Ital.*, 1892, I, 1, 752). Ma in progresso di tempo la stessa Cassazione, con sentenza 23 Marzo 1908, in causa D'Hemptinne e Lancia di Brolo contro Nicosia (*Giurisprud. Ital.*, 1908, I, 1, 276) mutò giurisprudenza, dichiarando nulle le liberalità fatte per interposta persona in favore di un'associazione monastica. Questa giurisprudenza fu aggravata con una successiva decisione della stessa Cassazione (20 Maggio 1910, Gazzoli contro Del Nero, *Giurisprud. Ital.*, 1910, I, 641), nella quale fu esplicitamente dichiarato che neppure come libera associazione lecitamente costituita sotto la tutela del diritto nazionale poteva una società di religiosi acquistare e possedere.

A questa giurisprudenza, dopo lunghe esitazioni, finirono coll'uniformarsi anche le altre Corti del Regno. Recentemente però la stessa Cassazione, con sentenza 19 Dicembre 1928, in causa Sannitizona contro Proietti (*Giur. Ital.*, 1929, I, 1, 159), quando non vi era alcun sentore delle trattative concordatarie, ripudiando la precedente giurisprudenza, ha ritenuto che il fatto che religiosi o religiose, mettendo in comune i loro beni, abbiano continuato e continuino a convivere in conformità delle regole disciplinanti i diversi Ordini, autorizza solo ad ammettere l'esistenza di semplici associazioni, dal momento che ciascuno dei componenti non può essere costretto, come prima, a rimanervi, e può quindi uscirne quando creda e domandare la propria quota del patrimonio comune, avendo ciascuno riacquistato, dal giorno della soppressione della corporazione, il pieno esercizio dei suoi diritti civili e politici (art 2, legge 7 Luglio 1866), e dal momento ancora che, appunto per effetto di tale riacquisto, i *voti* importano solo un obbligo morale e re-

ligioso. E per conseguenza la Cassazione nella citata sentenza ha pur ritenuto che le dette associazioni, essendo consentite dagli articoli 24 e 32 dello Statuto e per il clero cattolico in ispecie anche dall'art. 14 della legge 13 Maggio 1871, n. 214, e vivendo, come tali, all'ombra della legge, possono legittimamente acquistare e possedere beni in persona degli associati.

È pur da ricordare, come nota la stessa Cassazione nella sentenza testè ricordata, che per effetto dell'art. 2 della citata legge 7 Luglio 1866, i membri degli Ordini, delle Corporazioni e Congregazioni religiose riacquistarono di fronte alle leggi civili il pieno esercizio di tutti i diritti civili e politici. Nessuna efficacia, quindi, era più riconosciuta nel foro civile ai voti di povertà, castità e obbedienza. Per tal modo, mentre non si riconosceva, agli effetti del matrimonio civile, l'*impedimentum voti*, non era vietato al religioso ed alla religiosa di acquistare e possedere beni anche immobili. Del resto i professi religiosi anche prima della ripetuta legge 7 Luglio 1866, già avevano la piena capacità di acquistare e di possedere in virtù dell'articolo 22 delle disposizioni transitorie del Codice civile.

Quaedam exceptiones admissae.

È, infine, da ricordare che, nonostante la formula ampia dell'art. 1° della citata legge 7 Luglio 1866, alcune Associazioni religiose, specialmente femminili, o perchè aventi scopo di beneficenza o perchè costituenti semplici riunioni di dame conviventi senza alcuna professione di voti, furono ritenute esenti da soppressione e continuarono a possedere come persone giuridiche.

Tale era lo stato della legislazione ecclesiastica italiana, quando è sopravvenuto il Concordato, il quale nell'art. 29, dopo aver premesso che lo Stato italiano rivedrà la legislazione in quanto interessa la materia ecclesiastica, al fine di riformarla ed integrarla, per metterla in armonia colle direttive, alle quali si ispirano il Trattato ed il Concordato, soggiunge che rimane senz'altro convenuto:

Quid Concordatum statuerit.

« *b*) Sarà riconosciuta la personalità giuridica delle Asso-
« ciazioni religiose, con o senza voti, approvate dalla Santa
« Sede, che abbiano la loro sede principale nel Regno, e sia-
« no ivi rappresentate, giuridicamente e di fatto, da persone
« che abbiano la cittadinanza italiana e siano in Italia domici-
« liate. Sarà riconosciuta, inoltre, la personalità giuridica delle
« provincie religiose italiane, nei limiti del territorio dello Stato
« e sue colonie, delle associazioni aventi la sede principale
« all'estero, quando concorrano le stesse condizioni. Sarà ri-
« conosciuta, altresì, la personalità giuridica delle Case, quando

« dalle regole particolari dei singoli Ordini sia attribuita alle « medesime la capacità di acquistare e possedere. Sarà rico- « nosciuta, infine, la personalità giuridica alle Case generalizie « ed alle Procure delle associazioni religiose, anche estere. Le « Associazioni o le Case religiose, le quali già abbiano la per- « sonalità giuridica, la conserveranno.

« Gli atti relativi ai trasferimenti degli immobili, dei quali « le Associazioni sono già in possesso, dagli attuali intesta- « tari alle Associazioni stesse saranno esenti da ogni tributo ».

Questo patto del Concordato è diventato anche legge dello Stato italiano nel giorno dello scambio delle ratifiche, 7 Giugno 1929.

Quid lex pro exsecutione Concordati.

La legge 27 Maggio 1929, n. 848, emanata per la esecuzione delle norme del Concordato relative agli enti ecclesiastici, non contiene alcuna disposizione speciale per le Associazioni religiose, tranne quella formulata nell'articolo 27, per la quale « le Case e Comunità religiose dotate di personalità giuridica « devono regolarizzare la loro rappresentanza, in conformità « delle disposizioni del Concordato, con la nomina di rappre- « sentanti avendo la cittadinanza italiana e il domicilio nel Re- gno ». Tale disposizione si riferisce alle Associazioni religiose che hanno conservata la personalità giuridica anche dopo le leggi di soppressione.

Quid subsequens ordinatio regio.

Il regolamento per l'esecuzione di detta legge 27 Maggio 1929, approvato con Regio Decreto 2 Dicembre 1929, n. 2262 (registrato alla Corte dei conti nel 17 Gennaio 1930 e pubblicato nella Gazzetta Ufficiale del Regno, n. 15, in data 20 Gennaio 1930), contiene alcune disposizioni per le associazioni religiose e precisamente quelle degli articoli 9, 79 e 80.

Nell'art. 80 si stabilisce: « Ai fini della disposizione con- « tenuta nell'art. 27 della Legge, i superiori delle Case e delle « Comunità indicate nell'articolo stesso, entro tre mesi dall'en- « trata in vigore del presente regolamento, debbono comuni- « care al Ministero della giustizia e degli Affari di culto il « nome e il domicilio dei rispettivi rappresentanti ».

Nell'art. 8 del regolamento si dispone:

« Il riconoscimento della personalità giuridica degli Ordini « e delle Congregazioni, delle Provincie e delle Case religiose, « è concesso su domanda dei rispettivi rappresentanti, diretta « al Ministro per la giustizia e gli Affari di culto.

« La domanda deve essere corredata:

« *a*) dei documenti atti a comprovare che le persone, le

« quali le rappresentano giuridicamente e di fatto nel Regno, « hanno la cittadinanza italiana e sono domiciliate nel Regno;

« *b*) per gli Ordini e le Congregazioni, dell'attestato, ove « non possa esibirsi l'atto originario di approvazione, dal quale « risulti che l'Ordine e la Congregazione è di diritto pontificio;

« *c*) per le Province, del medesimo attestato circa l'Or- « dine o la Congregazione a cui appartengono ed, inoltre, dei « documenti, dai quali risulti che l'attività della Provincia è « limitata al solo territorio dello Stato, dei Possedimenti e delle « Colonie, senza pregiudizio dell'attività, che la stessa Pro- « vincia può svolgere in luoghi di missioni;

« *d*) per le Case, dei documenti comprovanti la propria « capacità di acquistare e possedere, secondo le regole parti- « colari dell'Ordine a cui appartengono, oppure del documento « pontificio che le autorizza a godere dell'uso di beni immo- « bili. Ove l'Ordine a cui appartengono non sia già ricono- « sciuto nel Regno, debbono produrre anche l'attestato per com- « provare che esso è di diritto pontificio.

« Per il riconoscimento della personalità giuridica delle « Case generalizie e delle Procure delle associazioni religiose « anche estere, basta che la domanda del legittimo rappresen- « tante sia corredata da un certificato della Santa Sede che « attesti la esistenza canonica della Casa e della Procura ».

Nell'art. 9 si dispone:

« Ogni mutamento nelle persone dei rappresentanti delle « Associazioni religiose, delle quali è cenno nell'articolo pre- « cedente, deve essere comunicato entro quindici giorni al Mi- « nistro per la giustizia e per gli Affari di culto, per compro- « vare che esse posseggono i requisiti richiesti nell'articolo « stesso, lettera *a*) ».

Infine nell'art. 79 delle disposizioni transitorie è disposto:

« Nello stesso decreto reale di riconoscimento della per- « sonalità giuridica delle associazioni religiose possono essere « indicati gli immobili, dei quali le associazioni medesime sono « già in possesso e che a termini dell'art. 29 lett. *b*), capo- « verso del Concordato debbono dagli attuali intestatari essere « ad esse trasferiti ».

Summaria iuris expositio.

Ciò premesso, le disposizioni del Concordato, della legge e del regolamento possono riassumersi nei seguenti termini:

1. Lo Stato italiano riconosce la personalità giuridica delle Associazioni religiose nei limiti del suo territorio, delle colonie e degli altri territori soggetti alla sua sovranità.

Per conseguenza:

a) se un' Associazione religiosa abbia sede ed eserciti la sua attività esclusivamente in Italia, colonie, ecc., lo Stato italiano riconosce la personalità giuridica dell' intiera associazione;

b) se abbia sede in Italia ed eserciti la sua attività anche all'estero, oppure se abbia sede all'estero ed eserciti la sua attività anche in Italia, lo Stato italiano riconosce la personalità giuridica soltanto alla Provincia od alle Province religiose, che esercitino la loro attività in Italia, colonie, ecc., e nei limiti di questi territori, senza pregiudizio dell'attività che le stesse Province possono svolgere in luoghi di missioni;

c) alle Case aventi sede in Italia, colonie, ecc., lo Stato riconosce la loro personalità, quando dalle regole particolari dell'Ordine a cui appartengono risulti che esse hanno una propria capacità di acquistare e di possedere (can. 531 del *Codex iuris canonici*);

d) lo Stato italiano, inoltre, riconosce la personalità giuridica alle Case generalizie ed alle Procure delle Associazioni religiose, anche estere;

e) infine, le Associazioni o le case religiose che non hanno perduta la personalità giuridica per effetto delle leggi eversive, la conservano.

2. Le condizioni necessarie per ottenere il riconoscimento della personalità giuridica nei casi di cui sopra sono soltanto le seguenti:

a) che si tratti di Associazioni, Province o Case di diritto pontificio;

b) che siano rappresentate (e la rappresentanza, agli effetti civili patrimoniali, non sempre spetta alla stessa persona che riveste la qualifica di Superiore dell'Ordine, Provincia o Casa) di diritto e di fatto da persone che abbiano la cittadinanza italiana e siano in Italia domiciliate.

Questa seconda condizione non è necessaria per il riconoscimento delle Case generalizie e delle Procure delle Associazioni religiose, anche estere.

3. Gli atti relativi ai trasferimenti degli immobili, dei quali le Associazioni sono già in possesso, dagli attuali intestatari alle Associazioni stesse, sono esenti *da ogni tributo*. Questi termini amplissimi usati nel Concordato escludono non soltanto le tasse di bollo, registro ed ipotecarie degli atti di trasferimento, ma anche le tasse di concessione dei decreti di autorizzazione. Questa esenzione è in armonia anche colla dispo-

sizione contenuta nella lettera *h*) dello stesso articolo 29 del Concordato.

Nulla obligatio petendi civilem recognitionem.

Il Concordato nella citata disposizione dell'art. 29, lett. *b*), sancisce un favore e non un obbligo. Le Associazioni religiose non sono, quindi, obbligate a chiedere allo Stato il riconoscimento della personalità giuridica agli effetti civili.

Effectus seu commoda iuridica recognitionis.

Ottenuto il riconoscimento della personalità giuridica, l'Associazione potrà divenire legale proprietaria degli immobili, nei quali le dette associazioni hanno già pubblicamente la loro sede. L'intestazione di detti immobili all'Associazione eviterà alla medesima tutti gli oneri fiscali, spesso gravissimi, e tutti i pericoli ben noti derivanti dalle intestazioni individuali o collettive. Gli immobili, sedi delle Associazioni (e tali possono qualificarsi non soltanto gli immobili nei quali sono stabilite le sedi principali degli Istituti, ma anche quelli adibiti ad uso di villeggiatura, o di noviziato, o per riposo dei religiosi anziani, ecc.), saranno soggetti alle sole imposte fondiarie: e neppur saranno gravati dalla tassa di manomorta; giacchè, per la lettera *h*) dell'art. 29 del Concordato, che per tutti gli effetti tributari ha equiparato lo scopo di religione e di culto ai fini di beneficenza e di istruzione, sarà applicabile ai detti immobili il disposto dell'art. 7 della legge tributaria sulla *manomorta* 30 Dicembre 1923, n. 3271, che esenta da detta tassa le rendite presuntive delle case adibite all'uso immediato degli istituti di beneficenza o di istruzione.

Observatio de alienationibus.

È da notare che per l'art. 30 del Concordato le associazioni religiose hanno bisogno dell'autorizzazione dello Stato soltanto per gli acquisti, e non anche per le alienazioni ed in genere per gli atti eccedenti l'ordinaria amministrazione.

Tutti i Superiori degli Ordini ed Associazioni religiose di diritto pontificio, nel termine di due mesi dalla data della spedizione delle presenti istruzioni, invieranno alla Santa Sede, e per essa alla Sacra Congregazione dei Religiosi in Roma, un rapporto particolareggiato relativo al numero delle Province o Case che hanno in Italia; agli immobili nei quali risiedono, o che comunque possiedono; alle persone, istituti ed enti, ai quali detti immobili spettano in proprietà o sono comunque intestati. Dovranno, altresì, spiegare se possano soddisfare alla condizione, necessaria secondo il Concordato per ottenere dallo Stato il riconoscimento della personalità giuridica, di essere rappresentate di diritto e di fatto da persone che abbiano la cittadinanza italiana e risiedano in Italia. A tale effetto oc-

corre notare che *rappresentante* può essere persona diversa dal Superiore; che il Concordato richiede nel rappresentante la qualità di cittadino italiano e non di nato in Italia; e che la cittadinanza italiana può acquistarsi in uno dei modi previsti dalla legge 13 Giugno 1912, n. 555, modificata colla legge 31 Gennaio 1926, n. 108.

Relatio intra duos menses religionibus iuris Pontificii imperata.

Vi sono tra gli Ordini detti *mendicanti* alcuni (Cappuccini, Minori, ecc.), ai quali il diritto canonico vieta di avere la proprietà di qualsiasi bene ed anche delle case di residenza, la proprietà delle quale viene quindi riservata alla Santa Sede. In tali casi sarà concesso agli Ordini l'indulto pontificio perchè possano acquistare l'uso a tempo indeterminato delle dette case, rimanendo proprietaria la Santa Sede. Di tale riserva sarà fatta espressa menzione nell'atto di trasferimento degli immobili e ne sarà presa nota nella voltura catastale e nell'atto di trascrizione nell'Ufficio delle Ipoteche.

Dispositio peculiaris de Fr. Minoribus Capuccinis.

Altre speciali norme potranno darsi, caso per caso, dalla Sacra Congregazione dei Religiosi, tenendo presente anche il disposto del canone 1501 del *Codex iuris canonici*.

Aliae normae probabiles.

Roma, dalla Segreteria della Sacra Congregazione dei Religiosi, 6 Febbraio 1930.

(Dies 6 febr. 1930).

A. E. M. Card. Lépicier, O. S. M., *Prefetto.*

L. ✠ S.

Vinc. La Puma. *Segretario.*

Annotationes

1. Nomine *Associationum religiosarum* veniunt non modo ordines et congregationes religiosae proprie dictae, in quibus nempe tria essentialia vota publica sive sollemnia sive simplicia emittuntur, verum etiam eae societates quarum sodales, sive viri sive mulieres, in communi vivunt sine votis (cfr can. 487 ss., 673 ss.).

2. Quaelibet *Associatio religiosa* a competente auctoritate ecclesiastica instituta est vera et proprie dicta persona moralis ideoque capacitate iuridica gaudet (cfr can. 100). Hanc vero personalitatem iuridicam obtinent singulae quoque domus et provinciae, in quas forte unaquaeque Associatio religiosa divisa reperiatur.

3. Ratio personae moralis seu iuridicae obvenit Associationi religiosae (ordini, congregationi, societati etc.) *eo ipso* quod rite constituitur a competente Superiore ecclesiastico, i. e. ex concessione ipsius Ecclesiae, antecedenter et independenter a consensu aut beneplacito auctoritatis civilis. Agitur quippe de re, in qua potestas laica incompetens omnino est ex ipsa ordinatione divina.

4. Hinc manifestus atque perspicuus apparet verborum sensus tum art. 29 Concordati tum art. 8 Normarum (vulgo *Regolamento*) pro lege diei 27 mai 1929 applicanda.

Art. 29 Concordati statuit: « Sarà *riconosciuta* la personalità giuridica delle Associazioni religiose, con o senza voti.... ». Art. 8 Normarum decernit: « Il *riconoscimento* della personalità giuridica degli ordini e delle congregazioni, delle provincie e delle case religiose, è concesso su domanda dei rispettivi rappresentanti ».

Igitur Status *non concedit* iuridicam personalitatem, sed eam *recognoscit* dumtaxat, utpote iam concessam ab Ecclesia ideoque institutis religiosis, supposita eorundem legitima constitutione, connaturaliter competentem.

Quare probe distinguenda est *recognitio* personalitatis iuridicae ab eiusdem *concessione*.

5. Status autem, prospecto officio quo detinetur erga Ecclesiam, *debet* huiusmodi Associationes religiosas *recognoscere* prout ab Ecclesia institutae sunt, idest cum omnibus iuribus et privilegiis, etc. Idque ex ipso iure divino.

6. Personalitas iuridica non recognoscitur universim a Statu italico ex art. 29 Concordati, sed solum quoad Associationes religiosas « *approvate dalla Santa Sede* ». Quod profecto tristitia animum afficit. Quare exclusae manent congregationes et societates *iuris dioe-*

cesani. Verba « *approvate dalla Santa Sede* » eo sensu profecto sunt intelligenda, ut comprehendant omnes religiones aliasque societates *iuris pontificii,* sive formalem approbationem obtinuerint a S. Sede sive decretum laudis tantum (cfr can. 488, 3). Id, ceteris omissis, manifesto liquet ex toto contextu. Unde art. 8 Normarum 2 dec. 1929, n. 2262, recte loquitur de ordine et congregatione « *di diritto pontificio* », itemque memorat domus « *di diritto pontificio* ».

7. Iuridica personalitas *recognoscitur* a Statu italico intra ambitum territorii sui seu propriae potestati abnoxii. Quod ex ipsa rei natura, iure publico et internationali perspecto, evidens est.

Cetera ex ipsa Instructione S. Congregationis de Religiosis manifesta et perspicua sunt, quin explicatione opus sit.

FELIX M. CAPPELLO S. I.

---

24. — S. Cong. de Seminariis et Studiorum Universitatibus.

Litterae 28 aug. 1929

AD ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS DE STUDIIS ORIENTALIUM RERUM ET DE CATECHESI IN SEMINARIIS IMPENSIUS EXCOLENDIS.

(A. A. S., 3 mart. 1930, XXII, 146)

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Ut obsecundet studiis S. Pontificis de reconciliandis Orientalibus cum Eccl. Romana,

Quod catholicis hominibus semper fuit in votis ut quotquot in orientalibus regionibus a Romanae communione Sedis dissident ad eiusdem unitatem Ecclesiae Matris tam diu revocati se recipiant, id sane cum primis Ecclesiae universae Pastori ac Patri, Pio XI Pontifici Maximo, cordi est et curae praecipuae, tamque sollicitae ut iam inde a Pontificatus sui exordiis in id omnem operam studiumque contulerit. Cuius

quidem sollicitudinis documentum exstat praestantissimum in Encyclicis illis litteris *Rerum orientalium*, datis die 8 Septembris anni 1928, de studiis nimirum orientalium rerum provehendis.

S. C. vult:

Hisce igitur Pontificis Summi curis votisque obsecundans, Sacra haec ecclesiasticis studiis provehendis instituta Congregatio, nihil sibi praetermittendum statuit quod ad mutuam illam populorum ignorationem et despicientiam, atque, ex praeiudicatis praesertim opinionibus consecutam, diuturnam animorum alienationem tollendam conferre, penitioremque tum historiae, tum doctrinarum, ac theologiae, praesertim Orientalium cognitionem alere possit, quemadmodum eaedem Encyclicae litterae commendant, apud clericos potissimum ac sacerdotes.

Ut in theologiae curriculo peculiaris ratio habeatur quaestionum Orientalium;

Principio autem id generatim decernendum existimat haec Sacra Congregatio, ut in sacrae theologiae curriculo universo earum peculiaris ratio quaestionum ac rerum habeatur, quae ad orientales Ecclesias ac populos quoquomodo pertineant.

Quamquam enim maioribus tantum athenaeis sacris munus instituendi peculiares theologiae orientalis cursus, seu magisteria propria, attribuendum videtur, congruum est tamen ac paene necessarium, ut in ceteris quoque clericorum Seminariis, ubicumque iuvenum soboles in spem Ecclesiae adolescit studiisque sacris eruditur, id minime negligatur ut instructi paratique prodeant nonnulli saltem ad eam quoque Ecclesiae portionem excolendam, in qua primum christianum nomen exortum, fidei grandioribus factis inclaruit atque ad reliquum deinde terrarum orbem fama, virtute ac praedicatione processit.

Specialis commendatio facta magistris theol., hist. eccl. liturg.

Ii vero potissimum in orientalibus hisce studiis ponendam sibi operam arbitrentur, quibus vel sacrae theologiae vel historiae ecclesiasticae vel liturgiae magisterium fuerit proprie demandatum.

Exempla ex variis tractatibus.

Ita nempe, ut exemplo res pateat, in ea quae de fidei praeambulis, seu fundamento, est theologia, quam propterea *fundamentalem* vocamus explicanda atque illustranda, curent praeceptores ut quae contra primatum Romani Pontificis eiusdemque infallibile magisterium a dissidentibus Orientalibus obiici ac iactari solent, dilucide fortiterque disiiciantur, oppositis nimirum iis quae a catholicis doctoribus efficacius reponi consueverunt.

In reliqua item theologicae disciplinae parte, quam *specialem* appellamus, perspicue dissolvantur ab Orientalibus passim obiecta contra processionem Spiritus Sancti a secunda persona Ssmae Trinitatis, adiunctamque Symbolo fidei vocem *Filioque*, contra doctrinas item sive de Immaculato Virginis Deiparae conceptu, sive de Purgatorii veritate singillatim.

In theologia quae de Sacramentis est, fusius enucleentur quaecumque ad Baptismum, ad SS. Eucharistiam (ad quaestionem, ex. gr., de epiclesi) ad Sacramenta cetera spectant.

In Liturgia haud minus accurata diligentia quam veneratione et observantia rituum catholicorum diversitas explanetur.

In historia denique Ecclesiae ea presse enarrentur, quae de septem prioribus Conciliis Oecumenicis sunt, deque subsequentibus, Lugdunensi praecipue ac Florentino; neque illa omittenda quae deinceps Romani Pontifices ad unitatem redintegrandam inchoarunt ac perfecerunt, in primisque aetate nostra Pius IX sanctae recordationis, cum occasionem nactus Concilii Vaticani cogendi, orientales Episcopos paternis litteris invitavit, ac Leo XIII, immortalis item memoriae Pontifex, qui toties diuturni Pontificatus sui tempore, tam multa tamque sapienter in eundem finem instituit, ac denique Pius XI feliciter regnans, quem iisdem vestigiis tam alacriter insistentem conspicimus.

Atque haec quae summatim attigimus, satis declarant studia orientalia quanti sint momenti, quantique propterea intersit ut ab Ordinariis omnibus in scholis praesertim theologicis, ea quidem via ac ratione, quam diximus, provehantur in dies.

Quod si quis inter sacrae theologiae alumnos animi, doctrinae, ingenii laudibus se praecipue commendaverit, spemque fecerit bonam fore ut aliquid in utilitatem Orientalium aliquando conferre possit, id sibi locorum Ordinarii persuasum habeant nihil se Romano Pontifici gratius atque divini Regis Cordi sacratissimo sanctius acceptiusque facturos quam si eundem alumnum ad Institutum Orientale in Urbem transmiserint, studiorum curricula perfectius emensurum.

Gratum erit S. Pont. ut alumni selecti ad Institutum orientale mittantur.

Hanc opportunitatem nacta, Sacra Congregatio unum aliud urgendum existimat, ea etiam de causa, ne prae altioribus studiis humiliora quae videntur, at multo etiam maioris sunt reipsa necessitatis ac ponderis, neglegantur. Id autem est quod a sanctissimis Ecclesiae Pastoribus aliisque apostolicis viris tam saepe tamque impense commendatum accepimus quodque haec quidem ipsa Sacra Congregatio non semel nec segniter inculcavit, ut in singulis clericorum Seminariis, apud alumnos theologiae praesertim, schola seu magisterium instituatur ac rite foveatur de sacra catechesi proprium. Constat enimvero catechesim huiusmodi, prout est apta in primis ratio ac via christianae religionis rudimentis populum instituendi, totius veluti sacerdotalis ministerii fundamentum esse eiusdemque fructuum et progressionum causam praecipuam, nostris praesertim tem-

Inculcatur magisterium de sacra catechesi.

poribus, quae apostolicis verbis *tempora ignorantiae* vere dici possunt (*Act.*, XVII, 30). Hanc proh dolor! saepenumero neglectam videmus, et haud raro in implexa nimium vel obscura ratione, quae ad animos audientium alliciendum omnino sit impar, ineptissime tradi plebi christianae ac pueris ipsis prima religionis elementa: ut illud dolendum sit Ieremiae prophetae ingemiscentis: *Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret eis* (*Lam.*, IV, 4).

Illud igitur curent locorum Ordinarii ut, quod can. 1365 Codicis iuris canonici statuitur quodque idem epistola huius Congregationis, die 8 Septembris 1926 data, impense commendatur, sacrorum alumni qui in singulis dioecesibus ad spem Ecclesiae succrescunt, tum opportuniore via ac ratione imbuantur, tum vehementiore desiderio inflammentur christianae plebis ac iuventutis praesertim fidei nostrae elementis maiore cum fructu in dies erudiendae.

Votum ut de re doceatur S. Congr.

De iis denique omnibus quae in singulis Seminariis vel sancte instituta vel rite custodita et observata fuerint, ut harum litterarum satis utrique capiti fiat, gratissimum fecerint locorum Ordinarii si hanc Sacram Congregationem studiose docuerint.

Qua de re iam nunc Amplitudini tuae gratias agens quam maximas, omnia faustissima precor ex animo.

Dies (28 aug. 1929).

Romae, die 28 Augusti 1929.

C. Card. BISLETI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

E. RUFFINI, *Secretarius.*

---

25. — S. Poenitentiaria Apostolica *(Of. de Indul.)*

Responsa 13 et 23 ian. 1930

(A. A. S., 27 ian. 1930, XXII, 43)

I.

CIRCA INDULGENTIAM PORTIUNCULAE

Responsum 13 ian. 1930

Dubia.

Sacrae Poenitentiariae Apostolicae sequentia dubia pro opportuna solutione exhibita fuerunt:

I. An christifideles indulgentiam Portiunculae die secundo

mensis Augusti in una ecclesia et die dominico proxime insequenti, qui ad normam decreti Sacrae Poenitentiariae Apostolicae, diei 10 Iulii 1924, n. VII, substitutus fuerit, in alia ecclesia consequi valeant? *Indulgentia bis consequenda*

II. An verba eiusdem decreti sub n. IX « saltem sexies Pater, Ave et Gloria » ita intelligenda sint ut hae ipsae preces modo praeceptivo solvi debeant, vel integrum sit christifidelibus alias aequivalentes recitare? *Preces rectandae.*

Sacra Poenitentiaria Apostolica ad proposita dubia sic respondendum censuit: Ad I. *Affirmative;* ad II. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam. **Responsa.**

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 13 Ianuarii 1930. *Dies (13 ian. 1930).*

S. Luzio, *Regens.*

L. ✠ S.

S. de Angelis, *Substitutus.*

Annotatio

Binis responsis confirmantur quae scripsimus *Per.* XIII, p. 168. 169, in Annotationibus de Decreto 10 iul. 1924. Responso priore confirmatur mitigatio severioris *Motu Proprio* 9 iun. 1910 (*Per.*, V, 159), quo non poterat quis bis eadem concessione frui.

II.

Circa spiritualium gratiarum in constitutione « Auspicantibus » concessarum prorogationem.

Responsum 23 ian. 1930

Sacrae Poenitentiariae Apostolicae sequens dubium pluries exhibitum fuit pro opportuna solutione: **Dubium.**

« Utrum in Litteris Encyclicis *Quinquagesimo ante anno* die 23 Decembris 1929 datis, quibus Summus Pontifex Indulgentiam Iubilarem iam impertitam in Constitutione Apostolica *Auspicantibus Nobis* ad alios sex menses, nempe usque ad diem 30 Iunii 1930, prorogare dignatus est, prorogatae etiam censeantur aliae gratiae spirituales in memorata Constitutione concessae et praesertim Indulgentia plenaria quam Sacerdotes, Sacrum *De extensione prorogationis.*

litantes, in quolibet Missae Sacrificio acquirere et applicare possint, independenter a Missae applicatione, uni animae in Purgatorio detentae ab ipsis ad libitum designatae ».

Dies (14 ian. 1930). Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 14 Ianuarii 1930, re mature considerata, respondendum censuit:

Responsum. *Affirmative.*

Approbatio SS. Facta autem de praemissis relatione Ss.mo D. N. Pio divina Providentia Papae XI ab infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiore in audientia diei 17 Ianuarii 1930, idem Ss.mus Dominus responsum Sacrae Poenitentiariae benigne approbavit et confirmavit.

Dies (23 ian. 1930) Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 23 Ianuarii 1930.

L. Card. Lauri, *Poenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

I. Teodori, *S. P. Secretarius.*

Annotatio

Benigna ista mens Pontificis ipso modo quo in fine enc. litterarum *Quinquagesimo* prorogationem concedebat, nobis manifesta videbatur. Ceterum, sine ulla restrictione ipsam plenissimam veniam quam largitus erat « die 6 ianuarii 1929 declarabat iisdem condicionibus lucrandam » prorogare.

ACTA SUMMATIM RELATA

26. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Beatificatio martyrum Angliae.

A. - Brevi *Atrocissima*, 15 dec. 1929, SS. D. Beatos renuntiat 126 martyres in Anglia pro catholica, apostolica, romana Fede ac Romani Pontificis primatu, ab anno 1541-1680 necatos. In inscriptione nominantur IOANNES ROBERTS, sacerdos O. S. B.; IOANNES IONES, Sacerdos O. F. M., ROBERTUS SOUTHWELL, Sacerdos e S. I.; PHILIPPUS HOWARD, comes de Arundel, vir saecularis (A. A. S., XXII, 9).

Beatificatio martyris Ogilvie.

B. - Brevi *Pro tuenda*, 22 dec. 1929, SS. D. Beatum renuntiavit Ven. IOANNES OGILVIE, e Scotia, Sacerdos Professus S. I., qui 10 martii 1615 in Anglia martyrii palmam obtinuit (A. A. S. XXII, 20).

Chirographus ad Card. Gasparri.

C. - Die 7 febr. 1930, qua de Em. vir octo annos complevit ex quo SS. Domino adfuit a Secretis Status, SS. Pontifex, humanissimo chirographo merita eius agnoscens, gratias ei agit et bene auspicatur ut Praesidi Commissionis Cardinalitiae ad Codicem Orientalem praeparandum, propter quod officium, Secretariae Status valedicere permittitur (A. A. S., XXII, 96).

Chirographus ad Card. Pacelli.

D. - Eadem die 7 februarii 1930, SS. D. N., chirographo quo eius laudat pietatem et dotes Em. Card. EUGENIUM PACELLI a Secretis Status nominat (A. A. S., XXII, 98).

Epist. ad Card. Vannutelli.

E. - Epistola 26 ianuarii 1930, SS. D., summarie eius vitae curriculum recolens, impense gratulatur Ill. Cardinali VINCENTIO VANNUTELLI, Sacri Collegii Decano, quinquagesimum episcopatus eius anniversarium (A. A. S., XXII, 132)

Circumscriptio dioec. de Meliapor.

F. - *Litterae de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus.*

1. Bulla *Universi*, 1 maii 1929, SS. D. Pius Pp. XI, diviso in tres partes territorio dioecesis de *Paraguay* seu *SS. Assumptionis*, hanc, a metropolitico Bonaerensis archidioecesis iure exemptam, in metropolitanam erigit, cui suffraganeae erunt duae novae dioeceses *de Villarica* et *de Concepción et Chaco* e dismembrata dioecesi SS. Assumptionis erectae (A.A.S., XX, 115).

Erectio novae Prov. eccl. de Paraguay.

2. Bulla *Quae ad spirituale*, 3 iulii 1929, SS. D. N. dioecesim S. Thomae de Meliapor noviter circumscribit (A.A.S., XXII, 121).

27. — S. Congregatio Consistorialis

Immutatio finium.

Dioceses Patavina et Tarvisina.

Decreto 14 septembris 1929, S. C. Consistorialis immutavit fines dioecesium Patavinae et Tarvisinae. (A. A. S., XXII, 25).

28. — S. C. pro Ecclesia Orientali

Abbatia et paroecia graeca Cryptoferratensis immediate S. C. subicitur.

Decreto *Quanta*, 19 maii 1929, abbatiam Cryptoferratensem et coniunctam paroeciam graecam S. Mariae a Gratiis a territorio dioecesis Tusculanae separatur atque immediate et directe uni S. Congr. pro Ecclesia Orientali « tamquam Ordinario proprio » subicitur. Variae vices Abbatiae et paroeciae retexuntur, ac fines abbatiae et paroeciae graecae statuuntur (A. A. S., XXII, 134).

Sacerdos suspensus.

2. Pro norma Ordinariorum notum fit sacerdotem graeci melchitici ritus MINAS NAMMAR, suspensum esse a divinis quia noluit oboedire mandato repetendi suum montis Libani monasterium (A. A. S., XXII, 110).

29. — S. Congregatio Concilii

Sacerdos privatus habitu ecclesiastico.

Die 22 feb. 1930, S. C. Concilii notificat sacerdotem NICOLÒ TERMINI, archidioecesis Montis Regalis in Sicilia, ob gravissimas rationes privatum esse iure ferendi habitum ecclesiasticum et conexis iuribus et privilegiis ad normam ss. canonum (A. A. S., XXII, 138).

30. — S. Congregatio Rituum

Causae Beatificationis et Canoniziationis.

Ven. Ioannes Ogilbaei.

I. *Glasguen.* — Decretum 30 Novembris 1929, super martyrio causa Beatificationis seu declarationis martyrii Venerabilis Servi Dei Ioannis Ogilbaei, sacerdotis professi Sociatatis Iesu, in Scotia in odium Fidei interempti (A. A. S., XXII, 1930, 32).

Martyres Angliae.

II. *Westmonasterien.* — Decretum 15 Decembris 1929, super martyrio in causa Beatificationis seu declarationis martyrii Venerabilium Servorum Dei Thomae Hemerford, sac. saec.; Ioannis Roberts, sac. O. S. B.; Ioannis Jones, sac. O. F. Minorum; Roberti Southwell, sac. Societatis Iesu; Philippi Howard, comitis de Arundel et sociorum, in odium Fidei, in Anglia interfectorum (A. A. S., XXII, 1930, 34).

III. *Westmonasterien.* — Decretum 15 Decembris 1929 super TUTO in causa Beatificationis seu declarationis martyrii Venerabilium Servorum Dei Thomae Hemerford, sac. saec.; Ioannis Roberts, sac. O. S. Benedicti; Ioannis Jones, sac. O. F. Minorum; Roberti Southwell, sac. Societatis Iesu; Philippi Howard, comitis de Arundel, et Sociorum, in odium Fidei in Anglia interfectorum. (A. A. S., XXII, 1930, 38). *Martyres Angliae.*

IV. *Glasguen.* — Decretum 15 Decembris 1929 super TUTO in causa Beatificationis seu declarationis martyrii Venerabilis Servi Dei Ioannis Ogilbaei, sacerdotis professi Societatis Iesu, in Scotia in odium Fidei interempti (A. A. S., XXII, 1930, 40). *Ven. Ioannes Ogilbaei.*

31. — Provisio Ecclesiarum

Decretis S. Congregationis Consistorialis nominati sunt:

16 ian. 1930, R. D. Augustinus Barrère, cathedrali ecclesiae Tucumanensi. *Tucumàn (Argentina)*

17 ian. 1930, R. D. Franciscus J. Beckman, ex ep. Lincolnensi, metropolitanae ecclesiae Dubuquensi. *Dubuque (S. U. A.).*

20 ian. 1930, R. D. Gaudentius Binaschi, cathedrali ecclesiae Pineroliensi. *Pinerolo (Italia).*

29 ian. 1930, R. D. Adeodatus a Sancto Joseph, metropolitanae ecclesiae Beneventanae. *Benevento (Italia).*

30 ian. 1930, R. D. Iacobus Carolus Mac Guigan, metropolitanae ecclesiae Reginatensi. *Regina (Canadà).*

30 ian. 1930, R. D. Dionysius O' Connor, cathedrali ecclesiae Peterboroughensi. *Peterborough (Canadà).*

30 ian. R. D. Gerardus Murray, cathedrali ecclesiae Victoriensi, in insula Vancouver. *Victoria (Canadà).*

5 feb. 1930, R. D. Antonius Garcia y Garcia, cathedrali ecclesiae Tudensi. *Tuy (Spagna).*

6 feb. 1930, R. D. Ioannes Sismondo, cathedrali ecclesiae Apuanae. *Pontremoli (Italia).*

14 feb. 1930, R. D. Vincentius Camacho, cathedrali ecclesiae Tabasquensi. *Tabasco (Messico).*

32. — Necrologium

9 dec. 1929, Enricus Cleary, episcopus Aucopolitanus. *Auckland.*

23 ian. 1930, Aemilius Ferrais, archiepiscopus Catanensis. *Catania.*

1 feb. 1930, Adolfus Pagani, episcopus Comensis. *Como*

9 feb. 1930, Augustinus Bludau, episcopus Varmiensis. *Warmia.*

22 feb. 1930, Em. Card. Carolus Perosi. *Roma.*

26 feb. 1930, Em. Card. Raphaël Merry Del Val. *Roma.*

BIBLIOGRAPHIA

I. *Ex libris.*

Merkellach H. (O. P.). *Quaestiones de castitate et luxuria.* Vol. (15×21) Pag. 132, Liége, La Pensée Catholique, 1929.

De organis genitalibus et de generatione notiones physiologicae. — De castitate et luxuria principia theologica. — De luxuria consummata iuxta naturam. — De luxuria consummata contra naturam. — De luxuria interna. — De causis et remediis luxuriae. — De coniugibus in usu matrimonii.

*** *Eugénisme, Stérilisation — Leur valeur morale.* Vol. (12×18), Pag. 61, Paris, Editions Spes, Prix fr. 2,50.

Jordan Edouard: *L'Eugénisme.* — **Viollet:** *L'Eugénisme et la doctrine de l'Église.* — **Tiberghien:** *La Stérilisation au point de vue moral.*

Sidney Joseph Turner (C. P.). *The Vow of Poverty.* Vol. (14×23) Pag. XXXI - 217, Washington, D. C., The Catholic University of America, 1929.

Historical development of the Vow of Poverty: From the Beginning until the Third Century. Evangelical Poverty in Eastern Monasticism. Evangelical Poverty in Western Religious. Evangelical Poverty in Simple Vow Institutes. — Development of canonical legislation on the Vow of Poverty: Pre - Tridentine Legislation Decrees of Trent relative to Evangelical Poverty. Post-Tridentine legislation until the Nineteenth Century. — The Era of the Simple Vow of Poverty. The Vow of Poverty in general — Canon 593. — The novice and the practice of evangelical poverty — Canon 568. — The simple Vow of Poverty: Administration, Use and Usufruct of Capital. Ownership. Abdication of Ownership, during Life — Canon 583, 1°. Disposition of Property, after Death. — The solemn Vow of Poverty: Renunciation of Property Canon 581 § § 1 and 2. Acquisition of Property — Canon 582 § § 1 and 2. — The Common Life: Observance of the Common Life — Canon 584 § § § 1, 2, 3. Violation of the Common Life — Canon 2389.

Woods Henry, (S. I.) *Nature's protest against counter - conceptives.* Vol. (13—17) Pag. 43, California, University of Santa Clara, 1929.

State of the Question. — Wounding, Frustration, Perversion. — Pleasure, a Motive, an End. — Counter-conceptives and Lying. — The Conjugal Union. — Marriage — Its Secondary Ends. — How to propose this Doctrine.

Matteo Conte a Coronata, (O. M. Cap). *De moderatore et cappellano in fidelium associationibus.* Vol (18×25) Pag. 25, Roma, 1929.

Canaletti Gaudenti Alberto. *Elementi di Economia Politica ad uso degli Istituti Medi Superiori.* Vol. (13×20) Pag. VI-241, Milano, Albrighi, Segati, 1030. Venit lib. 10.

Prefazione. — Dell'economia politica in generale e della sua ripartizione. — Sguardo generale alla storia economica. — I bisogni e i beni. — L'utilità e il valore. — Il prezzo, il costo e il principio dell'equilibrio economico. — Dei fattori della produzione. — Dell'impresa e della sua organizzazione. — Dei regimi economici. — La distribuzione della ricchezza e la teoria della popolazione. — Il movimento operaio. — La moneta e i fenomeni della circolazione. — I surrogati della moneta ed il cambio. — Il credito, le banche e le operazioni di borsa. — I mezzi di trasporto e di comunicazione. — La teoria del commercio internazionale. — Di alcuni fenomeni demografici e sociali in rapporto alla produzione, distribuzione e scambio delle ricchezze. Le crisi economiche. — La teoria del consumo e i principî fondamentali dell'economia finanziaria. — Il bilancio italiano dello Stato e degli Enti autarchici.

Rosmini Antonio. *Saggio sul Comunismo e sul Socialismo.* Vol. (13×18) Pag. 85, Roma, A. Signorelli, 1930, Venit lib. 6.

Dalla Costa Elia (Ill. D.). *Ricordi di un sinodo.* Vol. (12×18) Pag. 214, Padova, Gregoriana, 1930.

Il fine del sacerdote. — I vostri doveri. — Le vostre virtù. — I vostri ministeri. — In casa e in chiesa. — Conclusione.

Leonardi G. (S. I.) *Spiriti.* Vol. (12×18) Pag. XIV, 799, Padova, Gregoriana, 1930.

Distinzione di una triplice natura spirituale, e duplice senso in cui si prende la parola « spirito ». Della operazione in generale dello spirito divino, dello spirito diabolico e dello spirito umano sopra l'anima nostra. — Della natura diversa delle tentazioni, secondo la diversità della loro origine. — Dilucidazioni e dottrina intorno a ciò che ora si chiama « **spiritismo** ». — Segni da cui riconoscere con certezza essere la nostra mente guidata dallo spirito divino. — Segni da cui riconoscere con certezza essere la nostra mente guidata dallo spirito diabolico. — Segni da cui riconoscere con certezza che la nostra volontà

è mossa dallo spirito divino. — Segni per riconoscere con certezza che la nostra volontà è mossa dallo spirito diabolico. — Segni dubbiosi, se dallo spirito divino ovvero dal diabolico provengano alcuni pensieri e moti dell'anima umana. — Forme particolari con cui opera sopra l'anima nostra lo spirito buono. — Forme diverse con cui opera sopra l'anima nostra lo spirito cattivo. — Illusioni operate dallo spirito cattivo nel campo della pietà. — Illusioni operate dallo spirito cattivo nel campo delle virtù e dei vizi. — Illusioni operate dallo spirito cattivo nel campo sociale, nel campo della Chiesa. — Caratteri diversi, da cui riconoscere la operazione su noi dello spirito umano. - Che cosa sono le passioni umane e come esse sono da combattere. — Come si può conoscere la passione principale e come si può vincere. — La regola delle nostre orazioni e la tranquillità dell'anima. — La maniera pratica per arrivare al sommo della santità.

Dabin Paul, (S. I.). *L'action catholique.* Vol. (13×18) Pag. 189, Paris, Bloud-Gay.

Définition. — L'agent réalisateur: le Laïcat. — L'élément directeur: la Hiérarchie. — Le but de l'Action catholique. — L'objet de l'Action catholique. — L'ordre de la charité. — L'Action catholique et le « problème » de l'union des catholiques.

D. S. B. *Vie de la Mère Anne Régis Filliat.* Vol. (13 × 18) Pag. X - 353, Paris, Téqui, 1929, Prix fr. 15.

Préface. — Enfance; Jeunesse. — La grâce d'Ars. — Débuts en religion. Éducatrice. — Premier supériorat; Premier triennat. — Premier gouvernement, Deuxième triennat. — Opportunité de l'écrit sur l'éducation. - Économe, assistante et directrice. — Deuxième supériorat; Premier triennat. Deuxième supériorat; Deuxième triennat. — L'épreuve. — Supérieure à Vaissieux. — Retour à Fourvière. — Directrice à Nouveau. - Dernier supériorat. — Les vertus. — Fin d'exil.

Meunier G. *Monsieur Bouray le Vincent de Paul de la Touraine* (1549 - 1651). Vol. (12 × 18) Pag. XI - 178, Paris. Téqui, 1929, Prix fr. 9.

Avant - Propos. — La belle vie de monsieur Bouray. — L'institut des Augustines Hospitalières après la mort de monsieur Bouray. — Survivance de l'Institut en Touraine.

Launay Adrien (M. E.). *Les bienheureux martyrs des Missions étrangères.* Vol. (14×22) Pag. 251, Paris, Téqui, 1929, Prix fr. 15.

Béatification. Noms des BB. Martyrs. — L'enfance et la Jeunesse. — La vocation. - Le séminaire des Missions Étran-

gères. — De France en Mission. — Les missions. — La vie apostolique. — Les évêques. — L'emprisonnement. — Le martyre. — Vertus et dévotions. — Faits extraordinaires et miracles. - Le sang des martyrs.

*** *Mère Marie de la Passion religieuse Franciscaine de Sainte Marie des Anges.* Vol. (12×18) Pag. 200, Paris, Téqui, 1929 Prix fr. 9.

L'enfance. - Départ définitif de Cognac; Marie à l'âge ingrat. - Dix-huit ans; La passion de la musique; La Hantise. - La guerre; La voix de la souffrance. - La vocation. - Au couvent - Le postulat - Les doutes - La prise d'habit - Le départ d'Hélène pour l'Italie - Son passage à l'Esvière - La novice parfaite. - La profession - Première maladie - Hyères. - Les grands voeux - Visite à sa famille. - La montée au Calvaire - Dernières luttes. - Nous avons perdu une Sainte - Les témoignages. — Épilogue.

Joannes G. *Les Audiences divines et la Voix de Dieu dans les êtres et les choses.* Vol. (13×18) Pag. XXIX - 255, Paris, Téqui, 1930, Prix fr. 12.

Préface. — Introduction. — Les audiences divines dans le seul à seul de l'âme avec Dieu. — L'ascension vers les audiences divines dans les célestes avions. Pour parvenir aux audiences divines, faut-il renoncer effectivement à tout? — La voix de Dieu dans les êtres et dans les choses. — La voix de la nature. — Le voix de Lourdes. — Épilogue.

Hynek R. W. *Konnesreuth à la lumière de la science médicale et psychologique.* Vol. (12×18) Pag. V - 197, Paris, Téqui, 1928, Prix fr. 9.

Préface. — Les témoins de la passion du Christ. — Les derniers stigmatisés. — Mes visites à Konnersreuth. — L'authenticité des stigmates. — Les concordances entre les stigmatisés. — Que faire de Thérèse? — Quelques reccomandations.

Legrand Georges. *St. François d'Assise et nous.* Vol. (12×17) Pag. 28, Paris, Giraudon, 1929.

Vanden Bosch G. (SS. Cord.) *Chemin de Croix apostolique.* Vol. (10x16) Pag. 32, Louvain, De Vlaamsche Drukkerij, 1929.

Fasso Silvio. *La via regia del Paradiso nella via della Croce.* Vol. (12×17) Pag. 126, Udine, Tipografia Commerciale, 1928, Venit lib. 2.

Introduzione. — Per le anime sante del Purgatorio. — La via Crucis e le missioni cattoliche. — Per gli afflitti, infermi, moribondi. — La via Crucis e la SS. Eucaristia. — La via

Crucis e la perfezione cristiana. — La via Crucis e la confessione. — La via Crucis per il Sacerdozio. — Il Rosario delle S. Piaghe. — La coroncina al S. Cuore di Maria Addolorata. — I sette dolori di Maria V.

**** Ordo Divini Officii recitandi sacrique peragendi iuxta Kalendarium Ecclesiae universalis pro anno Domini 1930.* Vol. (13×19) Pag. 118, Torino, Marietti, 1929. Venit lib. 3.

Ex Periodicis

Apollinaris, 1930. DAMEN C. (C. SS. R.). De irritatione et suspensione votorum spectato iure antiquo et novo. – JANASIK. De nova lege polonica matrimoniali. — D'ANGELO. De clericis « ecclesiae addictis » iuxta can. 1233, § 1.

Benediktinische Monatschrift, 1930. SCHMITT A. Stellung und Aufgabe des Abtes nach den Briefen Papst Gregors d. Gr. — BIELMEIER A. Das Ideal der Freundschaft im Spiegel alter Liturgien. — ROTHENHÄUSLER M. Conversatio morum.

Collationes Brugenses, 1930. *** Notabilia de theologia mystica et unione cum Deo. — WILLEMS ST. De iure servitutis. — BRYS I. De vacatione legis. De oblationibus liberis. — CALLEWAERT C. De missa exsequiali.

Collationes Gandavenses, 1930. CLAEYS BOÚÚAERT F. C. De concilianda Ecclesiae pristina severitate in materia fenoris, cum eiusdem hodierna indulgentia. BLATON F. Notio legis universim sumptae. – MANNAERT V. De ministrandis sacramentis mulieri infirmae, quae publice noscitur vivere cum marito alterius feminae.

Collationes Namurcenses, 1930. QUESTIAUX F. De atheismo. — E. R. Corruption.

Collationes Tornacenses, 1930. MALHERBE G. L'orientation des navires symboles de l'Église. — *** De analgesi et anaesthesi. Formes de l'apostolat patriotique.

Collectanea Mechliniensia, 1930. GOUGNARD A. De poenis contra apostatas et haereticos.

Commentarium pro religiosis, 1930. LARRAONA A. Commentarium Codicis. Can. 521. — GOYENECHE S. Varia. — TABERA A. Litteratura canonico religiosa apud auctores. — RAUS I. (C. SS. R). De principio quasi-possessionis.

Il Diritto Ecclesiastico, 1930. LUIGI CORNAGGIA MEDICI. I capaci alla copula che si conoscono incapaci alla generazione possono validamente contrarre matrimonio? — C. BERNARDINI. L'art. 22 della legge 27 maggio 1929 n. 847 per l'applicazione

del Concordato nella parte relativa al matrimonio. — C. Badii. Del matrimonio. — Arendt P. G. (S. J.). Risposta a mons. Cornaggia Medici.

Ephemerides Liturgicae 1930. Hanssens I., (S. I.). Le premier commentaire d'Amalaire sur la messe? De societate cui nomen « Amici Catacumbarum ». — R. Pasté. De ecclesiastico officio patrum Predicatorum. — Tirozzi V. De missa exsequiali, absolutione feretri, officio defunctorum, etc. — P. B. De quadam instructione pro tonsuram et ordines recepturis. De patina adhibenda in sacrae Communionis distributione.

Estudios Ecclesiasticos, 1930. Ehrle Card. F. (S. I.). Los manuscritos vaticanos de los teólogos salmantinos del sieglo XVI.

Estudis Franciscans, 1930. Michaël a Neukirch, O. M. C. Nova controversiae solutio de Subdiaconatu ac de quatuor Ordinibus Minoribus. — Hilarin Felder, O. M. C. Les études dans l'Ordre des Capucins au premier siècle de son histoire.

Gregorianum, 1929. Lohn L. (S. I.). Doctrina S. Basilii M. de processionibus divinarum personarum. — Hocedez E. (S. I.). Deux questions touchant la distinction réelle entre l'essence et l'existence. — De Elorriaga A. M. (S. I.). De la afirmación del objeto formal en el acto de fe divina. — Pelster F. (S. I.). Beiträge zur Chronologie der Quodlibeta des hl. Thomas von Aquin. III. Das Quodlibet 9. — d'Alès A. (S. I.). L'Ambrosiaster et Zénon de Vérone. — Teixidor A. (S. I.). De mente S. Augustini circa timorem servilem.

Il Monitore Ecclesiastico, 1930. *** Del giuspatronato nel rinnovarsi la circoscrizione parrocchiale.

Perfice Munus, 1930. A. Gennaro, S. S. Se la censura contro i violatori del sigillo sacramentale sia latae sententiae o ferendae sententiae. Matrimonio colla figlia della concubina. Applicazione della Comunione del sacerdote celebrante. De usu notitiae sacramentalis ad externam gubernationem. — E. Benedetti. Circa l'esenzione dei Regolari dalle leggi diocesane. — G. Lardone. Canto di donne in Chiesa. Religioso incardinato in una diocesi. Imperizia e moralità. — *** Norme di buona convivenza. L'ufficio catechistico diocesano. — Testore C. (S. I.). Coordinazione delle opere Pontificie Missionarie. Una istituzione provvidenziale. — Vaudagnotti A. Piccolo dizionario Apologetico.

Palestra del Clero. 1930. Matteo Conte da Coronata, O. M. C. Intenzione abituale nell'applicazione di Messe. Censura contro delinquenti ignoti e assoluzione di chi vi è incorso. Binazione e stipendio. — Vito P. Funerali di espatriati nel

loro paese di origine. La costituzione della dote nelle parrocchie divise. Alienazione di beni immobili lasciati per testamento. Delega per celebrazione di matrimonio nella chiesa di un convento. — Norme pratiche per la celebrazione del matrimonio: Le pubblicazioni. - Il giuramento suppletorio. — Note pratiche sulla celebrazione del matrimonio: gli impedimenti civili. Debiti contratti per l'erezione di una nuova chiesa parrocchiale e il parroco successore. - La comunione agli infermi all'insaputa del parroco. — FERRETTI (MGR.) LUIGI. Firma dell'atto matrimoniale. - ROVEDA (MGR.) FERDINANDO. Origini e natura dell'Azione Cattolica. — BUTTIGNONI G. L'assoluzione di peccati già assolti. Intenzione per il Battesimo. Dispensa a « rato et non consummato » carpita e sue conseguenze. - GRAZIOLI (MGR.) ANGELO. Il peccato in sextum. - Le tentazioni in sextum. - Il consentimento nelle tentazioni contra sextum. — MANCINI A. Deposito diventato eredità giacente. Dell'obbligo di restituzione nel caso di un errore di contabilità. Valore di un battesimo. L'ascetica di D. Bosco. Sulla devozione al Cuore Eucaristico di Gesù e festa relativa. L'aborto come mezzo terapeutico. Il Cuore eucaristico di Gesù: rettifiche. Il probabilismo e lo sviluppo scientifico della Teologia Morale. Una questione testamentaria. Assoluzione in presentimento di morte. — PICCINI G. Confessore ordinario delle religiose. A quali comunità religiose si debba assegnare il confessore ordinario. — FANELLI N. La porzione parrocchiale. — COLOMBINI DANTE. L'amministrazione ecclesiastica dei benefici: Il deposito dei titoli e dei valori. - La cauzione. - Eredità ad una chiesa pubblica. — MONETTI GIULIO. Alle origini della società e dell'autorità civile. — G. MASI. Il Cuore Eucaristico di Gesù: osservazioni. — GIOVANNI VERLA. Difficoltà sulla educazione sessuale, e risposta.

Pastor bonus, 1930. WEHR M. Absolution Kirchlicher Zensuren. SCHNETTLER. Seelsorge und Seelsorgshilfe nach dem Vorbilde Christi. — Dr. SCHULER. Zur Lösung der römischen Frage. — P. M. GIERENS. Kann die Zugehörigkeit zu waffenstudentischen Korporationem sittlich erlaubt sein?

Theologisch-praktische Quartalschrift, 1928. Dr. LEOP. KOPLER. Clerus und Politik. — J. KNOR. Rassenhygiene. — OTTO KEBLER. Die Güte und Milde in der Seelsorge. — Dr. HERIBERT JONE, O. M. C. Taufe von Kindern aus protestantisch geschlossenen Mischehen. - Eheassistenz. - Error communis und Absolution von Reservaten. - Fastendispens für peregrini. — J. HARING. Delegatio implicita vel praesumpta. — GROSAM Dr. W.

Willst du getauft werden? – KATHREIN VIKTOR, S. I. Ehrfurcht und Erziehung. – SCHLUND ERHARD, O. F. M. Die Katholische Aktion. DAUSEND HUGO, O. F. M. Die liturgische Bewegung unter den deutschen Katholiken. – GROSAM JOSEF. Die Sterilisation auf Grund privater Autorität und auf Grund gezetzlicher Ermächtigung. — ALLGEIER ARTHUR. Neuere Arbeiten zur Erforschung der Vulgata. – REINHOLD GEORG. Uber das Hellsehen. UMBERG JOH. B. Dürfen gutgläubigen Schismatikern die Sterbesakramente und das kirchliche Begräbnis gewahrt werden? — SCHMITT A., (S. I.) Zur Auslegung des Fastenindultes. Die katholisch-soziale Tagung in Wien. — MAYR JOACHIM. Sozialer Ehekasus. — GLASER JOS., C. SS. R. Variationen des Wortsinnes und Kodexauslegung. — FATTINGER RUDOLF. Ist pasteurisierter Naturwein materia valida et licita consecrationis? — STEINEN PET. AL. S. I. Bewilligungen und Entscheidungen in Sachen der Ablässe.

Le Recrutement sacerdotal, 1930. Lettre de son Éminence le Cardinal Verdier au directeur de la revue. — P. LIETIER. En hommage. — C. GREGOUT. Le Ve congrès national du recrutement sacerdotal de Nancy. — P. POURRAT. La doctrine de l'école française sur le sacerdoce. — ROUFFIAC E. Au soir de la vie sacerdotale. — NEVEUT E. Le recrutement sacerdotal en Afrique, au temps de Saint Augustin. — GAUTHEROT J. La culture humaine d'après les méthodes modernes.

Resena ecclesiástica, 1928. SANABRE JOSÉ. Los Sinodos diocesanos en Barcelona. — ALUJAS MOISÉS, PREV. El Sinode diocesano.

Revue de l'Aucam 1930. DURIEUX ANDRÉ. Le Congo belge et le péril communiste. — *** Ligue pour la protection de l'enfance noire au Congo. — LOUIS DE NAUROIS. Les missions protestantes. — DUTILLEUX G. Quelques remarques au sujet l'action sociale en Afrique du Nord. – VLAEMINCK J. Les castes aux Indes. — MGR. LADEUZE. La collaboration entre les Missions et les Universités. — A. HUBLOU. L'organisation ouvrière aux Indes. – Le glissement du mouvement syndacaliste indien vers le bolchevisme. — PIERRE CHARLES, S. I. Missionnaires et administrateurs en Afrique.

Revue des communautés religieuses, 1930. HENRARD P. La confession fréquente. – JOMBART É. Sortie de la religion à l'expiration des voeux temporaires. — Le renvoi au cours des voeux temporaires. — Exclaustration et sécularisation. — Questionnaire pour visite canonique. – CREUSEN J. Pie XI et

les religieux. — Disposition des biens. — BROUILLARD R. La confession fréquente. — Infirmières et anesthésiques.

Revue ecclésiastique de Liége, 1930. KISELSTEIN G. Confesseurs et récidivistes. - De obligatione restituendi ob culpam iuridicam. — A propos du contrat de travail. — De peccato abortus. Notio mendacii. — PHILIPS G. Hors de l'Église point de salut. — SIMENON G. Territorialitas legum. — VIEUYEAN J. Inquieta adolescentia. — LEROUX E. De metu eiusque influxu in moralitatem actuum. De violentia eiusque influxu in moralitatem actuum.

Nouvelle Revue Théologique, 1930. MULLER ALBERT, S. I. L'Église et la question syndicale a propos d'un récent document. — HONORÉ L, S. I. Le Concordat entre la Saint-Siège et le royaume de Roumanie. — J. THEISSEN. La première communion des enfants. — J. SALSMANS, S. I. Donner ou différer l'absolution? — JOS. PAUWELS, S. I. Consultations liturgiques. — CHARLES PIERRE (S. I.). La philosophie du primitif. VAN HOVE A. La convention entre le Saint-Siège et la Prusse. — VALENSIN ALB. (S. I.). Les directives de l'encyclique « Mens nostra ». — MARÉCHAL J. (S. I.). La vision de Dieu au sommet de la contemplation d'après S. Augustin. — SALSMANS J. (S. I.). Pour votre salutaire pénitence. — JOMBART É. (S. I.). Église et Chapelle.

Nederlandsche Katholieke Stemmen, 1930. DR. L. BENDER, O. P. Materieele samenwerking aan het kwaad. III. — A. C. M. S. Cumulatie van privilegium huius anni personale en privilegium altaris. — De assistentia matrimoniali. — Kunnen clerici theologi adscripti piae unioni pro missionibus om 12 u. anticipeeren?. — Notanda quaedam ad Ius novissimum in Codice et post Codicem. — Verschillende vragen over het jubilé van dit jaar. — Disparitas. — T. TER HAAR, C. SS. R. De officio Confessarii quoad procationes mixtas. II. — M. VAN GRINSVEN, C. SS. R. - De « universa » prole catholice tantum baptizanda et educanda. — DR. F. A. SCHWEIGMAN, O. P. Hugo de Groot's theorie van de noodweer. — M. O. S. Executeur-Testamentair. — DR. H. BEIJERSBERGEN, S. I. Een antwoord van de Commissio codicis omtrent het « impedimentum publicae honestatis ». — Abortus als oorzaak van censuur en irregulariteit. — METS H. TH. Van Brood en Wijngave tot Stipendium. — V. G. Het ontbijt op vastendagen volgens de « probata consuetudo ». Heilig Uur.

PARS ALTERA

MONUMENTA

33. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Litt. enc. " Ad salutem ,, 20 apr. 1930

DE SANCTO AUGUSTINO

(A. A. S., 1 maii 1930, XXII, 201)

I. Summa Enc. litterarum.

Novis suis litteris encyclicis « *Ad salutem* » Summus Pontifex Pius XI Orbi universo S. Augustinum episcopum Hipponensem et Ecclesiae doctorem millesimo et quingentesimo ab eius obitu exeunte anno ut doctrinae magistrum et sanctae vitae exemplar amplissime commendat.

Ad modum introductionis, character evidenter providentialis electionis divinae Augustinum praeparantis donisque eum cumulantis, ostenditur. « Quem quidem divinae Providentiae delectum multo, quam in plerosque, exquisitiorem liquet in Augustinum Tagastensem cecidisse, qui, cum et lucerna super candelabrum posita et cuiusvis eversor haeresis et aeternae dux salutis aequalibus suis apparuisset, non modo, saeculorum decursu, christifideles docere et consolari perrexit, verum nostra hac etiam aetate ad id summopere confert, ut fidei apud ipsos splendere veritas et divina item caritas flagrare ne desinat. » Quod confirmatur

eximiis continuisque laudibus, quibus Summi Pontifices opera S. Doctoris ornaverunt, quas tamen laudes referendo Pius XI monet « recte esse intellegendas, non ita scilicet — quemadmodum nonnulli, catholici sensus expertes, censuerunt — ut Augustini loquentis auctoritas supremae ipsi Ecclesiae docentis auctoritati anteferatur. »

Corpus Encyclicae facile in tres partes dispesci posse videtur: primum de praeparatione S. Doctoris, deinde de doctrina eius, tandem de sanctitate eius dicitur.

§ 1. **Praeparatio**

Primum narratur historia Augustini in miserias vitiorum et errorum prolabentis. « Adulescens vero, cum a matre abesset ethnicosque magistros audiret, ea de causa sivit Altissimus ut, de pristina remittens pietate, voluptatibus corporis infeliciter serviret seque in Manichaeorum laqueos indueret, quorum sectam novem ferme secutus est annos, ut scilicet, qui Gratiae Doctor futurus esset, is experiundo disceret et posteritati traderet, quanta animus vel nobilissimus imbecillitate ac fragilitate laboret, nisi christianae institutionis praesidio et assiduitate precum in via virtutis firmetur, per eam potissimum aetatem, cum et spiritus erroribus facilius allicitur ac delenitur, et primis sensuum motibus perturbatur animus; itemque idcirco sivit, ut ipso usu perciperet noster, quam miser ille sit, qui creatis rebus explere se atque exsatiare contendit. »

At filius lacrymarum S. Monicae non poterat perire. Dum enim audiebat sermones Ambrosii, Augustinus, manu mitissima Dei cor eius pertractante, paulatim intellexit tantam auctoritatem Ecclesiae catholicae advenisse non per aliam causam nisi per

voluntatem et adiutorium divinae Providentiae, ac ideo iterum ad fidem catholicam rediit. Deinde lectione epistolarum S. Pauli illustratus et excitatus, exemplo tot christianorum caste fortiterque viventium attractus, voce denique et virtute gratiae divinae in horto suo Mediolanensi devictus, totum Deo se dedit.

§ 2. **Doctrina**

« Brevi sane apparuit, quale et ad quam illustria facinora « vas electionis » sibi Dominus in Augustino comparasset. » Licet enim post tot doctores venerit, « Augustinus tamen maximam humano generi admirationem adhuc commovet ob subtilitatem gravitatemque sententiarum atque ob miram illam sapientiam, quam eius scripta, per diuturnum fere quinquaginta annorum spatium confecta et in vulgus edita, redolent ». Primum enim vividissima luce ostendit finem ultimum hominis in nulla re creata ponendum esse sed in sola Dei fruitione ac possessione. « Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. » Quae verba numquam satis a coaevis nostris perpendentur, cum tam praesens adsit periculum sese immergendi in creaturam, ipsis inventis modernis, quae a Deo ad altiores fines ordinata sunt, facilius ac commodius nos allicientem.

Ut vero ad ultimum finem nostrae beatitudinis pervenire possimus, Augustinus duplicem quasi viam novit ac commendavit. Prima et maxime necessaria est via auctoritatis. In ordine praesenti, auctoritas Ecclesiae, et in Ecclesia auctoritas conciliorum et Pontificis Romani accipienda est ut ad salutem quis pervenire valeat. In pugna adversus Pelagianos, Hipponensis iudicium S. Sedis expostulat, eoque accepto pronunciat: « Causa finita est. »

Sed ambulando in fide et subiiciendo se sub iugo

fidei, christianus, praesertim si et ad clerum pertineat, non omittet exercitare suum intellectum ut eo quo meliori modo potuerit, id quod credit aliqualiter intellegat. Ipse Augustinus, tum ad animae suae delectationem, tum ad illustrationem proximorum, totam sui ingenii vim adhibuit ut catholicam veritatem magis magisque intellectam ac roboratam atque defensam redderet. In eius autem doctrina considerantur primum ea quae de Deo protulit et deinde ea quae de divina operatione in creaturis exposuit.

Quam suaviter Hipponensis auditoribus vel lectoribus suis ascensiones ad Deum proponebat per ea quae facta sunt! Sed non sistebat in sola consideratione divinitatis quae naturali rationis lumine haberi potest. Fide ductus, ad mysterium SS. Trinitatis gustandum et exponendum, non solum ea evolvit de divinis relationibus, quae postea in communem theologiam translata sunt, sed aptissimas similitudines profonde adinvenit et explicavit, quibus adiuta mens christiana dulciter de tanto mysterio nutritur et delectatur.

Quod autem gubernationem Dei attinet, laudatur magnum Augustini opus *De Civitate Dei.* « Quamobrem humanae consortionis historia nihil aliud pervestiganti Augustino apparet nisi descriptio quaedam effusae continuo in nos caritatis Dei, qui, caelestem civitatem, cuius initia posuit, per triumphos perque aerumnas, sic provehit, ut eius incrementis vel ipsas terrestris civitatis insanias ac flagitia servire iubeat. « Unde perverse egerunt nostris hisce temporibus, leves ac libidinosi scriptores », qui paganitatem, principiis terrestris civitatis obsequentem, extollere ac desiderare ausi sunt, cum Augustinus, mordax interdum, nonnumquam indignabundus, commemoret quidquid daemones coercitionis atque insulsitatis, quidquid atrocitatis et luxuriae, per falsum deorum cultum in ho-

minis vitam intulerint. Contra, duces populorum numquam non meminisse debent finis illius ultimi ad quem homines vocantur. Nec illis timendum est ne Ecclesia aliquid quod suum non sit eripiat. A divino enim Conditore christiani docentur ut Caesari quae sunt Caesaris reddant et quae sunt Dei, Deo. Immo ipsa Ecclesiae auctoritas et influxus nonnisi pretiosa auxilia civili potestati praestabit ut haec finem sibi proprium obtinere valeat.

Deus autem non solum de totius orbis cursu curam habet universalem, sed etiam necessitatibus animarum in particulari providet. Hoc est gratiae munus, cuius Augustinus Doctor nominatur. Hic Summus Pontifex ex doctrina augustiniana tres conclusiones excerpit, quae maximae utilitati cuique christiano esse possunt. Prima est ut memores simus status nostri praesentis, in quo nobis colluctatio est contra concupiscentiam malam, totoque corde detestemur doctrinas illas quae sanam educationis doctrinam pervertunt, cum omnes nostras nativas inclinationes ut rectas describant. Secunda est ut fiduciam illimitatam in virtute gratiae reponamus, quae non solum in magnis sanctis sed etiam in bonis christianis tam praeclaros effectus praestare potest. Tertia denique est ut toti nos ad orationem assiduam convertamus, cum oratio sit quae nobis auxilium Dei potentissimum infallibiliter obtineat.

§ 3. **Augustini sanctitas**

Qui cum Augustino vivere potuerunt non tam mira eius doctrina quam eximiis eius virtutibus rapiebantur. Caritas in eo fulgebat praeclara: tum erga Deum, cum non semel tantum, sed quasi de more ad altissimos contemplationis actus noster elevaretur; tum erga proximos, cum quibus plenus humilitate,

reverentia suique deditione, pro uniuscuiusque conditione, constanter exstitit.

Hoc nempe zelo incensus, non solum necessitatibus sui gregis, sed totius Africae, immo Ecclesiae universalis, subvenire curavit, veritatem exponendo et haereticos verbo et opere debellando. Quod cum eo successu perfecit ut Manichaei, Donatistae, Pelagiani ei cedere debuerint. Saeviente autem Vandalorum irruptione, sacerdotibus ministrisque Domini fortiter suasit ut cum suis populis manerent eosque spiritualiter adiuvarent. « Monita, ceteroqui, noster confirmavit exemplo; in urbe enim sui honoris sede, a barbaris obsessa, magnanimus Pastor qui cum populo suo manserat, animam Deo reddidit. »

Denique, quod in magnam Augustini laudem vertat, vitam perfectam secundum evangelica consilia vehementer promovit atque ordinavit. Ipse plura coenobia instituit, discipulos suos per Africam sparsit qui et ipsi casti consilii seminatores essent. Regulam sapientia et moderatione conspicuam monialibus, quibus soror eius quondam praefuerat, tradidit, quae tot familiis religiosis fons sanctimoniae facta est. Utinam multi hodie inveniantur qui imitatores Hipponensis se constituant in vita perfecta, secundum instinctus Spiritus Sancti, magis magisque diffundenda.

Antequam Summus Pontifex apostolicam benedictionem impertiat, de festis diebus habendis tum Papiae, ubi corpus S. Doctoris asservatur, tum Carthagine, ubi Conventus eucharisticus omnium nationum celebrandus est, verbum facit. « Omnes denique christifideles hortamur, eosque praecipue qui Cartaginem conventuri sunt, Augustinum apud divinam clementiam deprecatorem adhibeant, ut feliciores posthac dies Ecclesiae illucescant, et qui in tanta illa Africae immensitate indigenae advenaeque, aut catholicae veritatis adhuc expertes aut a Nobis dissidentes, vivunt, nec

lucem illi doctrinae evangelicae per missionales nostros sibi allatae reiiciant, nec hi ad amantissimae Matris Ecclesiae gremium confugere cunctentur. »

X.... S. I.

II. Tertia Encycl. litterarum Pars. S. Augustini Sanctitas.

S. Augustinus fecit et docuit.

Qui primus de vita et rebus Augustini scripsit, Possidius, iam tum affirmabat, multo magis quam qui eius opera legissent, « ex eo proficere potuisse, qui eum et loquentem in ecclesia praesentem audire et videre potuerunt, et eius praesertim inter homines conversationem non ignoraverunt. Erat enim non solum eruditus scriba in regno coelorum, de thesauro suo proferens nova et vetera, et unus negotiatorum, qui inventam pretiosam margaritam, quae habebat venditis, comparavit; verum etiam ex iis ad quos scriptum est: Sic loquimini, et sic facite; et de quibus Salvator dicit: Qui fecerit et docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno coelorum » (1). Etenim, ut ab omnium capite virtutum exordiamur, Dei caritatem noster, reliqua abdicando, sic concupiit ac persecutus est, tam constanter in se acuit, ut cor ignitum in manu habens merito effingatur. Quisquis autem « Confessiones » vel semel evolverit, num colloquium a filio, ad fenestram Ostiensis domus, cum matre habitum oblivisci unquam queat? Nonne tam vivida est tamque suavis eiusmodi narratio, ut Augustinum et Monicam, illic, alterum prope alteram, in caelestium rerum contemplatione defixos videre videamur? Colloquebamur ergo — ita scribit — soli valde dulciter; et praeterita obliviscentes, in ea quae ante sunt extenti, quaerebamus inter nos apud praesentem Veritatem, quod tu es, qualis futura esset vita aeterna sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Sed inhiabamus ore cordis in superna fluenta fontis tui, fontis vitae qui est apud te, ut inde pro captu nostro aspersi, quoquo modo rem tantam cogitaremus..... Et dum loquimur et inhiamus illi, attigimus eam modice toto ictu cordis; et suspiravimus et reliquimus ibi religatas primitias spiritus, et remeavimus ad

Eius caritas in Deum.

(1) *Vita S. Augustini*, c. 31.

strepitum oris nostri, ubi verbum et incipitur et finitur. Et quid simile Verbo tuo Domino nostro, in se permanenti sine vetustate, atque innovanti omnia? » (1) Tales autem mentis et animi a corpore veluti secessus in eius vita insuetos ne dixeris. Si quid enim sibi temporis ab officiis laboribusque cotidianis vacui supererat, sacras Scripturas meditari, tam sibi notas, unde delectationem lucemque veritatis conciperet; cogitatione atque animo ab Dei operibus mysteriisque summae eius erga nos caritatis sensim ad ipsas divinas perfectiones sublimiter ferri in easque veluti demergi, quantum pro supernae gratiae copia sibi licuisset. « Et saepe istud facio — nobiscum veluti arcano communicare videtur —, hoc me delectat, et ab actionibus necessitatis quantum relaxari possum, ad istam voluptatem refugio. Neque in his omnibus quae percurro consulens te, invenio totum locum animae meae nisi in te, quo colligantur sparsa mea, nec a te quidquam recedat ex me. Et aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus ad nescio quam dulcedinem, quae si perficiatur in me, nescio quid erit quod vita ista non erit » (2). Quapropter clamabat: *Christum* « Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova! sero te amavi! » (3) Atque o quam amanter Christi vitam contemplabatur cuius similitudinem cotidie perfectiorem in se exprimere et caritatem caritate rependere studebat, haud aliter quam ipsemet virginibus, consulendo, instillabat: « Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis est fixus in cruce! » (4) Qua quidem Dei caritate cum in dies ardentius flagraret, tum in ceteris virtutibus incredibiliter profecit: neque ulli non admirari hominem liceat — quem tali excellentem ingenio ac sanctitate venerarentur, extollerent, consulerent audirentque omnes — in scriptis, quae in publicum proditura erant, inque epistulis suis illuc intentissimum, ut non modo, quae sibi laudes tribuerentur, eas auctori bonorum omnium, tamquam ipsi uni debitas, referret et ceteris animos et, salva veritate, praeconia adiiceret, sed etiam conlegas episcopos honore ac reverentia prosequeretur, maximos praesertim illos qui antecesserant, ut Cyprianum et Gregorium Nazianzenum, ut Hilarium et Ioannem Chrysostomum, ut suum fidei magistrum Ambrosium, quem ut patrem venerabatur et cuius saepe praecepta ac gesta recolere

(1) *Confess.*, lib. 9, c. 10, n. 23-24.
(2) *Confess.*, lib. 10, c. 40, n. 65.
(3) Ibid., c. 27, n. 38.
(4) *De sancta virginitate*, c. 55, n. 56.

consueverat. Verum, quae a Dei caritate seiungi nequeat, splenduit in nostro animarum caritas, earum potissimum, quas, pro pastorali officio, moderaretur.

in gregem suum

Ex quo enim, divino adspirante numine, per fiduciam Valerii episcopi populique delectum, primum sacerdotio initiatus ac deinde ad Hipponensem Sedem evectus est, totus in eo fuit ut gregem suum, et sanae pabulo doctrinae alendo et ab luporum incursionibus tutando, ad aeternam duceret beatitatem. Fortiter igitur ille, at caritate in errantes homines comite, impugnare haereses; populo suo ab fallaciis praecavere, quas per id temporis Manichaei, Donatistae, Pelagiani, Ariani adhiberent; ita hos ipsos coarguere, ut non modo falsae doctrinae propagationem cohiberet et praedas recuperaret, sed etiam eos fidei catholicae adiungeret. Quamobrem ad disceptandum, vel publice, paratus perpetuo esse, cum de divino auxilio, de insita veritati vi atque virtute deque populi constantia summopere confideret, et, si qua haereticorum commentaria ad se perferrentur, nullam interponere moram quominus ea singillatim refelleret, nec opinionum insulsitate nec disserendi spinis nec adversariorum pervicacia iniuriisque vexatus ac devictus. Sed nihilo secius, quamvis tam acriter pro veritate contenderet, hostium istorum emendationem, quos benevolentia et christiana caritate complectebatur, a Deo flagitare nullo tempore destitit; atque ex ipsis eius scriptis apparet, quanta cum demissione animi ac persuadendi vi eos alloqueretur: « Illi in vos saeviant qui nesciunt cum quo labore verum inveniatur, et quam difficile caveantur errores. Illi in vos saeviant, qui nesciunt quam rarum et arduum sit carnalia phantasmata piae mentis serenitate superare... Postremo illi in vos saeviant, qui numquam tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident. Ego autem qui diu multumque iactatus tandem respicere potui quid sit illa sinceritas, quae sine inanis fabulae narratione percipitur... qui denique omnia illa figmenta, quae vos diuturna consuetudine implicatos et constrictos tenent, et quaesivi curiose, et attente audivi, et temere credidi, et instanter quibus potui persuasi, et adversus alios pertinaciter animoseque defendi: saevire in vos omnino non possum, quos sicut meipsum illo tempore, ita nunc debeo sustinere, et tanta patientia vobiscum agere, quanta mecum egerunt proximi mei, cum in vestro dogmate rabiosus et caecus errarem ». (1) Propterea Episcopi Hipponensis religionis studium, assiduam actionem

Studium convertendi haereticos.

(1) *Contra epist. Manichaei quam vocant fundamenti*, c. 2-3, n. 2-3.

atque animi benignitatem cur spes fefellisset, cur exitus? Manichaei ad ovile Christi trahi, Donati discidium seu schisma esse desinere, Pelagiani omnino disiici; ut, post Augustini obitum, de eo Possidius scribere posset: « Et erat ille memorabilis vir, praecipuum dominici corporis membrum, circa universalis Ecclesiae utilitatem sollicitus semper ac pervigil. Et illi divinitus donatum est ut de suorum laborum fructu, etiam in hac vita gaudere provenisset, prius quidem in Hipponensi Ecclesia et regione, cui maxime praesidebat, unitate ac pace perfecta; deinde in aliis Africae partibus, sive per seipsum, sive per alios et quos ipse dederat sacerdotes, pullulasse, et multiplicatam fuisse Domini Ecclesiam pervidens, illosque Manichaeos, Donatistas, Pelagianistas, et Paganos ex magna parte defecisse, et Ecclesiae Dei sociatos esse congaudens: profectibus quoque et studiis favens erat et exsultans bonorum omnium; indisciplinationes pie ac sancte tolerans fratrum, ingemiscensque de iniquitatibus malorum, sive eorum qui intra Ecclesiam, sive earum qui extra Ecclesiam sunt constituti; dominicis, ut dixi, lucris semper gaudens, et damnis moerens » (1). Quodsi in magnis Africae et vel universae Ecclesiae negotiis forti noster invictoque animo fuit, at patrem gregi suo tam studiosum benignumque se praestitit quam qui maxime. Contionari saepissime apud populum consueverat, aut depromptas plerumque e Psalmis, e Ioannis Evangelio, e Pauli Epistolis sententias, ad tenuiorum simpliciorumque hominum captum accommodate, enucleando, aut abusus et vitia, si qua apud Hipponenses irrepsissent, optimo sane exitu, corripiendo; in eoque diu multumque elaborabat, ut non solum peccatores Deo reconciliaret, pauperibus opitularetur et pro reis intercederet, verum etiam — quamquam per haec avocari ac diduci animum conquerebatur — ut lites et iurgia componeret, quae de profanis rebus inter christifideles haberentur, anteposita scilicet saeculi fastidiis episcopalis caritatis exercitatione. Quae quidem caritas animique magnitudo potissimum in summo rerum discrimine eluxit, cum, Vandalis Africam vastantibus, nihil sacerdotum dignitati, nihil sacris aedibus parcitum est. Haerentibus videlicet nonnullis episcopis ac presbyteris quid inter tot tantasque calamitates agendum sibi foret, sanctissimus senex, quem unus ex iis sententiam rogasset, aperte rescripsit, num sacerdoti, cuius ministerio fideles carere non possent, licere a populo suo, quic-

Sollicitudo de universa Ecclesia.

Pater zelantissimus gregis sui.

Animi magnitudo in summo rerum discrimine.

(1) *Vita S. Augustini*, c. 18.

quid esset eventurum, abscedere. « An non cogitamus — aiebat — cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni aetate concursus; aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam paenitentiae ipsius actionem, omnibus consolationem et sacramentorum confectionem et erogationem? Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt vel ligati! quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitae aeternae requiem non habebunt! quantus denique gemitus omnium, et quorumdam quanta blasphemia de absentia ministeriorum et ministrorum! Vide quid faciat malorum temporalium timor, et quanta in eo sit acquisitio malorum aeternorum. Si autem ministri adsint, pro viribus quas eis Dominus subministrat, omnibus subvenitur: alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli dominici corporis communione fraudantur, omnes consolantur, aedificantur, exhortantur, ut Deum rogent, qui potens est omnia quae timentur, avertere; parati ad utrumque, ut si non potest ab eis calix iste transire, fiat voluntas eius, qui mali aliquid non potest velle » (1). Atque ita concludebat: « Qui autem sic fugit ut gregi Christi ea quibus spiritualiter vivit, alimenta subtrahantur, mercenarius ille est, qui videt lupum venientem et fugit, quoniam non est ei cura de ovibus » (2). Monita, ceteroqui, noster confirmavit exemplo; in urbe enim sui honoris sede, a barbaris obsessa, magnanimus Pastor, qui cum populo suo manserat, animam Deo reddidit.

Cultor vitae religiosae.

Iamque ut id adiiciamus, quod plenior Augustini laudatio postulare videtur, testis historia est, sanctum Ecclesiae Doctorem, qui, Mediolani, vidisset « extra urbis moenia sub Ambrosio nutritore » (3) « diversorium sanctorum » et, paulo post matris obitum, monasteria « Romae etiam plura... neque hoc in viris tantum, sed etiam in feminis » (4) cognovisset, vix ad Africae oras appulit, de animis ad obsolutionem perfectionemque vitae, in religioso statu, promovendis cogitare coepisse, et coenobium in praedio quodam suo excitasse, in quo « constitutus, ferme triennio, et a se iam alienatis curis saecularibus, cum iis qui eidem adhaerebant, Deo vivebat, ieiuniis, orationibus, bonisque

(1) *Epist.* 228, n. 8.
(2) Ibid., n. 14.
(3) *Confess.*, lib. 8, c. 6, n. 15.
(4) *De moribus Ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, lib. 1. c. 33, n. 70.

operibus, in lege Domini meditans die ac nocte » (1). Sacerdotio autem auctus, aliud mox Hippone condidit in Ecclesiae vicinia coenobium; « et cum Dei servis vivere coepit secundum modum et regulam sub sanctis Apostolis constitutam: maxime ut nemo quidquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia. et distribueretur unicuique sicut opus erat » (2). Postquam vero ad episcopalem dignitatem elatus est, cum nec sibi communis vitae beneficia deesse nec omnibus Hipponensis Antistitis salutatoribus vel hospitibus patere monasterium vellet, in ipsa episcopali domo clericorum coenobium constituit, ea lege, ut, paternis bonis abdicatis, communiter vitam viverent — ab saeculi quidem illecebris remotam et lautitiae omnis expertem, non austeriorem tamen atque asperiorem — et caritatis in Deum proximosque officia una simul exsequerentur. Sanctimonialibus autem, quas, haud procul incolentes, sua ipsius soror gubernaverat, legem dedit mirabilem, cum sapientiae tum moderationis plenam; qua hodie reguntur religiosae bene multae utriusque sexus familiae, non modo quotquot augustinianae nuncupantur, sed etiam quae a conditore cuiusque suo legem ipsam peculiaribus constitutionibus auctam accepere. Cuius quidem instituti perfectioris vitae, ad consilia evangelica traductae, seminibus apud suos iactis, non tam de Africa christiana noster quam de Ecclesia universa meritus est, cui ex eiusmodi militia tantum accessit, aetatum decursu, tantumque hodie accedit utilitatis atque incrementi. Quo in genere, adhuc vivente Augustino, insigne coeptum laetissimi consecuti sunt fructus, narratque Possidius, religiosos viros sane multos, Patris legiferi, qui undique rogaretur, concessu, in omnes partes abiisse, ut, quasi igne ab igne capto, et nova coenobia conderent et Africae Ecclesias, doctrina et sanctitatis exemplo, iuvarent. Licuit igitur nostro de praeclara ista religiosae vitae actione, quae optatis suis tam plene responderet, ita gaudere, ut aliquando significaret: « Ego qui haec scribo, perfectionem de qua Dominus locutus est, quando ait diviti adolescenti: Vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo; et veni sequeri me; vehementer adamavi, et non meis viribus, sed gratia ipsius adiuvante sic feci. Neque enim quia dives non fui, ideo minus mihi imputabitur: nam neque ipsi apostoli, qui priores hoc fecerunt, divites fuerunt. Sed totum mundum dimittit qui et illud quod

(1) Possidius, *Vita S. Augustini*, c. 3.
(2) Ibid., c. 5.

habet, et quod optat habere dimittit. Quantum autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem novi ego quam quisquam alius homo; sed magis Deus quam ego. Et ad hoc propositum quantis possum viribus alios exhortor, et in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est » (1). Atque velimus hodie, ubique gentium, sancto Doctori similes, plures « seminatores casti consilii » suscitari, qui, prudenter quidem at fortiter et perseveranter, religiosae et sacerdotalis vitae, divino utique nutu, suasores se praebeant, ut caveatur aptius ac provideatur, ne christiani debilitentur spiritus et gradatim morum integritas pereat.

Conclusio. Laus S. Augustini.

Hominis res gestas ac promerita, Venerabiles Fratres, dicendo adumbravimus, cui ob peracuti ingenii vim, ob doctrinae ubertatem elationemque, ob sanctitatem ad tam sublime fastigium provectam ob invictamque catholicae veritatis defensionem, aut paene nullum aut paucissimos sane eorum comparaveris, qui ab humani generis initio usque adhuc floruere. Laudatorem superius non unum induximus; at vero quam suaviter, quam recte Hieronymus aequali ac familiarissimo suo: « Mihi autem decretum est te amare, suscipere, colere, mirari, tuaque dicta quasi mea defendere » (2). Et rursus: « Macte virtute, in orbe celebraris; catholici te conditorem antiquae rursum fidei venerantur atque suscipiunt, et quod signum maioris gloriae est, omnes haeretici detestantur: et me pari prosequuntur odio; ut quos gladiis nequeant, voto interficiant » (3). Summopere digitur Nobis cordi est, Venerabiles Fratres, quem, anno quindecies saeculari ab eius obitu haud ita multo post exeunte, Nosmet ipsi per has Encyclicas Litteras perlibenter commemoravimus, eundem in populis vestris ita commemorari, ut ipsum nemo non colat, nemo, potissimum, non imitari contendat, gratias Deo de beneficiis, quae Ecclesiae per tam magnum Doctorem obvenerunt, nemo non agat. In quo novimus, insignem Augustini subolem esse ceteris — ut aequum est — exemplo praeiturum, quae redditos sibi, fel. rec. decessoris Nostri Leonis XIII benignitate, Patris legiferi cineres, Papiae, ad S. Petri in Caelo Aureo pie adservat ac custodit: quo utinam christifideles, sacrum eius corpus veneraturi et quam concessimus admissorum veniam lucraturi, undique frequentissimi coeant. At praeterire silentio non possumus, quae quantaque in animo Nostro spes

Optati honores Papiae.

(1) *Epist. 157,* c. 4, n. 39.
(2) *Epist. 172,* n. 1 inter augustinianas.
(3) *Epist. 195,* inter augustinianas.

et Carthagine Spes concepta e congressu eucharistico.

insideat atque exspectatio, fore ut, qui Carthagine proxime agendus est Eucharisticus omnium nationum Conventus, is, praeterquam quod in Christi Iesu sub speciebus latentis triumphum, in Augustini praeterea honorem evadat. Cum enim in ea urbe Conventus habeatur, ubi olim noster haereticos devicit et christianos in fide roboravit; in Africa illa latina, cuius veteres laudes nulla unquam oblitterabit aetas, quaeque splendidissimum illud sapientiae lumen progenuit; ab Hippone haud multo procul, cui feliciter obtigit, ut tam diu eius spectaculo virtutum ac pastoralibus curis frueretur: fieri profecto non potest, quin sancti Doctoris et memoria et ilia de Augusta Sacramento doctrina — quam, ut ex ipsa Ecclesiae liturgia plerisque aliqua ex parte cognitam atque perspectam, praetermisimus — coeuntium illuc animis, immo paene oculis obversetur. Omnes denique christifideles hortamur, eosque praecipue qui Carthaginem conventuri sunt, Augustinum apud divinam clementiam deprecatorem adhibeant, ut feliciores posthac dies Ecclesiae illucescant, et qui in tanta illa Africae immensitate indigenae advenaeque, aut catholicae veritatis adhuc expertes aut a Nobis dissidentes, vivunt, nec lucem illi doctrinae evangelicae per missionales nostros sibi allatae reiiciant, nec hi ad amantissimae Matris Ecclesiae gremium confugere cunctentur.

Hortatio ad orandum pro Africa.

Benedictio Apostolica.

Caelestium interea munerum conciliatrix esto, itemque paternae Nostrae benevolentiae testis, apostolica benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, et universo clero populoque vestro peramanter in Domino impertimus.

Dies (20 ap. in festo Paschatis).

Datum Romae apud Sanctum Petrum die xx mensis Aprilis, in festo Paschae Resurrectionis D. N. I. C., anno MDCCCCXXX, Pontificatus Nostri nono.

PIUS PP. XI

34. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

Motu Proprio « Inde ab inito » 6 ap. 1930.

AUTONOMIA COMMISSIONIS PRO RUSSIA

(A. A. S., 7 apr. 1930, XXII, 153).

Speciali sollicitudine pro Russiarum populis motus.

Inde ab inito Pontificatu, peculiari modo curas intendimus sollicitudinesque Nostras ad frequentissimos Russiarum populos, qui quidem idcirco a Nobis impensiore studio diliguntur,

quod iam diu multumque iniqua prorsus atque inhumana rerum condicione vexantur.

In multis vero, quae hac de re suscepimus consiliis atque inceptis, ut non modo afflictis illorum populorum rebus pro facultate mederemur, sed etiam, quod caput est, ut sempiternae prospiceremus eorum saluti, imprimis memoratu digna est, ut omnes norunt, illa pro Russia *Commissio,* quam anno MDCCCCXXV a Nobis constitutam, cum Sacra Congregatione ritibus rebusque omnibus Ecclesiae Orientalis curandis coniunctam voluimus, cuique negotia et causas demandavimus, quae ad Russos pertinent, sive ad eos, qui in patrio solo degunt, sive ad eos, qui extorres procul domo versantur.

SS. D. anno 1925 peculiarem pro Russia Commissionem *constituit, quam prius coniunctam esse voluit cum S. C. Orientali,*

Attamen sedulo diligenterque Nobiscum reputantes per haud diuturnum hoc annorum intervallum res rationesque cum commemoratae *Commissionis,* tum Congregationis eiusdem continenter increbruisse, atque in praesens increbrescere; itemque considerantes Russorum condicionem ac causam vel domi degentium vel in exteris regionibus commorantium, actuosiorem in dies Apostolicae Sedis curam requirere; ut haec eadem cura, multiplex quidem ac beneficiis plena, expeditior fiat ac fructuosior, re mature perpensa, opportunum duximus *Commissionem* pro Russia a Sacra Congregatione Orientalibus praeposita, quacum ante cohaerebat, seiungere, eamque facere suo proprio iure pollentem. Quod nihilo secius haud prohibet quominus inter Congregationem eandem et hanc pro Russia *Commissionem* opportuna laboris vincula intercedant et mutuum adiutricis operae auxilium, ut ipsa et rerum et gentium natura postulat, ad quas utriusque spectat muneris perfunctio.

nunc autem auctis negotiis, ut expeditius et fructuosius res curarentur,

a laudota S. Congregatione seiungit, sui iuris effecit, firmo vinculo mutuae operae **adiutricis,**

De plenitudine igitur Apostolicae potestatis, motu proprio ac certa scientia, hanc pro Russia *Commissionem* et a Congregatione, quacum adhuc cohaerebat, seiungimus et omnino sui iuris atque nullius auctoritati, nisi Nostrae, obnoxiam eam constituimus ac pronuntiamus; eidemque venerabilem fratrem Michael D'Herbigny Episcopum titulo Iliensem Praesidem praeficimus; cui quidem omnia iura facultatesque confirmamus, quibus Praeses Commissionis usque adhuc utebatur, et, quatenus opus est, denuo concedimus.

eique praeficit Ill. D. M. D'HERBIGNY.

Quaecumque vero a Nobis, hisce Litteris motu proprio datis, statuta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Clausula.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die dominico Passionis, VI mensis Aprilis anno MDCCCCXXX, Pontificatus Nostri nono.

Dies (6 ap. 1930).

PIUS PP. XI

35. — S. C. De Disciplina Sacramentorum

Instructio 23 dec. 1923

CAUSAE MATRIM. IUDICI QUASI-DOMICILII DELATAE

(A. A. S. 7 april. 1930, XXII, 168)

Instructionis occasio

In tam effraena divortiorum cupiditate hodie invalescente, quae efficit ut apud omnes fere gentes funestissima vigeat lex civibus tribuens facultatem coniugale vinculum abrumpendi quasi pro lubitu aut saltem non gravibus, et quod peius est, ex industria et fraude confectis causis, consecutum est, ipsos catholicos coniuges facile abripi desiderio nuptias dissolvendi quum matrimoniale consortium ipsis non eam attulerit felicitatem et pacem, quam sensibus nimio indulgentes sibi spoponderant.

Verum Ecclesia Christi quamcumque respuit divortii facultatem, quia *quod Deus coniunxit* homini separare non licet; at abiudicare non poterat ius fidelibus instituendi iudicia, quibus comprobare intendant initum matrimonium nullius esse valoris ob aliquod inhaerens coniugali foederi impedimentum dirimens; verumtamen maxime interest iudiciales cognitiones de exsistentia impedimenti fieri servatis adamussim normis a iure statutis. Experientia autem docuit non semel, malo fato, coniuges magis suae libidini quam veritati studentes, satagere causam institui in loco quasi-domicilii, quod sibi facile comparant, posthabito loco domicilii aut matrimonialis contractus.

Pericula quibus titulus quasi-domicilii obnoxius est.

Etsi in causis matrimonialibus titulus competentiae iudicis, ratione quasi-domicilii iuridicus sit, ad normam can. 1964, tamen nemo est qui non videat pericula quibus idem obnoxius evadat: nedum quia, deficiente animo aut sufficienti causa ad quasi domicilium acquirendum, prout ius requirit, fraudis occasio commode praebetur ad eiusdem titulum fictum seu putativum assequendum; sed maxime quia, translato iudicio apud iudices rerum et personarum ignaros, facilis aperitur aditus fraudibus et improbitati tum coniugum, adversus sanctitatem et contra unitatem matrimonii christiani coniurantium, tum etiam eorum qui, lucrum tantum inhiantes, ipsos coniuges edocent de modo quo causam instaurare debent, atque de exitu causae solliciti, non de veritate factorum, testes comparant et instruunt, ut ea deponant et confirment quae optatis conspirent.

Instructio Officiales et iudices obligans probata in Comitiis 13 dec. 1929.

Ad eiusmodi tam lugenda incommoda praecavenda, Sacra haec Congregatio, cui vigilantia et tutela disciplinae Sacramentorum commissae sunt, in plenariis Comitis habitis die 13 Decembris 1929, in Civitate Vaticana, sequentem dedit Instructionem, cui Officiales curiarum aliique ecclesiastici iudices in causis matrimonialibus titulo quasi-domicilii competentes, ob rei peculiarem gravitatem, fidelissime parere debebunt.

I. Praevia causae delibatio cum assistente s. vinculi Defensore.

I. — Antequam Officialis uniuscuiusque curiae libellum admittat introductionis causae nullitatis matrimonii ob competentiam ex titulo quasi-domicilii advenarum, praesertim exterae alicuius nationis, causae delibatio, assistente sacri vinculi Defensore, facienda est super his, qui sequuntur, articulis.

Tituli veritas.

1. An titulus quasi-domicilii, ob quem causae nullitatis matrimonii, coram ipsius tribunali, introductio petitur, iuridico fundamento innitatur, seu canonice acquisitus haberi debeat.

Tituli electi causa.

2. An et quaenam adducantur rationes, quibus innixi coniuges, causam praedictam inire desiderant extra locum domicilii vel contractus.

Allegata causa nullitatis.

3. Quodnam sit causae nullitatis caput, pro matrimonio impetendo.

Copia probationum.

4. Quaenam probationes et documenta a partibus facilius ibi adduci queant, quum ipsae tam longe distent a loco domicilii aut contractus.

Informationes sumendae ab Ordinario curiae domicilii et contractus.

5. Informationes super veritate precum seu libelli, et super adductis probationis exposcere oportebit ab Ordinario curiae domicilii et contractus; ita ut antequam huiusmodi informationes habeantur et sufficientes censeantur, ad ulteriora procedere minime fas sit. Quod si praefatus Ordinarius asserat coniuges sibi comparare intendisse forum ex quasi-domicilio, ad insidias veritati struendas, quamobrem causam sibi avocare postulet, super hoc potissimum erit inquirendum, utrum nempe conveniens sit Ordinarii petitioni assentire.

Partes Defensoris vinculi.

II. — In huiusmodi praeiudiciali inquisitione sacri vinculi Defensoris est ad normam iuris communis canonum 1968, 1969, 1984:

1. Opportunas interrogationes facere super praedictis articulis.

2. Responsiones partium aut exhibita documenta perpendere, et super his suas peragere animadversiones, et petere ut aliquis testis audiatur, aut aliae informationes exquirantur prouti casus ferat.

III. Officialis Curiae manet moderator

III. — Quamvis in eiusmodi causa incidentali praeiudiciali vinculi Defensor praecipuas partes agat — adeo ut asserere liceat, quae hac Instructione praecavere intendimus incom-

moda, evitari posse, si vinculi Defensor suum officium diligenter expleret — nihilominus Officialis curiae, cui causa defertur titulo quasi-domicilii, erit causam incidentem moderari, et instruere et ea decernere quae incidentem quaestionem ad aequam definitionem perducant ad normam canonum 1837-1841.

Partes et modus actionis Officialis.

IV. — 1. Proinde Officialis satagat in ius vocare coniuges, aut etiam testes ad instantiam partium vel Defensoris vinculi, seu ex officio adductos, eosque interrogationibus submittere, adhibitis interrogationum formulis a vinculi Defensore ad normam iuris concinnatis.

2. Officialis autem erit rem ita moderari, ne nimii testes adducantur, neque instrumenta aut documenta ad rem stricte non facientia exhibeantur; secus quaestio, suapte natura praeiudicialis et expedito processu definienda, nimis implicata evaderet et difficilioris solutionis, atque ita fraudibus et malitiis aperiretur aditus.

3. Quare quoties Officiali videatur quaestio satis instructa probationibus et deductionibus, audito Defensore vinculi, decernat causae praeiudicialis instructionem esse clausam.

Decretum Officialis.

4. Dein omnibus perpensis quae deducta sunt, et acceptis vinculi Defensoris animadversionibus, et attente consideratis Ordinarii domicilii et contractus informationibus, maxime si hi expetant causam a se avocari, decretum ipse edat quo, causam vel attribuat iudici quasi-domicilii, vel iudici domicilii aut contractus.

Remedia contra istud decretum

5. Si huic decreto vinculi Defensor non acquiescit et petit causam nullitatis deferri iudici domicilii aut contractus, exarare idem debet animadversiones, quibus suam oppositionem congruis argumentis sustentet.

6. Integrum est partibus vel harum alterutri se opponere iudicis decreto, et ad hoc exhibere suas deductiones aut documenta.

7. His sedulo perpensis, Officialis curiae vi can. 1841 potest suum decretum corrigere aut revocare.

8. Si iudex omnibus perpensis persistat in suo decreto, idemque confirmet, quaestio incidentalis deferenda erit per recursum Defensoris vinculi ad hanc Sacram Congregationem pro definitione.

Quid in secunda instantia

V. — 1. Quoties autem quaestio de nullitate definita sit apud iudicem quasi-domicilii, et huiusmodi competentiam haec Sacra Congregatio suo rescripto non probaverit, in secunda instantia Defensor vinculi debet in primis ad examen adducere acta praeiudicialis instantiae de competentia circa quasi-domicilium, et si censeat rem non bene fuisse definitam, ad hanc Sacram Congregationem rem deferat.

De causa iam ante Instructionem delata.

2. Si causa de nullitate, ad curiam primae instantiae, vi quasi domicilii partis conventae, delata sit antequam edita fuerit haec Instructio, Defensoris vinculi erit huiusmodi quaestionem de competentia delibare, et ea omnia advertere et deducere, quae in Domino ei magis expedire videantur, pro gravitate sui officii, et quaestionem ad hanc Sacram Congregationem deferre, si suspicio non spernenda adsit, fraudem, dolum aut saltem errorem in perpendendo isto titulo competentiae non defuisse.

Quid in ulteriore instantia

3. Idem ius et officium est Defensoris vinculi in tertia et ulteriore instantia.

Approbatio Pontificis 22 Dec. 1929

Praesentem Instructionem in Audientia diei 22 Decembris an. 1929 Ss.mus D.nus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, audita relatione infrascripti Secretarii Sacrae Congregationis ratam habere et adprobare dignatus est, eamque exsecutioni in omnibus curii dioecesanis, Archiepiscoporum et Episcoporum onerata conscientia, mandari iussit: quibuscumque contrariis minime obstantibus.

Dies (23 dec. 1929).

Datum Romae ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 23 Decembris 1929.

† M. Card. Lega, Episcopus Tusculanus, *Praefectus.*

L. ✠ S. D. Jorio, *Secretarius.*

Annotationes

I. Perversio moralis quae sacrum matrimonii vinculum minoris habet, atque inde malitiosae artes usurpatae ad obtinendam sententiam quae, nulla coram Deo, mere externam quandam speciem salvat, et concupiscentiis magis quam conscientiae satisfacere potest, occasionem dederunt huic Instructioni, cuius gravitas neminem fugiet, cum praeter Codicem, ne dicam contra Codicem, legitime electo iudici potestatem faciat declinandi causam eamque alii iudici tribuendi.

II. Iustissimae sane causae esse possunt cur causa ad tribunal quasi-domicilii deferatur, ut si pars conventa domicilio careat, vel ibi matrimonium sit celebratum; verum electio huiusmodi tribunalis potest quoque inter fraudulentas artes numerari si consulto eligatur tribunal quod putatur esse nimis indulgens, vel apud

quod possint facilius falsi testes produci, aut etiam reperiri homines habiles ad fraudes texendas; vel quod, propter ignorationem personarum et rerum, facilius decipi queat.

III. 1. Remedium abusibus ponitur totum in causa incidentiali praeiudiciali, quam Officialis Curiae quidem moderatur, sed cui valde efficaciter assistit Defensor vinculi, et quae concluditur decreto quo Officialis causam addicit vel iudici quasi-domicilii, vel iudici domicilii aut contractus.

2. Informationes autem quae ab Ordinario domicilii et contractus peti debent, tunc potissimum, ut merito Instructio monet, considerandae sunt quando hi expetunt ut causa sibi avocetur.

3. Decreto Officialis partes se opponere possunt, et etiam Defensor vinculi, si causa iudici quasi-domicilii tribuitur. Officiali tunc integrum est decretum suum confirmare vel corrigere (c. 1841). Si vero, contra atque Defensor vinculi arbitratur, in suo decreto persistat, quaestio est ad S. Congregationem deferenda.

4. Quotiens, sine rescripto S. Congregationis, causa apud iudicem quasi-domicilii in prima instantia definita est, debet, in secunda instantia defensor vinculi acta praeiudicialia ad trutinam revocare, et rem quam male definitam censuerit ad S. Congregationem deferre.

Perinde agendum est a defensore vinculi, si causa *ante editam* Instructionem iudici quasi-domicilii delata sit.

5. Idem ius est et officium Defensoris vinculi in tertia et ulteriore instantia.

IV. Instructio ista peculiari approbatione S. Pontificis opus habebat. Hanc Pontifex dedit simul graviter onerans conscientiam Archiepiscoporum et Episcoporum de fideli Instructionis observatione.

V. *Quaestiones et Dubia.*

1. *Quandonam ad S. Congregationem recurri debet?*

a) Quando Officialis, contra petitionem Defensoris vinculi, causam iudici quasi-domicilii dirimendam proponit;

b) Quando, citra rescriptum S. Congr., causa in prima instantia definita est apud iudicem quasi-domicilii et Defensor vinculi censet rem non fuisse praeiudicialiter bene definitam.

c) Quando, *ante editam Instructionem,* causa delata est ad iudicem quasi-domicilii et defensor vinculi merito timet fraudes, dolum aut errorem.

2. *Ad quaenam se refert ius et officium quod ascribitur Defensori vinculi in tertia et ulteriore instantia?*

Resp. Ad utrumque casum hic sub n. b) et c) indicatum.

N. B. Cum per se tres tantum sint instantiae, ulterior sine aliqua peculiari S. Pontificis provisione locum non habebit.

3. *Ad quamnam Congr. fit recursus?*

Resp. Ad *S. C. de Sacramentis*, quae Instructionem promulgavit. Haec tamen difficultas moveri potest. Cum causae de matrimoniis mixtis, Romae deferendae sint ad S. Officium, quid iuris, si talis causa ad iudicem quasi-domicilii deferatur?

Resp. Donec id authentice non fuerit definitum, arbitramur etiam tunc recursum fieri debere ad *S. C. de Sacramentis*, quae ipsa causam S. Officio tradet.

4. *Quando Ordinarius domicilii non est idem atque Ordinarius contractus, uter est adeundus pro informationibus?*

R. Uterque adeundus est, ut res per se postulat, et confirmatur voce plurali, adhibita IV, 4^0.

5. *Cuiusnam domicilii?* Domicilii partis conventae, si haec fuerit catholica; si non fuerit, domicilii actoris. Ratio est quia is interrogandus est cui causa magis regulariter competebat; nec possit Officialis tribuere causam Ordinario non competenti ex c. 1964.

6. In IV verba « *a se avocari* » intellegenda sunt sicut supra I, 5 « sibi avocare » nisi fortasse mendose pro *ad* hic scriptum *a* fuerit. Agitur enim de casu ubi Ordinarius domicilii vel contractus cupiant ut ipsis causa deferatur.

7. *Estne ista praeiudicialis instantia praescripta* sub poena nullitatis? Negative: sanctio huiusmodi non pronuntiatur, et V, 1 supponit acta valere etsi res male definita fuerit.

8. In annotationibus suis, p. 102 in fine, *Monitore Ecclesiastico,* miratur cur ultima definitio tribunalis cui iudicium tribuatur, a S. Congregatione sibi reservetur, et non potius applicentur canones 1603 § 1 et 1612 § 2. Sed, pace dixerim optimae ephemeridis, in praefatis canonibus agitur de conflictu inter iudices qui in casu praesenti nullus est. De competentia iudicis quasi-domicilii nullum dubium movetur, sed de opportunitate et de causis cur permitteretur vel non usus istius competentiae S. C. decidere intendit. Profecto ut iudicium eripiatur legitimo ex Codice iudici Auctoritas S. Pontificis necessaria fuit. Inde expressa confirmatio et mandatum exsecutionis nomine S. Pontificis datum in fine Instructionis.

---

36. — S. Congr. de Propaganda Fide

Instructio 8 dec. 1929.

DE AUCTORITATE QUA GUBERNANTUR MISSIONES

(A. A. S., 22 febr. 1930, XXII, 111).

Ad Vicarios Praefectosque apostolicos et ad Superiores institutorum, quibus a S. Sede Missiones concreditae sunt.

Frequentes quaestiones.

Quum huic Sacrae Congregationi, Propagandae Fidei praepositae, hinc a Vicariis et Praefectis Apostolicis, inde a Superioribus Institutorum, quibus missiones commissae sunt, circa

propriam atque legitimam in gubernandis missionibus auctoritatem non infrequenter proponantur quaestiones, opportunum existimatum est, principia iuris, quae hanc materiam regunt, paulo magis illustrare. Dubitationes enim, haesitationes et incertitudines huiusmodi creare solent animorum dissensiones et rectam impedire missionum gubernationem earumque optatum progressum.

Utilitas clarae solutionis.

Ecclesia a divino suo Conditore mandatum accipiens: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos. Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae,* Ipsius in terris prosequitur missionem, nihil aliud quaerens quam universum humanum genus ad agnitionem Iesu Christi adducere et per legis evangelicae observantiam ad caelestem gloriam perducere.

Mandatum acceptum ab Ecclesia, quod unice fine evangelico exsequitur.

In hoc divino mandato exsequendo Ecclesia solet imprimis in regionibus adhuc infidelibus Instituta religiosa vel missionalia tamquam socios sibi adiungere, ipsis committens regionem aliquam evangelizandam.

Adiungit sibi Instituta quae eadem intentionis puritate commissum sibi opus exsequi debent.

Institutum autem hanc laboris Ecclesiae participationem acceptans, ipsam Ecclesiae missionem arcte complectitur atque omnino suam facit. Unde revera in assumpta evangelizanda regione nihil aliud prosequi debet quam quod Ecclesiae missio habet, scilicet Iesum Christum annuntiare, populos ad veritatis agnitionem adducere, viam ad aeternam beatitudinem edocere, Dei regnum propagare. Qui ab hoc fine divino vel etiam in parte aberraret, terrenis propositis inserviret, aliudque quodcumque et quantumcumque in se fortasse honestum consequendum intenderet, altam missionis praestantiam non perspiceret ac mandato commisso atque suscepto deesset.

Omnis quicumque in hoc opere adiutricem suam operam praebet, totus ac unice evangelico mandato Ecclesiae inserviat oportet.

Ecclesia porro, alicui Instituto regionem aliquam evangelizandam committens, non intendit illum terrae tractum plane ac omnino relinquere curis illius Instituti. Iussui divino, cui deesse non potest, obtemperans, partem principalem, totum scilicet regimen missionis sibi retinet, ab Instituto adiutore generosum auxilium exspectans operariorum evangelicorum et mediorum ad opus exsequendum.

Totum vero regimen missionis sibi retinet. Ab Instituto non exspectat nisi auxilium.

Quamobrem verum missionis Superiorem ac Moderatorem Ecclesia ipsa nominat. Solet quidem ipsa ab Instituto, pro ipsius mutuae operae officiis, petere ut viros aliquos, doctrina, virtute, atque apostolico studio praestantes, sibi proponat; sed ille quem ex eis eligit et missioni praeficit, non iam Instituti no-

Ipsa verum missionis Superiorem nominat. Nominatus, nomine Ecclesiae, non no-

mine Instituti missionem regit, pendens a S. Sede cui soli reddere rationem debet.

mine et auctoritate, sed vice ac potestate Ecclesiae missionem regit.

Itaque qui missioni ab Ecclesia praeponitur, sive is Vicarius fuerit sive Praefectus Apostolicus vel etiam simplex Superior, in gubernanda missione non iam ab Instituto sed a Sancta Sede dependet, et de ea non Instituto rationem reddere tenetur, sed Sanctae Sedi, quae eum elegit. Similiter in explendo suo officio non Superiorum Instituti placitis stare debet, sed Ecclesiae ductu ac desideriis uti tenetur.

Valde optanda tamen coniunctio cum Instituto.

Nihilominus summi semper momenti est ut is, cui a Sancta Sede regimen missionis concreditur, intime coniunctus atque acceptus maneat Instituto suo eiusque Superioribus. Quo enim maior exsistit cum hisce animorum coniunctio et voluntatum ad salvandas animas conspiratio, eo alacrius et fructuosius a missionariis laborabitur et eo libentius ac generosius operarii evangelici mittentur et subsidia necessaria suppeditabuntur.

Nominatus a S. Sede actionem apostolicam totam regit.

Itaque unus ac verus missionis Superior is est qui nominatur a Sancta Sede, cui, uti praecipit canon 1350 « *universa missionum cura... unice reservatur* ». Tota proinde actio in regione ad fidem convertenda ad ipsum pertinet, ab ipso moderatur. Ipse iudicat atque praescribit qua via et modo procedendum erit. Ad ipsum spectat missionales stationes constituere, scholas inferiores et superiores aperire, orphanotrophia, nosocomia, dispensatoria aliaque caritatis christianae opera providere, sacella et ecclesias erigere. Ipsi iudicandum est de modo, tempore, curriculo catechumenatus, de scientia debita et idoneitate catechistarum instituendorum.

Sine ipso nemo, cuiuscumque sit auctoritatis, opus aliquod in missione sive inchoare, sive immutare, sive supprimere potest.

Inde in ipsius potestate esse debent media, opes et missionarii.

Ex his aperte sequitur in veri Superioris missionis potestate esse debere tam media et opes, de quibus missio disponere potest, quam missionarios, qui ad regnum Dei dilatandum in ipsius territorium mittuntur.

In eius manu omnia sunt subsidia, etiam ab Instituto missioni data.

In Superioris ecclesiastici potestate sunt opes et media missionis. In eius manu sint oportet subsidia quaecumque missioni data, sive haec ab operibus missionalibus Propagationis Fidei, Sacrae Infantiae, S. Petri Apostoli pro clero indigena, aliisve huiusmodi proveniant; sive alio modo a christifidelibus vel etiam ab ipso Instituto, cui missio est concredita, oblata sint, sive a gubernio civili aliove qualicumque, caritatis vel humanitatis opere elargita fuere. Haec quidem omnia cum suo Consilio ipse administrat, sicut et fundos mobiles atque immo-

biles missionis, atque de iis, salva determinata specifice destinatione domorum, pro necessitate ac utilitate missionis libere disponit. Si enim opes mediaque materialia, quae ad vitam et incrementum missionis destinata sunt, in alterius essent potestate, missionem rite gubernare ipse nequiret, sed ab alius arbitrio dependeret. Neque tamen inde sequitur Superiorem missionis pro libitu atque arbitratu suo opera quaecumque in sua missione moliri atque exsequi posse. Institutumque deinde teneri expensis providere ac debita portare. Non ita. Si missionis Superior opus aliquod aggredi intenderet ad quod exsequendum necessaria pecuniae vis deesset vel apti evangelici operarii desiderarentur, cum Instituti sui Superioribus rem agat oportet, vel etiam pro rerum adiunctis ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide recurrat.

ita tamen ut non oneret Institutum.

Sicut Superioris ecclesiastici est de mediis materialibus disponere, ita quoque de missionariis. Eius auctoritati subduntur non solum missionarii strictiore sensu sumpti, qui scilicet in Evangelii praedicationem et in animarum conversionem proxime incumbunt, sacerdotesque quicumque, qui alio modo apostolice in misssione laborant, verum etiam fratres laici in missionalibus operibus adhibiti.

Eius auctoritati subsunt tum missionarii stricte tales, tum sacerdotes apostolice laborantes, tum fratres laici in operibus missionalibus adhibiti.

Haec tamen minime impediunt quominus peculiares conventiones, quae, ut maiorem vim et stabilitatem habeant, Sacrae Congregationi de Propaganda Fide submitti solent, a Superiore ecclesiastico cum Institutis sive virorum sive sororum ineantur, ex quibus mutua iura aeque componantur.

Haec firmis peculiaribus conventionibus.

Similiter non prohibetur quominus in missionibus domus religiosae, etiam exemptae, quinimo etiam religiosae provinciae, servatis de iure servandis, erigantur. Sacra Congregatio similes fundationes valde exoptat, non solum quia omnino desideriis congruunt a Domino Nostro Pio Pp. XI encyclicis litteris *Rerum Ecclesiae* expressis, verum etiam quia summae utilitatis sunt, praesertim ubi agitur de missione clero indigenae concreditanda. In hisce et similibus casibus Superiori missionis ea iura competunt, quae a Codice iuris canonici, congrua congruis referendo, Episcopis circa huiusmodi Instituta conferuntur.

Non impediuntur domus exemptae et provinciae.

In usu potestatis suae missionis Superior magno iudicio et consideratione semper procedat. Non solum magni faciat Consilium missionis, quod ad praescriptum normamque canonis 302 constituere et consulere tenetur, verum etiam in magno pretio habeat Superioris religiosi iudicia et consilia. Egregie siquidem Instituta, quibus a Sede Apostolica missiones concredi-

Superior magni faciat consilium missionis et Superioris religiosi iudicia et consilia.

Superiorum religiosorum officium ad religiosam missionariorum vitam limitatur.

tae sunt, in bonum suorum sodalium ipsiusque missionis, regionales constituerunt Superiores. Horum quidem officium, a propriae religionis statutis definitum, limitatur omnino ad vitam religiosam missionariorum. Ipsis praesunt qua religiosis sodalibus, ad eorum tam spiritualibus quam temporalibus necessitatibus et utilitatibus providendum. Curant et invigilant imprimis ut missionarii constitutiones proprii Instituti, quatenus apostolici labores id sinunt, fideliter observent, ut virtutes et perfectionem christianam colant, et secundum propriae professionis spiritum vivant. Unde apparet duas esse in missionibus potestates, quibus missionarii subduntur. Et licet utrique proprius atque omnino distinctus campus sit actionis: una missionariis qua missionariis imperante, altera religiosis qua religiosis praecipiente, quum tamen circa easdem personas exerceatur, nemo profecto non videt, quanti momenti sit, ut concorditer agant. Ex eorum amice collata opera pax procedit in missione et missionariorum fidus, alacer, animosus labor; ex eorum dissensione animorum deturbatio, partes, lugendae saepe difficultates. Ut ergo omnis Superiorum auctoritatum collisio, quantum fieri potest evitetur, atque in optatissimum missionis et animarum bonum ambae potestates perfecte conspirent, de mutua earum relatione aliquid amplius dicere iuvabit.

Concors actio utriusque potestatis maxime optanda.

Neuter Superior alterius provinciam usurpet.

Regula primaria sit ut Superior missionis, praeter casus in iure praevisos, ne sese ingerat in disciplinam regularem et universim in ea omnia, quae ad vitam religiosam referuntur. Vicissim Superior religiosus ne sese immisceat aut quocumque modo se occupet in iis quae ad regimen missionis pertinent. Si tamen unquam conflictus in hisce orietur, praevalet auctoritas Superioris missionis, salvo iure recursus ad Sanctam Sedem (can. 296).

Superior missionis libere disponit de personis,

Superioris missionis est stationum missionalium Superiores nominare, eas sicut etiam missionarios mutare, de uno in alium locum transferre, eis uti pro occurrente missionis necessitate vel utilitate in diversis officiis vel muneribus. Omnes apostolici missionariorum labores ab eius directione dependent. Missionarii omnes eius subiiciuntur iurisdictioni, visitationi, correctioni in iis quae pertinent ad stationum regimen, sacrum ministerium, curam animarum, populi disciplinam, festorum observantiam, Sacramentorum administrationem, scholarum directionem, Seminariorum institutionem, cleri, praesertim indigenae, formationem, ad oblationes quoque quae intuitu missionis factae sunt et ad piarum voluntatum implementum in favorem eiusdem missionis (can. 296).

collata opera utens Superioris religiosi.

In nominandis tamen aut transferendis Superioribus stationum et in eligendis ad varia munera et officia missionariis, collata utatur opera Superioris religiosi. Hic enim pro officio suo subditos plenius cognoscere atque eorum ingenia, facultates, animi virtutem, aptitudines quoque pro variis officiis melius perspecta habere solet. Unde Superior religiosus diversarum stationum superiores et officiis aptos viros proponat; Superior missionis vero eos nominat prout in Domino iudicaverit. Superior religiosus vicissim consilia et incoepta Vicarii Apostolici apud sodales probet ac sustineat, eius auctoritatem fulciat atque defendat, curetque ut ipsi semper et ab omnibus perfecta oboedientia et reverentia exhibeatur.

Superior religiosus, si quandoque persuasum sibi haberet, alicuius subditi spirituale vel etiam temporale bonum postulare ut ab uno in alium locum transferatur, vel officio aliquo aut munere levetur, reverenter et fiducialiter rem Superiori missionis exponat. In casu tamen dissensus, Superioris missionis sententia praevalere debet.

Ius cumulativum puniendi

Superior missionis, ubi subditum sibi missionarium muneri suo graviter defecisse comperuerit opportunas dispositiones atque meritas poenas statuere potest. Superior vero religiosus in eodem casu cumulativum cum Superiore missionis ius habet. Attamen si aliter ab uno et ab altero decerni contingat, ea quae ab Ordinario decreta fuerunt, praevalere debent (can. 631).

Uterque ob gravissimas rationes aliquem a proprio loco vel muncre removere potest.

Ob gravissimas porro rationes tam Superior ecclesiasticus quam Superior religiosus aequo iure, non requisito alterius consensu aliquem a proprio loco vel munere removere potest; nec alteri causam iudicii sui aperire, multoque minus probare tenetur, salvo tamen recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem (can. 454 § 5).

Haec sunt, quae Sacra Congregatio de Propaganda Fide ad animorum in missione concordiam et unionem, ad pacem et tranquillitatem eorum qui in vinea Domini laborant, ad desideratum quoque laborum apostolicorum felicem successum, Praepositis missionum et Superioribus religiosis communicanda utilissima iudicabat.

Approbatio SS. 21 nov. 1929

Quam Sacrae Congregationis Instructionem, SS.mo Domino Nostro Pio XI per E.mum Praefectum eiusdem Sacrae Congregationis relatam, in audientia die 21 Novembris 1929 habita, Sanctitas Sua in omnibus benigne adprobare dignata est atque ab omnibus ad quos spectat omnino servari mandavit.

Decreti data (8 dec. 1929).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de Pro-

paganda Fide, die octava Decembris, in Festo Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, anno 1929.

G. M. Card. VAN ROSSUM, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† F. MARCHETTI SELVAGGIANI
Archiep. Seleucien., Secretarius.

ANNOTATIONES

I. *Instructionis opportunitas.* De argumento quod simul est difficile et cotidiani usus, S. C. *de Propaganda Fide,* die 8 decembris 1929, ac proin sub auspiciis Virginis Immaculatae, novam Instructionem dare voluit, qua « principia iuris quae hanc materiam regunt paulo magis illustrare » proposuit, ut, sublatis dubitationibus et rebus incertis, ansa dissensionum animorum amputaretur, expeditior via ad rectam missionum gubernationem panderetur, atque optabilis spes progressus firmaretur.

II. *Limitatio obiecti.* Ut ex ipsa instructione eiusque inscriptione fit manifestum, S. Cong. non pro omnibus hoc documentum redegit, sed pro iis tantum in quibus ordinaria Hierarchia (saltem Episcopalis) nondum est restituta, et quae proinde a Vicario Apostolico vel a Praefecto Apostolico, vel a simplici Superiore ecclesiastico, pro varia condicione et spirituali prosperitate, regitur tamquam ab Ordinario seu quasi Ordinario. Vicario S. Sedis.

III. *Divisio.* Instructio in binas partes commode dividitur: alteram, *generaliorem*, de principiis constitutivis et proximis applicationibus; alteram, *specialiorem,* mutuas relationes Superiorum ecclesiasticorum et religiosorum seu quasi talium et horum subditorum magis presse definit.

IV. *Usus nominis.* Non semel, in initio vox *Ecclesia* adhibetur significatione peculiari qua *Ecclesiam hierarchicam* (in casu *S. Sedem*) designat. Namque sane extra Ecclesiam non versantur Instituta religiosa et missionalia.

V. *De Priore Parte.* 1. Memoratur divina missio Ecclesiae concredita, propagandi Evangelium. In quo mandato exsequendo S. Sedes, cui (c. 1350) universa missionum cura unice reservatur, socios sibi adiungit Instituta missionalia, sive religiosa, sive saecularia.

2. Effertur dein intentio mere Apostolica, — posthabita omni inferiore consideratione, — qua Ecclesia opus istud assumit; ac merito inculcatur, ut, exemplum S. Sedis secuti, missionarii nullum alium finem sive politicum sive oeconomicum intendant, praeter dilatationem Regni Christi.

Hoc quanti momenti sit, quis dubitare poterit, qui mente recolat calumniam seu suspicionem intentionis politicae cruentis persecutionibus originem dedisse, atque id summopere cavendum esse ne vera religio ut extranea habeatur, sed se plene ut catholicam seu universalem prodat.

Id quidem minime impedit quin benefica missionarium opera dilectae eorum patriae conciliet benevolentiam qua ipsi in Domino gaudebunt. Verum hanc conscientiam alte gerere debent, nulli genti sed omnium Gentium Regi se unice esse mancipatos.

3. Intacta prorsus sua suprema auctoritate, S. Sedes opera Institutorum religiosorum seu missionalium bifariam uti possit.

a) Possit, ut fere verbis utamur Instructionis, terrae tractum quem alicui Instituto evangelizandum committit, curis illius Instituti relinquere, fere sicut in collegiis humaniorum litterarum adolescentes alendos et educandos permittit religiosis, nullatenus tamen debitam vigilantiam omittens, et nihil de suprema sua potestate remittens. Summa rerum semper fuerit apud S. Sedem. Cfr in *Nouvelle Revue Théologique*, t. 55, 1928, p. 492 ss. scriptum a R. P. Creusen « *En marge de la hiérarchie?* », quo laudatus auctor belle eos redarguit qui actionem Institutorum exemptorum ut

« extra hierarchiam » et quasi minus catholicam repraesentare vellent.

b) Potest quoque S. Sedes, subducto religiosae vel missionali Institutioni regimine, illud per electam a se personam vicariam magis immediate sibi retinere.

Iam vero, hodie saltem, hac secunda via procedere consuevit, ut per solum virum qui eam repraesentat regionem gubernet et « ab Instituto adiutore generosum auxilium exspectans operariorum evangelicorum et mediorum ad opus exsequendum » religiosos vel missionarios in nullam partem honoris sed tantum laboris advocet.

Quem processum S. Congregatio praesenti Instructione valde confirmat.

4. Itaque nominatus a S. Sede, sive Superior missionis, sive Praefectus sive Vicarius Apostolicus vocetur, declaratur unicus Moderator omnis actionis Apostolicae; et, qua talis, soli S. Sedi, non iam Superioribus Instituti sui obnoxius.

VI. *De altera parte.* 1. Tamquam principii istius corollarium, Instructio colligit, in viri istius potestate opes et media omnia missioni data esse debere.

« Haec omnia cum suo Consilio, ipse administrat, sicut et fundos mobiles atque immobiles missionis; atque de iis, salva determinata specifice destinatione donorum, pro necessitate ac utilitate missionis libere disponit ».

Statutum istud componendum est cum C. *Romanos Pontifices,* 8 maii 1881, quae, n. 23 viros religiosos « quibus donum sit traditum », mere obligat « ut accepti et expensi rationem reddant Episcopo »; et cum variis similibus responsis S. C. *de Propaganda Fide,* quae recitavimus *Periodica*, VI, p. (44)-(46).

Hoc autem modo haec componi posse videntur. Integrum est fidelibus vel oblatoribus, explicite aut indubiis signis decernere ut pecuniae, quas intuitu mis-

sionis offerunt, a Superiore religioso administrentur. Praeterea, etiam dona quae expresse dantur definitae stationi a praefecto istius stationis administranda erunt. Etenim « receptum est in hac re, spectari primum oportere quid largitor voluerit » (C. *Romanos Pontifices ;* et cfr c. 1514). In his casibus, manebit obligatio reddendi rationem Superiori missionis. A qua obligatione privata offerentium voluntas dispensare posse non videtur (arg. c. 1515 § 3, qui tamen id tantum statuit de ultimis voluntatibus). Servandae quoque sunt peculiares pactiones legitime de hac re initae.

Deficiente huiusmodi significatione vel pactione, atque etiam in dubiis subsidia erunt liberae Superioris missionis administrationi tradenda.

2. Ut alterum eiusdem principii corollarium Instructio in missionarios, tum clericos tum laicos, Superiori ecclesiastico quoque tribuit auctoritatem, cum iure eosdem quibuslibet officiis providendi, et loco vel munere transferendi. Vult quidem Instructio ut « in nominandis... aut transferendis Superioribus stationum et in eligendis ad varia munera et officia missionariis, collata utatur (Superior missionis) opera Superioris religiosi » Atque addit rationem : « Hic enim pro officio suo subditos plenius cognoscere atque eorum ingenia, facultates, animi virtutem, aptitudines quoque pro variis officiis melius perspecta habere solet ». Inde hoc praecipit : « Unde Superior religiosus diversarum stationum Superiores et officiis aptos viros proponat ». De qua propositione oportet sane ut valde rationem habeat.

In rigore tamen, propositio ista non iam potest dici praesentatio canonica de qua Benedictus XIV in C. *Firmandis,* § 11 pro parochis regularibus et can. 456 pro parochis religiosis : tunc Episcopus praesentatum non admittere debet, sed non potest alium nominare qui non sit praesentatus. Dum hic possit Superior missionis nominare non propositum. Conciliari

enim debent modo recitata verba cum superioribus quibus dicitur Superioris ecclesiastici esse ita de missionariis disponere sicut de mediis materialibus;.... eius esse missionarios mutare, de uno loco in locum transferre, eis uti pro occurrente missionis necessitate vel utilitate in diversis officiis vel muneribus. Si autem eius actio subordinaretur condicioni praesentationis, nullatenus haberet istam facultatem disponendi de personis quam Instructio ipsi clarissime tribuit.

3. Partes Superioris missionis et Superioris religiosi Instructio ita distinguit, ut Superior missionis de sola actione missionali, religiosus de sola disciplina religiosa sollicitus esse debeat; immo monet ut neuter alterius provinciam ingrediatur.

Antea (*De Religiosis,* I, n. 532) ius *cumulativum* Superioris ecclesiastici et Superioris religiosi, quod attinet ad actionem missionalem, ex documentis ecclesiasticis v. g. e C. *Firmandis,* § 10, collegeramus, ita tamen ut potiores partes pertinerent ad Superiorem ecclesiasticum. Nunc ista cumulativa potestas circumscribitur iure et officio corrigendi missionarium muneri suo deficientem et removendi ab officio, propter gravissimam causam. Id enim expresse stipulatur can. 454 § 5 et c. 631 § 3. Inde tamen consequitur quoddam ius vigilandi in actionem etiam missionalem penes Superiorem religiosum.

VII. *Quaesita.* Quaeri iam potest utrum necne haec instructio argumentum plene tractare et omnia dubia removere intenderit.

Utrique quaestioni negative respondendum esse censemus.

Non tangit enim, v. g. quaestionem de distributione subsidiorum quae Superioribus maioribus obtingunt, quorum institutum saepe plures missiones excolit. De his igitur adeunda sunt superiora responsa quae rettulimus *Per.*, VI, p. (44) s.

Ambigi potest quinam sint sacerdotes isti qui apostolice in missione laborant alio modo ac praedicatione et animarum conversione. Atque arbitramur agi de iis qui, v. g. occupantur in schola, in minore seminario quod est sub dependentia Superioris missionis.

Ambigi etiam potest de conciliatione iuris disponendi de personis et legitimae erectionis domus religiosae. Instructio enim vult ut in simili casu, iura Superioris missionis ea sint quae Codex iuris canonici Episcopo circa huiusmodi Instituta confert.

Age porro, Episcopus non potest, sine consensu Superioris religiosi, avocare religiosos a domo cui sunt ascripti.

VIII. *Conclusio.* Verum ipsa instructio non ignorat huiusmodi difficultates et possibiles conflictus. Quare, non semel instantissime insistit ut concordi animo procedant uterque Superior. « Nemo profecto non videt quanti momenti sit ut concorditer agant. Ex eorum amice collata opera pax procedit in missione et missionariorum fidus, alacer, animosus labor; ex eorum dissensione animorum deturbatio, partes, lugendae saepe difficultates ».

Summa autem spes huiusmodi concordiae reponenda est tum in sincera docilitate qua iussis et directioni S. Sedis obtemperatur, tum in spiritu caritatis quo profecti imbuti esse debent qui maximo caritatis operi se devovent; caritatis inquam, quae non quaerit quae sua sunt; quae gratis libenter dat quod gratis accepit; quae non propriam utilitatem, non proprium honorem considerat sed solam causam Iesu Christi, A. M. D. G.

37. — Pont. Commissio Interpr. Codici

Responsa 17 febr. 1930

VARIA DUBIA

(A. A. S., 7 ap. 1930, XXII, 195).

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. — De collatione primae tonsurae

Collatio primae Tonsurae

D. An vi canonis 111 § 2, conlati cum canone 955 § 1, Episcopus alienum subditum sine legitimis proprii Episcopi litteris dimissoriis ad primam tonsuram promovere licite possit.

R. *Negative.*

II. — De optione

Optio praebendarum.

D. I. An vi canonis 396 § 2 prohibeatur optio ad praebendas quomodocumque canoniae seu titulo canonicali adnexas.

II. An vi eiusdem canonis prohibeatur optio etiam ad domos, praedia aliaque a praebendis canonicalibus distincta.

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative*

III. — De benedictione papali

Ben. Papalis in plur. dioeces.

D. An Episcopus, plures habens regendas dioeceses, in earum altera benedictionem papalem Paschati Resurrectionis adnexam, de qua in canone 914, iure proprio in aliam diem transferre possit.

R. *Negative.*

IV. — De matrimonio filiorum apostatarum

Suntne filii apostatarum ab acatholicis nati?

D. An sub verbis *ab acatholicis nati*, de quibus in canone 1099 § 2, comprehendantur etiam nati ab apostatis.

R. *Affirmative.*

V. — De ultimis voluntatibus

Vis verbi « moneantur » in c. 1513 § 2.

D. Utrum verbum *moneantur*, de quo in canone 1513 § 2, sit praeceptivum, an tantum exhortativum.

R. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

VI. — De iure denuntiandi nullitatem matrimonii

Ius denuntiandi matrimonium.

D. An coniuges qui, iuxta canonem 1971 § 1 n. 1 et interpretationem diei 12 Martii 1929, habiles non sunt ad accusandum matrimonium, vi eiusdem canonis § 2 ius saltem habeant nullitatem matrimonii Ordinario vel promotori iustitiae denuntiandi.

R. *Affirmative.*

Dies (17 feb. 1930).

Datum ex Civitate Vaticana, die 17 mensis Februarii anno 1930.

P. Card. Gasparri, *Praeses.*

L. ✠ S.

I. Bruno, *Secretarius.*

Annotationes

I. *Primi responsi* plenum Commentarium, quasi anticipatum, reperitur scriptum a R. P. Cappello, supra, p. 38-40.

Id tantum addimus, de effectu incardinationis ex ordinatione pro alia dioecesi, utiliter consuli responsum, non tamen promulgatum, *Pont. Commissionis,* 17 aug. 1919, quod exscripsimus in *Per.,* XII, 73 ss. Cfr quoque *Epitome iuris can.,* I, n. 203; II, n. 239, et *Per.* XV (115)-(117).

II. *De altero responso.* Titulo canonicali praebendae annecti possunt duplici modo: vel *separabili* vel *inseparabili.* Distinctio ista insinuatur vocabulo *quomodocumque,* ac responsum est optionem in utroque casu prohiberi, etsi, in priore casu (annexionis separabilis) mutatio praebendae non secum ferat mutationem tituli. Porro ratio responsi haec datur, hanc esse proprie optionem quae fiat praebendae, ut habet usualis antiqui iuris significatio et classica definitio aucto-

ris MONETA *(De optione,* c. I, n. 13) « Optio est ius quoddam Capitulo seu collegiali alicui ecclesiae, ex consuetudine alicui competens, ut *antiquiores gradatim vacantem praebendam,* quae reservata non sit, propria dimissa, intra certum tempus eligere possint ».

Nulla autem erat causa cur can. 396 § 2 extenderetur ad domos, praedia aliaque a praebendis canonicalibus distincta.

III. Ad III, *De Benedictione Papali,* haec simplex responsi ratio praesto est, quod c. 914 unam benedictionem taxative Paschati Resurrectionis annexuit; Codicis definitioni autem derogari non potest sine Apostolico indulto.

Dubitari etiam potest utrum Episcopus qui duabus vel tribus dioecesibus praeficitur in singulis Benedictionem Papalem bis impertire possit, an agatur de privilegio non reali sed personali, ita ut numerus benedictionum minime pro numero dioecesium variet.

Sed de hac re nulla quaestio facta est.

IV. Ad IV *De matrimonio filiorum Apostatarum.* Apostatae, attento c. 1325 § 2 stricte sunt qui a fide christiana totaliter recesserunt; sed communi usu ii quoque intelleguntur qui a fide catholica quam professi erant defecerunt. Porro de utrisque hic sermo habetur.

Solutio autem quaestionis in hoc vertitur, utrum in c. 1099 § 2 verba « ab acatholicis nati », intellegenda essent de acatholicis late an stricte sumptis, quorum filii immunes forent a catholica forma matrimonii servanda. Non agitur enim de ipsis apostatis, qui ex apostasia sua ne hoc quidem commodum referre possunt, quod foret immunitas a canonica forma matrimonii servanda, sed de eorum filiis innocentibus, qui propter parentum culpam minime puniendi sunt.

Ratio amplae significationis etiam haec addi potest, quod mens legislatoris est ne nimis multa sint matrimonia invalida propter solum formae defectum.

Applicatio tamen responsi — quo non pauca matrimonia mere civilia iam pro validis habenda sunt — in difficultatem impingit dignoscendi veros apostatas. Etenim facile ii cognoscuntur qui sectae haereticae vel schismaticae nomen dederunt; sed non ita commode a veris apostatis discernuntur ii qui mere extra omnem religionis usum vivunt, sine formali apostasiae declaratione.

Sed altera nota quae ad immunitatem a forma requiritur, non paucas obscuritates dissipabit. Non omnes enim qui ab acatholicis nati sunt forma servanda eximuntur, sed ii tantum qui praeterea ab infantili aetate in haeresi, schismate, infidelitate aut sine ulla religione adoleverunt.

Exemptio porro ista perseverabit donec non fuerint externe ad fidem catholicam conversi. Interna enim conversio statum iuridicum afficere nequit.

V. Ad V. *De ultimis voluntatibus.* Cfr. disputationem nostram supra, p. 49*-63*, de hoc argumento scriptam, et Resp. R. P. CAPPELLO, p. 40*-42*.

VI. *De iure denuntiandi matrimonia.* Ipse can. 1971 in § 2 distinguit ius denuntiandi a iure accusandi, utpote quod ad plures pertineat qui iure accusandi excluduntur. Ac ratio discriminis est in propatulo. Qui accusat, ipse litem movet; qui mere denuntiat, occasionem dat agendi publicae potestati. Quare responsum *affirmative* ambigi non poterat.

Cfr De iure accusandi matrimonium R. P. CAPPELLO, Per XVI, p. 226 ss: et resp. Pont. Commiss., 12 mart. 1929, ad V, *Per.*, XVIII, 172 et 176.

ACTA SUMMATIM RELATA

38. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Acta in Consistorio secreto de Canonizatione B. Theophili, O. F. M., et B. Catharinae ex Ord. S. Augustini;

A. - *De Sacro Consistorio.* Die 23 apr. 1930, prius, in Consistorio secreto, audita est relatio Em. Card. Praefecti Rituum de vita, virtutibus et miraculis B. Conf. Theophili a Curte O. F. M. et Catharinae Thomas, Canonissae regularis Ord. S. Augustini, et de actis quae in utriusque causa S. R. C. admiserat et approbaverat: post quam relationem S. Pontifex a singulis Cardinalibus exquisivit: An deveniendum sit ad sollemnem praefati Beati (vel Beatae) Canonizationem ».

et in Consistorio publico, de iisdem causis.

Continenter dein habitum est *Consistorium publicum* pro sollemni utriusque causae peroratione.

Subinde, nomine Sanctitatis Suae, R. D. Nicolaus Sebastiani, Apostolicarum litterarum ad Principes Secretarius, respondit, utramque canonizationem esse S. S. acceptam, decretum tamen non antea ab Ipsa pronuntiatum iri quam in Consistorio semipublico, Cardinalium, Archiepiscoporum et Episcoporum suffragia exquisierit et probaverit. Omnes demum monuit ut implorarent lumen Spiritus Sancti (A. A. S.. XXII, 235).

Erectio Collegii Aethiopici, ut Pontificii.

B. - Bulla *Curis ac laboribus*, 12 feb. 1930, S. Pontifex, memoratis fatis historicis, apostolica auctoritate, constituit Seminarium seu Collegium Aethiopicum, in ipso Vaticanae Urbis Statu conditum, eique nomen et iura Pontificii Collegii attribuit.

Subditur Vicario generali Status Vaticani.

Ac derogans Bullae *Ex Lateranensi pacto* (1), cuius articulo VI *b*) Seminarium Aethiopicum a iurisdictione Vicarii generalis exemerat ut illud poneret sub iurisdictione Cardinalis Secretarii S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, illud iurisdictioni subicit Vicarii generalis in Vaticanae Urbis Statu.

Non ideo tamen, ni fallimur, derogat alteri parti istius art. VI *b*) quo Moderator *pro tempore* eiusdem Seminarii, declaratur parochi munere fungi, praesertim cum id congruat cum c. 1368.

Ei unitur hospitium Aethiopicum S. Stephani maioris.

Eidem collegio unitum seu inclusum declarat cum omnibus bonis, iuribus ac privilegiis, hospitium Aethiopicum S. Ste-

(1) A. A. S., 1929, XXI, p. 309-311.

phani maioris, cuius domus in commodum Collegii diruta est. (A. A. S., XXII, 237 ss.)

C. - Brevi *Salernitanus Archiepiscopus,* 21 octobris 1929, declaratur S. Lucia V. et M. patrona principalis oppidi « S. Lucia del Serino » dioecesis Salernitanae (A. A. S., XXII, 1930, 159).

S. Lucia V. M. patrona oppidi « S. Lucia del Serino ».

D. - *Litterae de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis apostolicis et Missionibus.*

1. Bulla *Sollicitudo universalis Ecclesiae,* 6 aprilis 1930, dismembratur dioecesis Botucatuensis, et erigitur nova Assisensis (A. A. S., XXII, 1930, 153).

Botucatuensis, Assisensis.

E. - *Litterae de ecclesiis*: In Basilicam minorem eriguntur:

1. Brevi *Moderator ac religiosi,* 1 iul. 1929, ecclesia B. M. V. Immaculatae, Clericorum Excalc. a Passione D. N. I. C., loci « Isola del Gran Sasso » (A. A. S., XXII, 1930, 158).

Ecclesia B. M. V. Imm. in « Isola del Gran Sasso ».

2. Brevi *Mediolanensi in civitate,* 12 nov. 1929, templum S. Celsi, Mediolani (A. A. S., XXII, 1930, 160).

Templum S. Celsi, Mediolani.

39. — S. C. Consistorialis

A. - *Dismembrationes et uniones.*

Decreto 7 ianuari 1930, pagus *Schönbrunn* et villa *Strasshaus* a territorio *Appertshofen,* dioecesis Ratisbonensis, separantur, et paroeciae *Denkendorf,* dioecesis Eistettensis, aggregantur (A. A. S., XXII, 1930, 166).

Ratisbonensis, Eistettensis.

B. - *Immutatio finium.*

Decreto 20 decembris 1929, pagi *Reguty et Tabor* a paroecia *Osieck* et a dioecesi Siedlcensi separantur et paroeciae *Celestynow* archidioecesis Varsaviensis uniuntur (A. A. S., XXII, 1930, 165).

Reguty et Tabor.

C. - *Invitatio ad Consistorium.*

Die 23 apr. 1930, decreto S. C. Consistorialis, omnes Antistites intra centesimum ab Urbe lapidem iubentur, si possint, Romam petere ut intersint Consistorio semipublico, 22 maii 1930, in quo suffragium suum edant pro canonizatione B. Theophili a Curte, O. F. M., B. Catharinae Thomas, canonissae regularis ex O. S. Augustini, et fortasse aliorum Beatorum quorum causa penes S. R. C. ad praesens agitur. Ceteri Antistites convocantur et laete excipientur. Qui hac occasione Romam convenerint et praefatis sollemniis adfuerint proxima vice ab obligatione sacra Limina visitandi eximuntur (A. A. S., XXII, 241).

Antistitum convocatio ad Consistorium semipublicum, ut suffragia dent pro canonizandis Beatis.

Eximuntur a proxima visitatione SS. Limina

40. — S. C. Rituum

Causae Beatificationis et canonizationis.

Balthassarius a Clavario. Confirmatio, 8 ian. 1930, cultus praestiti servo Dei Balthassari a Clavario, O. F. M. (A. A. S., XXII, 1930, 171).

Beata Catharina Thomasia. Decretum, 9 mart. 1930, super miraculis in causa canonizationis beatae Catharinae Thomasiae, O. S. A. (A. A. S., XXII, 1930, 174.

Theophilus a Curte. Decretum, 23 mart. 1930, super miraculis in causa canonizationis Beati Theophili a Curte, O. F. M. (A. A. S., XXII, 1930, 243).

Theophilus a Curte. Decretum, 6 apr. 1930, super dubio de *tuto* in causa canonizationis Beati Theophili a Curte, O. F. M. (A. A. S., XXII, 1930, 246).

Catharina Thomasia. Decretum, 6 apr. 1930, super dubio de *tuto* in causa canonizationis Beatae Catharinae Thomasiae, O. S. A. (A. A. S., XXII, 1930, 248).

41. — Tabulae Synopticae Causarum S. R. Rotae anno 1929.

	Impedimentum	Allegatum	Admissum	Negatum
Separationis:		2	1	1
Nullitatis	Amentia	1	0	1
	Clandestinitas	5	0	5
	Conditiones appositae	8	2	6
	Consensus deficiens	10	5	5
	» ignorantia matrimonii vitiatus	1	0	1
	Impotentia mulieris	1	1	0
	Impotentia viri	1	1	0
	Intentio contra bonum prolis	1	0	1
	Intentionis defectus contra bonum fidei et sacramenti	1	0	1
	Ligamen	2	0	2
	Vis et metus	28	12	16

Ceterae causae fuere semel de solutione sententiae arbitralis *Sancti Germani de Rimouski;* semel de *diffamatione et alimentis;* semel de *restitutione Ecclesiae;* semel de *iniuriis et diffamatione;* semel de *praecedentia;* semel de *iuribus;* semel de *separatione.*

Demum, eodem anno 1929, 26 causae, sive propter transactionem, sive propter peremptam instantiam, sive propter reiectum libellum, finem habuere sine definitiva sententia.

42. — Provisio Ecclesiarum

Decretis S. Congregationis Consistorialis nominati sunt:

13 mart. 1930, R. D. Iosephus Miralles y Sbert, ex ep. Barcinonensi, cathedrali ecclesiae Maioricensi. — *Maorca (Spagna).*

13 mart. 1930, R. D. Emmanuel Irurita y Almandoz, ex. ep. Illerdensi, cathedrali ecclesiae Barcinonensi. — *Barcellona (Spagna)*

13 mart. 1930, R. D. Iosephus Alcaraz Alenda, cathedrali ecclesiae Pacensi. — *Badajoz (Spagna).*

2 apr. 1930, R. D. Ioannes Geisler, cathedrali ecclesiae Brixinensi. — *Brescia (Italia).*

11 apr. 1930, R. D. Ioannes Henricus Gerardus Jansen, metropolitanae ecclesiae Ultraiectensi. — *Utrecht (Olanda).*

16 apr. 1930, R. D. Iosephus Henricus Schlarman, cathedrali ecclesiae Peoriensi. — *Peoria (U. S. A.).*

43. — Necrologium

13 iun. 1929, D. Guilelmus Barry, archiepisc. Hobartensis. — *Hobart.*

2 aug. 1929, D. Ioannes Iacobus Keane, archiepiscopus Dubuquensis. — *Dubuque.*

3 aug. 1929, D. Timotheus Ieremia Makdassi, episcopus Zachuensis. — *Zaku.*

14 mart. 1930, D. Eugenius Ludovicus Ernestus Julien, episcopus Atrebatensis. — *Arras.*

17 mart. 1930, D. Constantinus Chauvain, episcopus Ebroicensis. — *Èvreux.*

4 april. 1930, D. Paulus Felix Beauvin de Beauséjour, episcopus Carcassonensis. — *Carcassone.*

5 april. 1930, D. Ludovicus Ferretti, episcopus Collensis. — *Colle Val d'Elsa.*

18 april 1930, D. Ioachim Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti, archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii. — *S. Sebastiano de Rio de Janeiro.*

18 april. 1930, D. Ioseph Marusic, episcopus Seniensis et Modrussensis. — *Segna, Modrussa.*

30 april. 1930, D. Innocentius Davila y Matos, episcopus Catamarcensis. — *Catamarca.*

BIBLIOGRAPHIA

I. *Ex libris.*

Cimetier F. (S. S.) *Les sources du droit ecclésiastique* Vol. (12×18) Pag. 204, Blodu-Gay.

Avant-propos. — Des origines au décret de Gratien (v. 1140). — Du décret de Gratien à l'achèvement du Corpus Iuris Canonici (1140-1500). De l'achèvement du Corpus Iuris Canonici au Concile du Vatican (1500-1869). — Du Concile du Vatican au Code de Droit Canonique (1869-1917).

Dumaine Ch. *Conversations latines.* (Vol. 11×16) Pag. 415-VIII, Paris, A. Tralin, 3 éd.

Avertissement. — Première partie : conversations. — Deuxième partie : Vocabulaire français-latin d'un certain nombre de mots usuels et des principaux termes de la vie moderne.

Guitton Georges. *Pour collaborer.* Vol. (12×18) Pag. 179, Paris, Spes. Prix, Fr. 9.

Avant-propos. — L'Église est compétente dans le domaine social. — Le syndicat est légitime. — Le syndicat est nécessaire. — Le syndicat doit être chrétien par sa doctrine morale. — Le syndicat doit être chrétien par son recrutement. — Le syndicat, organe de collaboration. — L'Église, maitresse de formation sociale. — Conclusion.

Marchet Xavier. *La merveilleuse vie de Bernadette, la Voyante de Lourdes.* Vol. (12×17) Pag. XV-300, Paris, Téqui, 1930. Prix, Fr. 12.

Préface. — La vision (1858). — Le message (1858). — Le témoignage (1858-1860). — Le cloître (1866-1879). — Le ciel.

Noldin-Schmitt (S. I.). *De praeceptis Dei et Ecclesiae.* Vol. (13×22) ed. 20*. Pag. 746, Oeniponte, Rauch, 1930.

Introductio. — De praeceptis virtutum theologicarum. — De praeceptis decalogi. — De praeceptis Ecclesiae. — De praeceptis particularibus.

Mainage Th. (O. P.). *La révérende mère Saint Dominique de la Croix.* Vol. 2 (12×18) Pag. X-361-374, Paris, Téqui, 1929.

La vocation. — Le sacrifice. — Prise d'habit et profession. — Le sens Dominicain. — Le nouveau couvent de Chalon. — Les commencements de Bonnay. — Vie intérieure. — Constitutions et premières fondations. — La mission des Antilles. —

Débuts de la crise de Terbanck. — La crise de Terbanck. — Le désastre de Trinidad et la guerre Franco-Allemande. — Le coup de grâce. — Le miracle d'Etrépagny. — L'hôpital de Levallois-Perret. — De Rome à Trinidad. — La congrégation de Sainte-Catherine de Sienne de 1892 à 1904. Fondation de Montrouge. — Les dernières années. La fondatrice et ses filles. Sa mort.

Poullier L. (S. I.). *Réflexions sur la semaine des Exercices.* Vol. (13×21), Pag. 41. Toulouse, Apostolat de la Prière, 9 rue Montplaisir, 1930.

Introduction. I. Dessein des Exercices. Composition; Valeur; Suite des pensées. — II. Impressions retirées de l'enseignement de la Semaine. — Lettre autographe de S. S. le Pape Pie XI.

Velge Henri. *L'institution d'un conseil d'État en Belgique.* Vol. (12×18) Pag. 320, Louvain, Études morales, sociales et juridiques, 1930. Prix Fr. 20.

Avant-propos. Pour quelles raisons propose-t-on de créer un conseil d'État en Belgique. — Les projets de création d'un conseil d'État en Belgique. — Le conseil d'État legislatif. — La cour du Contentieux administratif. — Conclusion.

Ex Periodicis

Collationes Tornacenses, 1930. PASTURE A. Une paroisse rurale sous l'ancien régime. — *** Association catholique de la Jeunesse belge féminine.

Collectanea Mechliniensia, 1930. GOUGNARD A. De poenis libros prohibitos respicientibus. — DE COSTER J. Vocations sacerdotales.

Collationes Namurcenses, 1930. GÉRARD V. Les épreuves propres à la vie mystique. — COLLART A. De sacerdote delegato ad matrimonium assistendum. Théories sur l'essence du Sacrifice de la Messe. — RANWEZ E. De attentione requisita in horis canonicis.

Il Diritto Ecclesiastico, 1930. MAZZONI UGO. La personalità giuridica delle Congregazioni religiose. — GAUDENZI SCIPIONE. Sull'opportunità di accordare esecutività civile alla dispensa ecclesiastica da matrimonio preconcordatario rato e non consumato sulla istanza anche di un solo dei coniugi. — Z. M. Casi controversi e discussioni circa l'applicazione della nuova legge matrimoniale.

Ius Pontificium, 1930. VROMANT G. De natura potestatis Vicarii delegati in territorio missionum. — HECHT F. Quando-

nam lex peculiaris de forma matrimoniali in Germania ante Codicem i. c. vigens, valere incipiebat. — BONDINI A. De excardinatione et incardinatione clericorum. — BASTIEN P. Conspectus historico-iuridicus de regimine monasterii in ordine S. Benedicti cum tabula. — PELLEGRINI B. De intentione bono sacramenti adversa eiusdemque probatione in iudicio ad normam can. 1086. — TOSO A. Ad Codicem i. c. commentaria a can. 574 ad can. 586 cum propriis paginarum numeris. — *** De peculiari natura Concordati Lateranensis. — VAN HOVE A. De privilegiis et indultis. Ad can. 4 Cod. i. c.

Il Monitore Ecclesiastico, 1930. *** Legge su le dispense matrimoniali e regolamento per l'esecuzione della legge sugli enti ecclesiastici e sulla amministrazione civile dei patrimoni a fine di culto. UBALDI B. Circa la dispensa civile da impedimenti. — *** Diritti del parroco in una vicaria.

Perfice Munus, 1930. BONDINI (mgr). Circa il diritto di sepoltura. — ROVEDA (mgr) FERDINANDO. L'azione cattolica e la gerarchia ecclesiastica. — ROSSI G. L'istituto di matrimonio in Italia dopo il Concordato. L'istituto del matrimonio civile. — BENEDETTI E. Parroco e ospedale. — VAUDAGNOTTI A. Piccolo Dizionario: Divorzio. — BERTOLA A. Principii e applicazioni pratiche. — GENNARO A. De usu notitiae Sacramentalis ad externam gubernationem. De occulta compensatione.

Palestra del Clero, 1930. BUTTIGNONI G. Conseguenze di un battesimo invalido o dubbiamente valido conferito a chi poi ascese al sacerdozio. Condotta del confessore verso un sacerdote che desidera riabilitarsi. Il dovere di un sacerdote degradato verso un moribondo sulla pubblica via. — MATTEO CONTE A CORONATA (M. C.). L'*error communis* nell'assistenza ad un matrimonio. — DE SANTA (mgr.) FORTUNATO. L'ordinamento corporativo in Italia. — MANCINI ARGEO. Venialità e imperfezioni volontarie. — ROVEDA (mgr.) FERDINANDO. Azione cattolica e associazioni religiose. — GRAZIOLI A. Proibizione di libri. — MANCINI A. Verità nel giuramento. — MATTEO CONTE A CORONATA. (O. M. C.). Condizioni per la lecita binazione. Binazione per alium. — COLOMBINI DANTE. Nomina ai benefici ecclesiastici e presa di possesso. — VITO P. Ancora la dispensa civile degli impedimenti matrimoniali. — CAROLI F. I Seminari e gli atti eccedenti l'ordinaria amministrazione.

(*Continuabitur*).

PARS ALTERA

MONUMENTA

44. — Consistoria 19 et 22 maii 1930

(A. A. S., 2 iun. 1930, XXII, 257)

Quia in Consistorio prius secreto dein publico 19 maii 1930 et in Consistorio semi-publico 22 maii eiusdem anni, actum est de canonizatione plurium beatorum, visum est ex integro referre narrationem quae prodiit in Acta Apostolicae Sedis *ut sollemnes tantae actionis praeparationes Lectoribus vel primum describantur vel memorentur.*

SACRUM CONSISTORIUM

19 Maii 1930

(A. A. S., 2 iun. 1930, XXII, 257)

I

Relatio in Consistorio secreto de vita, virtutibus et miraculis Beatorum.

Hac feria II, die 19 Maii, in consueta aula Palatii Apostolici Vaticani habitum est *Consistorium secretum*. Assidente Summo Pontifice, Reverendissimus Cardinalis Camillus Laurenti, sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, compendiosa narratione vitam, virtutes ac miracula retulit Beatorum Ioannis de Brébeuf, Isaaci Jogues et Sociorum, Societatis Iesu, Martyrum, atque Beati Roberti S. R. E. Card. Bellarmino, Conf., Soc. Iesu, et Beatae Luciae Filippini, Virg. Fundatricis Instituti Magistrarum Piarum Filippini; ac insuper acta universa recensuit, quae in causa Beatificationis et Canonizationis eorumdem sacra Rituum Congregatio, praevio rigoroso examine, admiserat et approbaverat.

Suffragatio Em. Cardinalium de eorum canonizatione.

Qualibet relatione expleta Sanctissimus Dominus noster Reverendissimorum Patrum Cardinalium singillatim suffragia exquisivit: « An scilicet deveniendum sit ad sollemnem praefatorum Beatorum Canonizationem »: et singuli Patres Cardinales sententiam suam aperuerunt.

II

In Consistorio publico per oratio causarum Canonizationis.

Consistorio secreto felici successu peracto, iussu Sanctissimi Domini nostri, continenter habitum est *Consistorium publicum* pro sollemni peroratione Causarum Canonizationis praefatorum Beatorum. Nimirum DD. Franciscus Pacelli, Ioannes Guasco, Christophorus Astorri, sacrae Consistorialis Aulae Advocati, relatis vita, virtutibus et miraculis Beatorum quorum singuli Causam egerant, pro sollemni eorum Canonizatione de more institerunt.

Responsio facta nomine Pontificis.

Tum R. P. D. Nicolaus Sebastiani, Apostolicarum litterarum ad Principes Secretarius, stans a sinistro pontificii Solii latere, DD. Advocatis in genua provolutis, Sanctitatis Suae nomine, hisce verbis respondit:

« Die tertio ac vicesimo superioris mensis, de cultu duobus christianae perfectionis heroibus augendo rite peroratum; hodie vero, cum absoluta omnia sint, quae ex Apostolicae Sedis instituto agenda superessent, eam ipsam cultus amplificationem a Beatissimo Patre pro aliis pluribus, facunde dicendo, poposcistis. Qui quidem omnes, sanctimoniae laude perillustres, nimium quantum rei catholicae profuere: videlicet Ioannes de Brébeuf eiusque socii, asperrimis toleratis in evangelii praedicatione laboribus et facto dein strenue fortiterque martyrio, unde obtigit, quasi ex iacto divinitus semine, ut inter feros Canadensium regionum indigenas, contumaces ante atque indociles, Fides nostra celerius sane latiusque propagaretur; Robertus Bellarmino, sacram tuendo doctrinam novatorumque errores sapienter refutando; Lucia Filippini, denique, se puellarum institutioni atque educationi devovendo totam, relictaque, post obitum, piarum sodalitate magistrarum, quae ipsius operam, veluti hereditate traditam, sancte actuoseque perpetuarent. Cum igitur res agatur, quam ad laetum properare ac perduci exitum si optimo cuique gratum, erit sane pergratum Pontifici, habetote iam vos in singulorum, quos memoravi, virtutibus ac promeritis heic dilucide enarrandis haud nequiquam adhibitam nec temere interpositam eloquentiam vestram. Atque alia, praeterea, accedit causa, cur Sanctissimus Dominus noster multo sit ad ita deliberandum proclivior, ut cupitis: quod scilicet praeclaris hisce Ecclesiae filiis, qui beati perpaucis ante annis renuntiati sunt, novis patratis, tam brevi temporis spatio, per eos deprecatores miraculis, videatur Deus ipse legitimam amplissimamque universorum christifidelium venerationem maturare voluisse. At Pontifex tamen, qui, religiosissimus hoc in genere

iudex, omnia, quadam quasi trutina, diu multumque examinare consuevit, eo est animo ut supersedeat aliquantum, donec Patres Cardinales et sacrorum Antistites, ad mentem cuiusque suam aperiendam vocatos, in Consistorio semipublico, quod propediem habebitur, sententiam rogaverit; intereaque se omnium adiuvari ac muniri precibus optat, ut ad ineundum tanti momenti consilium Spiritus Paracliti afflatu regatur ac permoveatur. — Haec Beatissimus Pater praecepit ut ad orationes vestras suo ipsius nomine responderem ».

Die 22 Maii 1930.

CONSISTORIUM SEMIPUBLICUM DE CANONIZATIONE BEATORUM IOANNIS DE BRÉBEUF, ET SOCIORUM, MARTYRUM; ROBERTI BELLARMINI, EPISCOPI CONFESSORIS, ET THEOPHILI A CURTE, CONFESSORIS, AC BEATARUM CATHARINAE THOMASIAE ET LUCIAE FILIPPINI, VIRGINUM.

Consistorium semi-publicum ad excipienda suffragia pro futura Beatorum canonizatione.

Feria V, die 22 Maii 1930, in consueta Aula Palatii Apostolici Vaticani, Consistorium semipublicum habitum est, in quo Sanctissimus Dominus noster Pius Papa XI tam Reverendissimorum Patrum Cardinalium, quam Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum itemque Praelatorum seu Abbatum *nullius*, quibus ius est, suffragia excepit pro futura canonizatione Beatorum Ioannis de Brébeuf, Isaaci Jogues, Gabrielis Lalemant, Antonii Daniel, Caroli Garnier, Natalis Chabanel, Renati Goupil et Ioannis de La Lande, Martyrum, S. I., Roberti Cardinalis Bellarmino, S. I., Episcopi confessoris, et Theophili a Curte, O. F. M., Confessoris ac Beatarum Catharinae Thomasiae Virginis, monialis professae in Ordine Canonissarum S. Augustini, et Luciae Filippini, Virginis, fundatricis Instituti Magistrarum Piarum ab eius cognomine nuncupatarum.

Suffragia excepturus Beatissimus Pater haec praefatus est:

VENERABILES FRATRES

Quae ante suffragationem Pontifex praefatus est.

Obstare iam nihil videtur, quominus beatis Ioanni de Brébeuf eiusque sociis martyribus, Roberto Bellarmino Episcopo confessori et Theophilo a Curte confessori, Catharinae Thomasiae et Luciae Filippini virginibus, sanctorum caelitum honores ubique gentium deferri iubeamus. Acta enim res apud Consilium sacris Ritibus tuendis magna illa, qua solet idem, disceptationum severitate; accessere, quemadmodum nostis, duo

Consistoria secreta, publica duo : ut profecto appareat, nullum iam nunc dubitationi, nullum haesitationi locum relinqui. Verum in causa tam gravi, quae cum infallibili Romani Pontificis magisterio penitus cohaereret, ne quod humanae sapientiae adminiculum praesidiumque mitteremus vel neglegeremus, vos, Venerabiles Fratres, quotquot potissimum minus longe a Nobis abestis, huc in Consistorium semipublicum acciri voluimus, commentariis de eorundem beatorum vita, virtutibus, miraculis tempestive unicuique coeuntium traditis, ut, re etiam atque etiam cognita ac perspecta, iudicium Nobis vestrum aperire possetis. Id igitur, Venerabiles Fratres, postulamus, ut de beatis hisce ad summos honores evehendis comprobatae hominum sanctitati debitos, quid singuli sentiatis, alius post alium vestrae ex ordine dignitatis, profiteamini.

Exceptis vero adstantium suffragiis, Sanctissimus Dominus Noster haec addidit verba :

Quae, post excepta suffragia addidit verba.

Ex suffragiis modo latis didicimus, beatos, de quibus agitur, vobis plane dignos haberi, quos in sanctis caelitibus numeremus : in eandem vero sententiam scitote Nosmet ipsos discedere perlibenter. Itaque, in Petriani templi maiestate iisque caeremoniis, quae apparatu ipsae suo eventi magnitudinem declarant, sacra eiusmodi sollemnia peragere certum Nobis deliberatumque est. Utque tempus rei gerendae de more praefiniamus, die dominico proximi mensis Iunii altero et vicesimo, beatis Catharinae Thomasiae et Luciae Filippini ; die autem dominico eiusdem mensis undetricesimo, beatis Ioanni de Brébeuf eiusque sociis, Roberto Bellarmino et Theophilo a Curte sanctorum caelitum honores, apostolica auctoritate Nostra, decreturi sumus. Quod quidem eventum ut faustum sit, sit felix et catholico nomini bene vertat, divinum Ecclesiae Conditorem, Venerabiles Fratres, una Nobiscum rogare ne desinatis.

Petitio Praefecti Caerimoniarum ad Protonotarios et Notarios directa.

Tum, obtenta venia Summi Pontificis, Praefectus Caeremoniarum Apostolicarum Protonotarios Apostolicos adstantes ita rogavit : « Ego Carolus Respighi, Caeremoniarum Apostolicarum Praefectus, rogo vos omnes Protonotarios et Notarios Apostolicos hic praesentes, ut de sententiis, consilio et unanimi consensu Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum, deque Summi Pontificis oratione ac deliberatione praehabitis super sollemni Canonizatione beatorum Martyrum Ioannis de Brébeuf et sociorum ; beatorum Roberti Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Bellarmino et Theophili

a Curte nec non beatarum Catharinae Thomasiae et Luciae Filippini, unum vel plura, publicum seu publica conficiatis instrumentum vel instrumenta ad perpetuam rei memoriam ». Cui antiquior e Protonotariis Apostolicis praesentibus Ill.mus et Rev.mus P. D. Dominicus Iorio, innuens Cubicularios de numero, respondit: « Conficiemus, vobis testibus ».

Responsio antiquioris Protonotarii.

45. — Acta in sollemnibus canonizationibus 22 et 29 iunii 1930.

(A. A. S., 3 iul. 1930, XXII, 289)

I. — *In canonizatione beatarum Catharinae Thomas et Luciae Filippini, virginum, in Basilica Vaticana, die XXII iunii MDCCCCXXX peracta.*

Ad postulationem instanter *factam per Advocatum Sacri Consistorii Augustum Milani a Viro Eminentissimo Camillo Laurenti, Cardinali Praefecto Sacrorum Rituum Congregationi, R.mus D. Nicolaus Sebastiani, secretarius Litterarum ad Principes, nomine Sanctitatis Suae, ita respondit:*

Postulatio.

I. Enuntiatae modo postulationi Sanctissimus Dominus noster concedere paratus est: immo eo paratior, quod honores beatis virginibus Catharinae Thomasiae et Luciae Filippiniae decernendi fieri demum non potest quin in Dei Ecclesiaeque gloriam, in duarum decus atque incrementum religiosarum sodalitatum et in catholici nominis utilitatem copiose redundent. Res igitur adesse properat summopere laetabilis, atque omnia ad hanc cumulandam eventi iam diu optati faustitatem conspirare quodammodo videntur. Spectaculum enim mirificum ante oculos nobis hodie propositum. Sub ista, quae magnifica imminet, immensitate tholi; in hoc templi maximi artificio ac splendore, ubi Principum Apostolorum cineres non tam hodierno die quiescere quam gaudio exsilire putandi sunt; in amplissimo Purpuratorum Patrum Antistitumque consessu inque tanta hac civium advenarumque frequentia: cur non consecrationem utriusque virginis unusquisque cupide appetat ac praestoletur itemque in divinae Christi Iesu Sponsae admirationem rapiatur? Nemo enim non intellegit, Ecclesiam, quamquam eiusmodi assuetam triumphis, mox tamen novo supernaturalis

Responsio nomine Sanctissimi Domini.

originis virtutisque suae testimonio sic auctum iri, ut iterum iterumque appareat « regina... in vestitu deaurato, circumdata varietate », et ubique habeatur ac praedicetur fecunda in omni hominum ordine ac sexu parens atque effectrix heroicae sanctitatis. Pulsant haec quidem, ut ceterorum, ita Beatissimi Patris animum: cui nihilo secius placet, ante quam sollemnem dicat feratque sententiam, Deo benignissimo, ad uberiorem superni luminis effusionem implorandam, communiter supplicari, adhibita apud ipsum validissima Immaculatae Virginis Mariae, Patriarchae Ioseph, Apostolorum Petri et Pauli totiusque caelestis Curiae deprecatione.

Postulatio instantior

Post cantatas Sanctorum Litanias, ad iteratam instantius *postulationem pariter R.mus Dominus respondit:*

Responsio nomine Pontificis data.

II. Iteratae flagitationi respondeo, hanc esse mentem voluntatemque Pontificis, ut, sat brevi mora interposita, Spiritus Paracliti auxilium per usitatas in Ecclesia preces sibi praesentissimum impetretur.

Postulatio instantissima.

Ad haec, praecinente Beatissimo Patre, hymnus Veni, creator Spiritus, *cum congrua oratione successit: quo expleto, tertiam* instantissimam *postulationem haec excepit responsio:*

Responsio.

III. Omnibus rite Romanae Ecclesiae more institutoque peractis et divina ope semel atque iterum petita, nihil iam deest, quominus Beatissimus Pater Catharinam Thomasiam et Luciam Filippiniam in sanctis caelitibus numeret. Exspectatissimum igitur horae momentum advenit, quo dabitur vobis, quotquot adestis, ut Petri in Pio viventis ac loquentis oraculum, reverenter iucundeque audiatis.

Definitio Pontificis.

Tum Ss.mus D.nus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, in Cathedra sedens, sic definivit:

Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra; matura deliberatione praehabita, et divina ope saepius implorata ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio, Beatam Catharinam Thomasiam et Beatam Lu-

ciam Filippiniam Sanctas esse decernimus et definimus ac Sanctorum catalogo adscribimus; statuentes ab Ecclesia Universali earum memoriam quolibet anno die earum natali, nempe Catharinam Thomasiam die V Aprilis et Luciam Filippiniam die XXV Martii inter Sanctas Virgines non Martyres pia devotione recoli debere. In nomine Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus ✠ Sancti.

In sollemni vero Missa Papali, post Evangelium, haec fuit

HOMILIA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

Homilia SS. Domini.

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII

« Nova Ecclesiam corona gloriae auctam duasque virgines, eximiae sanctitatis exempla, christifidelibus ad colendum imitandumque propositas, Nobiscum laetamini: quod fecimus, nostis magnis de causis Nos, iisdemque probatissimis, fecisse. Proditum enim memoriae est, Catharinam Thomasiam, iam tum, cum infans esset ac puerula, singularibus de caelo locupletatam muneribus atque ex insidiis ac periculis mirum in modum ereptam, quae innocentissimae filiolae « potestas tenebrarum » struebat, in virtutum exercitatione profecisse admodum; multo autem progressam ulterius ex quo umbratilem in claustro vitam, tirocinio sancte traducto, professa est. Mittimus singula persequi: dicere satis esto, eandem virginem, frequentibus mentis animique a corpore secessibus in Deum raptam, plus in caelis quam in terris versari, sanctimonialibus visam esse, quibuscum ageret. Hoc unum notabimus, ipsam, etsi intra arctissima monasterii saepta degentem, de aeterna tamen animarum salute fuisse imprimis, quaecumque daretur occasio, sollicitam. Fertur enim, si quando sibi contingeret, antistitae iussu, in collocutorio adesse, haud alio spectasse, quam ut salutatores utriusque sexus a peccato fortiter efficaciterque deterreret; saepius vero, quos, longe absentes, vel sibi ignotos, aut culpa implicitos aut in culpam lapsuros divinitus comperisset, alteris ut dolerent, alteris ut ne caderent, orando castigandoque sese impetrare consuevisse. Quo quidem animarum salutis studio Lucia illa Filippina, cuius gloriam cum Catharinae Thomasiae gloria consociavimus, vehementer sane, flagravit. Rem prorsus insuetam commemorare libet. Lucia enim, missionalium instar, non modo, Crucifixi manu gestans effigiem, per vias ac compita circumire, ut adulescentulas mulieresque ad pietatis officia adque christianae perceptionem doctrinae secum traheret, sed e-

tiam in civitatibus et in oppidis passim, sicubi, aut officii causa aut quia consulto accita, consisteret, tradere ipsamet feminis spiritualia exercitia: ad haec plurimae, vel leviores, confluere perque inflammata sanctae huius novensilis verba tali confici dolore, tam abunde flere, ut eam interdum rogarent, loqui ne pergeret, nisi ipsas tanta paenitentiae vi ad exitum abripi voluisset. Atque hic nonne fuit apostolatus spiritus, qui Luciam ad docendum, ad excitandos litterarum ludos, ad pias magistras constituendas propagandasque impulit? Verum si quaeramus, ardorem, vires ac gratias, ad perfectae sanctitatis culmen, cum proximorum beneficio, attingendum, unde ambae hae virgines sumpserint, affirmare licet, non aliunde eas, quam ex sacrae susceptione sinaxis atque ex caritate in Augustum Sacramentum deprompsisse: cuius desiderio sic ardebant, ut saltem semel, Eucharisticum epulum, nullo sacerdotum ministerio, sed prodigialiter omnino, accepisse perhibeantur. Huc, inquimus, huc, ad Christum Iesum in tabernaculis abditum fideles adeant, et ad divinam mensam persaepe, immo cotidie consistant, si sanctas novensiles in christianae adeptione perfectionis in provehendaque proximorum salute imitari volunt: quarum consecratio virginum cum in hos dies Octavae Festi Corporis Christi peropportune inciderit, nonne haec ipsa rei temporisque concursio, ut de hoc uno sanctitatis fonte virtutum incitamenta omnium hauriamus, suadet atque admonet? Faxit Deus, venerabiles fratres, dilecti filii, ut beatitatem caelestem, qua Catharina et Lucia fruuntur, aliquando omnes participemus. Quamobrem suavissimis Aquinatis verbis, in liturgiam horum dierum inductis, divino Ecclesiae Conditori supplicemus: « Tu, qui cuncta scis et vales: qui nos pascis hic mortales: tuos ibi commensales, coheredes et sodales fac sanctorum civium. Amen. Alleluia ».

II. *In canonizatione beatorum Ioannis de Brébeuf et 7 sociorum martyrum, Roberti Bellarmino episcopi ac confessoris, ac Theophili a Curte, confessoris, in basilica vaticana sollemnitate principum apostolorum, die 29 iunii 1930 peracta.*

Triplex postulatio.

Responsiones ad triplicem postulationem factam per Advocatum Sacri Consistorii, Augustum Milani, hae redditae sunt:

Responsio ad primam.

I. In religiosos viros hodie consecrandos, qui, etsi non una omnes eademque actione vitae, at simili tamen sanctitatis et miraculorum laude in Ecclesia Dei praestiterunt, christifidelium cogitatio atque exspectatio, vel absentium longissime, intenditur.

Quo enim die, miris concentibus in excelsos templi huius fornices ascendentibus, immo etiam ubique gentium, Roma felix praedicatur, quae duorum Apostolorum Principum « cruore purpurata » sit, hoc ipso die, de hac veritatis Cathedra ad interitum usque humani generis perpetuo mansura, Roma teste, quam ob praecipuam in orbe catholico dignitatem etiam atque etiam felicem dixeris, Petrus in legitimo suae potestatis herede locuturus est. Atque ideo locuturus est, ut veluti indicet, quam vera sint, quam continenter Christi Iesu promissa perficiantur, sub Vaticani huius templi corona reticulato opere inscripta atque intuentium oculis proposita; ut vel impiis obcaecatisque stultitia hominibus ostendat, quanta sanctitatis vis atque virtus, per copiosos quosdam quasi rivulos, in Ecclesiae venas atque viscera permaneat ac diffluat; ut palam declaret, quot martyrum virginumque palmae, quot confessorum gesta rerumque mirabilia Ecclesiam nullo non tempore laetificarint. Et Petrum profecto mox audiemus edicentem, non aliter atque ii omnes, decus atque ornamentum Ecclesiae addidisse beatos Ioannem de Brébeuf eiusque socios, Robertum Bellarmino et Theophilum a Curte, qui ut sanctorum caelitum in album adscriberentur, nuper postulatum est. Verum, ante quam Petri successor atque heres petitioni adnuat, Deo Optimo Maximo, Deiparae Virginis illorumque omnium interposita deprecatione qui caelesti beatitate fruuntur, preces divini luminis conciliatrices adhibeantur oportet.

Responsio ad alteram.

II. Beatissimus Pater non diu sibi cunctandum arbitratur, quin illud tandem aliquando perficiat, quod cum sit in communibus optatis, tum consilio ac proposito suo respondet ac congruit; sed cupit ut preces iterentur ac potissimum invocetur omnis auctor sapientiae sanctitatisque, Paraclitus Spiritus.

Responsio ad tertiam.

III. Res nullam iam recipit moram dilationemque patitur nullam: in eo est Sanctissimus Dominus noster, ut beatis, quos dixi, religiosis viris sanctorum caelitum honores decernat. Itaque supremum apostolicum magisterium, ab omni vacuum errore, verituri et supremae apostolicae auctoritati, cui non parere nefas, obsecuturi, surgite universi, iidemque, animis gaudii laetitiaeque plenis, oraculum confestim edendum audite atque accipite.

Definitio Pontificis.

Tunc consueta supra relata formula Ss.mus D.nus Noster Beatos Ioannem de Brébeuf, Gabrielem Lalemant, Antonium Daniel, Carolum Garnier, Natalem Chabanel, Isaacum Jogues, Renatum Goupil, Ioannem De la Lande, Martyres, attributa eorum com-

memorationi die XXVII Septembris, item Robertum Bellarmino, Episcopum Confessorem, cuius memoria agetur die XVII Septembris ac Theophilum a Curte, Confessorem, die XIX Maii recolendum, Sanctos esse decrevit ac definivit. In sollemni autem Missa Papali haec fuit

HOMILIA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII

Homilia Pontificis.

Cum geminata ac duplicata hodie laetitia Nostra animum omnium vestrum putamus non consociari profecto non posse. Duo Apostolorum Principes in universo terrarum orbe, ubicumque christifideles degunt, at praecipue in Alma hac Urbe inque hac templi amplitudine ac magnificentia, sollemniter commemorantur. Petrus scilicet commemoratur, ex piscatore, qui retia in mare Galilaeae iaceret, factus divino nutu piscator hominum et altera, post Christum angularem lapidem, petra, in qua Ecclesia stabiliretur atque immortalis consisteret; commemoratur item Paulus, in Damasceno itinere divinae gratiae vi atque efficacia adeo percutsus, ut ex nascentis christiani gregis insectatore « vas electionis » fieret ad evangelicam veritatem « coram gentibus et regibus, et filiis Israel », nervoso illo suo dicendi genere, nuntiandam; natalis eorum agitur quos populus romanus caelestes patronos veneratur, utpote qui in primis, ex Urbe, Christi asseclis huius doctrinam, invicta praedicatione, tam alte ambo defixissent, ut nec utriusque martyrio nec caesa atrociter ingenti fidelium multitudine novae religionis incrementa praepedirentur.

Geminatam quidem ac duplicatam diximus laetitiam, qua toti perfundimur, cum, quos nuper sanctos esse habendos sanctorumque prosequendos in Ecclesia catholica honoribus ediximus, eorum consecratio hodiernam sollemnitatem novo quodam splendore non tam augere videatur quam reapse condecoret. De multiplici igitur solacii huius fructu grati Deo benignissimo vehementer sumus. Quodsi de duorum gloria Apostolorum gaudere licet, quibus Roma debet, si, silva olim ut Leo Magnus ait frementium bestiarum et erroris magistra, evasit magistra veritatis et multo, quam ante, latius gentium sancta per per Fidem gubernatrix, at una simul gestiendum mira christiani apostolatus in Ecclesia Dei perpetuitate, quam sua ipsi vita sancti hi quoque novensiles testificantur. Cuius quidem apostolatus num una tantummodo ratio ac forma est? Num is

tantummodo apostolus, qui dissitis barbarisque regionibus semen evangelii infert ingratumque saepe humum sudoribus ac sanguine mollit atque irrigat? At, contra, hoc ipso censendi sunt nomine quotquot aut, sanam scriptis suis declarando doctrinam haeresesque refellendo, fidelibus praecavent errantesque revocare contendunt, aut, in episcopalis vel sacerdotalis perfunctione muneris, tanto flagrant studio alienae salutis, ut populares, e sua ipsorum neglegentia ac lentitudine animi suscitatos de vitiorumve caeno extractos, ad sanctiorem vitam componunt. In Canadensibus igitur Martyribus, in Roberto Bellarmino Cardinali eodemque per aliquot annos Capuano archiepiscopo, in Theophilo a Curte Assisiatis alumno mirabilia omnibus proposuimus ad imitandum et sanctitatis et apostolatus exempla: ex quibus quidem alios alii, pro sua cuiusque condicione vitae, pro suis cuiusque officiis, ad meliora exardescendo, intueantur. - Itaque dilaudemus atque extollamus, venerabiles fratres, dilecti filii, Dei bonitatem ac miserationem, qui Ecclesiam suam, tot tantisque alicubi vexationibus oppressam ac difficultatibus implicitam, hac non sinit destitui, quoquo tempore, heroicae sanctitatis laude, talibusque patronis ac deprecatoribus carere non patitur: quibuscum utinam omnes, in aeternis caeli sedibus beate victuri, aliquando coniungamur. Amen.

46. — Consistorium secretum 30 iun. 1930.

(A. A. S., 3 iul. 1930, XXII, 296)

Die 30 Iunii 1930, in Palatii Apostolici Vaticani consueta Aula habitum est *Consistorium secretum* cuius acta ex ordine sic referuntur.

Traditio perulae.

Reverendissimus Cardinalis Locatelli detulit ac reddidit perulam Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium Beatissimo Patri, qui eam tradidit Reverendissimo Cardinali Sincero, pro hoc anno ipsius Sacri Collegii Cardinalium Camerario.

Dein Sanctissimus Patres Cardinales allocutus est.

I. — ALLOCUTIO SS.MI DOMINI NOSTRI CREATIO ET PUBLICATIO NOVORUM S. R. E. CARDINALIUM

VENERABILES FRATRES

Allocutio Pontificis.

Indictam ante catholico orbi in totum superiorem annum et prorogatam dein in sex menses plenissimam admissorum veniam nostis hoc ipso die, mensis Iunii postremo, desitum iri, eandemque prorogationem id attulisse, ut anni ab collato Nobis sacerdotio quinquagesimi celebratio una simul quodammodo produceretur. Inde igitur et christifidelibus procurandae acrius salutis suae et Nobis cumulatioris capiendae laetitiae opportunitas exstitit. Etenim, haud aliter atque anno elapso,

De celebratione prorogati iubilaei.

cives suos et, vel ex dissitis ac transmarinis regionibus, advenas in splendidissimis urbanis templis, inque sacris hypogaeis, ubi priscorum Ecclesiae temporum vestigia agnoscere ac venerari licet, Roma vidit suppliciter orantes; vidit excitatas in recordationem eventi Nobis fausti aedes iuvenibus excolendis; vidit novas ad Episcopum suum paene undique delatas pietatis significationes, exceptos a Nobis omnes, quotquot ad expiandos heic animos coivissent, et non sine paterni alloquii solacio dimissos. At praeterea, in consessu hoc vestro, sunt memoratu imprimis digna illa, quae sacrarum missionum indigenae observantiae caritatisque suae edidere, testimonia, plura quidem et varia, quae Christi Iesu Vicario acciderunt suavissima, in quem, miro quodam catholicae unitatis sensu ingenuorumque animorum impetu, recentes e fide homines, etsi tam longe disiuncti, venerabundi suspicerent.

De Carthaginensi conventu eucharistico.

A qua, fortasse adhuc insueta, carissimorum Africae Asiaeque filiorum in Nos testificatione voluntatis sponte cogitatio Nostra ad Eucharisticum convertitur omnium nationum Conventum, Carthagine haud ita pridem habitum, qui, si Purpuratorum Patrum Antistitumque frequentia, sacerdotum multitudine, christifidelium sancte expiatorum ardore rituumque magnificentia ita ornatus apparuit, ut omnibus, vel a fide nostra alienis, admirationem et reverentiam commoveret, at loci tamen dignitate multo evasit augustior, ubi et oculis tot monumentorum avitae fidei reliquiae et mentibus tot Patrum martyrumque memoriae obversarentur. Verum — quod est sane laetabilius non modo iis qui convenerant, sed Nobismet quoque ipsis, qui per Legatum Nostrum e Sacro Conlegio vestro delectum quasi praesentes

aderamus, visus est Christus Iesus, sub Sacramenti velis pompa ductus sollemni admodum, regionum illarum veluti possessionem recipere, in quibus eius nomen tantopere olim floruerat, et gratiae effusione suae missionalibus, qui in Africa paene universa ad evangelicam veritatem traducenda elaborant, perquam copiosos spondere ipsemet fructus. Eccur tanti ad perfectionem operis adfore non confidamus summam illam divinae gratiae vim atque virtutem, quam, ministerii sui adiutricem omnisque effectricem sanctitatis, et antehac Ecclesia experta perpetuo est et cotidie experitur? Cuius quidem rei argumento sunt sollemnia illa, per hunc mensem et vel hesterno die acta, quibus plures, alios alia ratione de christiana societate praeclare meritos, aut in beatorum aut in sanctorum caelitum album adscripsimus: unde apparuit, quemadmodum nulla est catholica natio, in qua, aetatum decursu, heroicarum virtutum absolutissima exempla defuerint, ita potuisse Nos, nationibus compluribus, apostolicae exercitio auctoritatis, gratificari.

Tristia commemorans,

Laeta ista quidem, quae, etsi vobis, Venerabiles Fratres, minime ignota, placuit tamen, quasi vos in laetitiae Nostrae partem vocando, commemorare. Verum tristia nonnulla intercederunt, quorum recentiora alia, alia iam pridem evenire coepta, quae nihilominus et exercere Nos pergunt et, nisi provideat caveatque benignissimus Ecclesiae Conditor, nimium diu exercitura in posterum videntur.

Praereptos morte aliquot Cardinales et Ecclesiarum pastores.

Atque primum dolemus non modo morte praereptos aliquot e Sacro Conlegio vestro viros, qui, diuturna iam consuetudine Nobiscum coniuncti, egregiam operam Nobis suam pro officio navabant, sed etiam viduatas pastoribus suis Ecclesias haud paucas. Mortalis quidem condicio vitae, et Numini, qui dat atque aufert, demisso animo obtemperandum; sed virorum labores Nostros propius longiusve participantium amissione qui non angamur? Hac praecipue de causa, ut quantum, omnibus perpensis, fieri poterat, vita functos suppleremus, nostis, Venerabiles Fratres, vos in Consistorium iussu Nostro accitos esse. Mox equidem suppleturi sumus; sed facere ante non possumus, quin, vos aliquantisper morando, duas magni ponderis causas, easdemque acerbitatis plenas, in medium proferamus; quae iampridem, quemadmodum diximus, pro eo ipso, quo fungimur, episcopatu Romano, tam Nos habent sollicitos, ut inde mentem animumque Nostrum avocare nequiverint nec diuturna illa itaque operosior conventionum cum Italiae Rege initarum pertractatio, nec illa haud minus sane laboriosa pro Statu Civitatis Vaticanae et iuris constitutio et rerum omnium

Anxiam sollicitudinem manifestat de laboriosa pertractatione conventionum cum Italiae Rege;

De deficientibus presbyteriis et ecclesiis.

temperatio, nec denique alia illa, qua iamdiu premimur atque urgemur, cura in Italicis insulis inque dimidia paene continentis terrae parte domos in curionum usum exstruendi. Ab ea causa exordiri libet quae ad nova pertinet paroecialia templa cum curialibus aedibus coniunctim exaedificanda, quorum fit in dies acrior usquequaque necessitas extra Urbis moenia, quocumque scilicet celeriter, immo celerius, ingens populi multitudo conglobatur. Novas enim inibi civitates effectas dixeris, quae nescias utrum e civibus coaluerint, qui, de media Urbe, disiecta partim ac vacuefacta, deturbati, domicilia ultra pomerium quaesivere, an ex advenis bene multis qui huc sponte migrarunt. Utcumque res se habet, facile numerari nequeant familiae, quae, cum in extremis eiusmodi partibus degant, opportuna curionum opera ac procuratione fere omnino destituuntur. Cui quidem necessitati, maximo impendio, et venerandi decessores Nostri occurrerunt et Nosmet ipsi subvenimus; at tamen quod faciundum superest, tantae id molis est, ut animum terreret ac frangeret Nostrum, nisi Dei providentiae Nostrorumque e dioecesi filiorum adiumento plene confideremus.

De acatholicorum actione cui quaedam legum praescripta favere videntur.

Altera accedit causa, cum priore ista arcte copulata, de qua coram vobis, Venerabiles Fratres, nonnihil attingamus: dicimus acatholicorum actionem, qui ab anno millesimo octingentesimo septuagesimo suis hanc Almam Urbem, catholici nominis veluti centrum, inficere erroribus, tantam inurendo divino Ecclesiae Conditori iniuriam tantumque facessendo animarum saluti periculum, cotidie petulantius conati sunt. Atque facile intellectu est, quam commode acatholici isti paucitate hac paroeciarum, necessitatibus prorsus impari, ad iniqui sui propositi adeptionem proficiant. Quid quod iis ipsis, vehementi cum animi Nostri maerore, nonnulla legum praescripta favere videntur, quae, si quis recte consideret, non animadvertere is nequeat, valde a spiritu et sententia discrepare sollemnis illius pacti conventi, quod catholicis ex Italia atque ex universo orbe tam magnam merito laetitiam commovit? Etenim, si ferre ac pati aliquo pacto poteramus, eos cultus, ad usum quod attineret, « admissos » nuncupari, qui in ipso nationis Statuto, quod vocant, ex prefinita quadam ratione, « tolerati » recte dicuntur, at neutiquam opinabamur Nobisque spondebamus, cum eiusmodi cultibus sic postea actum iri, ut non modo principio « tolerati » atque usu « admissi », sed etiam gratiam haud modicam legumlatorum et Civitatis procerum aucupati esse viderentur: qua rerum condicione illam, quam conquesti sumus, propagationem erroris adiuvari necesse esse, nemo non videt.

Quam quidem falsae contagionem doctrinae inde a pluribus annis providum « a Praeservatione Fidei » Institutum, laeto non sine exitu, propulsare pro viribus ac prohibere contendit; nec reperimus quibus verbis gratum Nostrum profiteamur animum Patribus Cardinalibus, Antistitibus Urbanis ac sacerdotibus, religiosis denique laicisque viris, quotquot coeptum provexere antehac hodieque provehunt. Interea confidimus, Instituto huic, de re catholica optime merito, posse Nos, brevi, quo se magis in dies frugiferum praestet, et nervos et vires et opes adiicere, idem hoc cum alio componentes ac consociantes, quod de industria praemolimur, de templis et curialibus aedibus extra Urbis moenia excitandis. De industria praemolimur, inquimus, quandoquidem, cum Nobis copiosus rerum iam suppetat apparatus, quae, ad mentem Nostram praestitutasque a Nobis normas accurate digestae, ambobus inceptis aptaeque eorum ordinationi et coniunctioni prospiciunt, tum providentissimus Deus, tam in Nos perpetuo benignus ac munificus, recentiore hoc tempore Nobis quasi occurrere videtur, in Nostram et largiores opes et idoneos homines permittendo potestatem.

Quare Institutum a Praeservatione Fidei promovebit.

Alia denique sunt, quae, etsi Nos habent vehementer sollicitos, videntur tamen secum aliquid ferre spei exspectationisque meliorum temporum.

Meministis profecto, Venerabiles Fratres, cum diem praestituissemus Patriarchae Ioseph sacrum, ut, iactatae in Russicis regionibus religionis causa, communes preces in Basilica Vaticana, Nobismet ipsis praeeuntibus, Deo Optimo Maximo adhiberentur, frequentissimum piissimumque populum Nobis adstitisse, et Romanorum civium exemplum, quorum praeterea alii in alias sacras Urbis aedes oraturi convenerant, ceteros paene ubique gentium secutos laudabiliter esse. Propositum enim Nostrum universus, ut nostis, excepit, non modo catholicorum hominum sed plurimorum quoque a Nobis dissidentium, consensus; in eorum templis, fraterno quasi foedere, supplicationes habitae; gratus ab iis ipsis erga Nos animus publice privatim significatus. Summae autem miserentis Dei benignitati acceptum referimus, quod tanta haec precum concordia haud vacua fructibus, haud inanis evasit; fecundiorem eam posthac evasuram sperare licet, etsi, non ita pridem, divini nominis cultusque, per eas quas diximus regiones, inimici ad Ecclesiae insectationem exarsere acrius. Christo igitur humani generis Redemptori instandum, ut afflictis Russiae filiis tranquillitatem fideique profidendae libertatem restitui sinat; atque ut instare

Pro Russia, memoratis supplicationibus factis in festo S. Ioseph, quae non caruere fructu,

vult ut in posterum dicantur preces a Leone XIII indictae post Missam.

omnes, modico sane negotio atque incommodo, queant, volumus, quas fel. rec. decessor Noster Leo XIII sacerdotes cum populo post sacrum expletum preces recitare iussit, eaedem ad hanc ipsam mentem, scilicet pro Russia, dicantur; id ipsum Episcopi atque uterque clerus populares suos, vel sacro adstantes quoslibet, studiosissime moneant, in eorundemque memoriam saepenumero revocent.

De causa Melitensi dicturus, cuius exponit momentum,

Superest, Venerabiles Fratres, ut in sollemni hoc consessu vestro, eodemque pontificali senatu, de causa Melitensi perbreviter dicamus, ne ipsam videamur minoris facere, cum, contra, maximi ea sit ponderis ac momenti, sive per se ipsa, quia in controversiam venerunt — quod ad Nos attinet actionemque in ea re Nostram — praecipua religionis negotia, quae non aliud demum sunt, nisi Dei animarumque iura; sive ob principia, quae cum hisce ipsis cohaerent; sive quia ad nobilissimum fideique catholicae retinentissimum populum Melitensem res pertinet; sive quia eamdem agi causam opus fuit cum excelsis potentissimi Britanniae Regis Indiarumque Imperatoris administris, quibuscum — Rege et Imperatore, inquimus, atque administris — Nobis et Apostolicae Sedi publicae intercedunt rationes, quas quidem fieri cotidie arctiores ex animo cupimus ac summopere confidimus. Totius equidem quaestionis Enarrationem documentis nixam, quam edere necesse habuimus, quemadmodum vobis, Venerabiles Fratres, tradi tempestive iussimus, ita praesto omnibus esse voluimus, quicumque de eiusmodi controversia clare ac plene edoceri student; quam igitur ad Enarrationem remittere omnes licet libenterque remittimus. Verum Nostri esse muneris ducimus, hanc, tam opportunam quam sollemnem, occasionem nancisci, ut iterum, perspicue profecto firmiterque, tria quaedam asseveremus, quae ex Enarratione ipsa procul dubio colliguntur. Atque primum est, tempestatem hanc nec ab Apostolica Sede nec ab Episcopatu Melitensi commotam concitatamque esse. Alterum autem, ne tranquillitas ac pax restitueretur, quam Nos, una simul cum iisdem Episcopis, pro officio, sincere optabamus, prohibuisse et viros et acta et res, quae a Nostra voluntate nullo pacto pendebant, immo huic repugnabant, cum catholicae religionis iuribus obsisterent, quorum, pro supremo apostolico ministerio, et patrocinium Nobis incumbit et periculum in Nos recidit: utrumque sane in hac causa eo gravius, quod de Melitensibus popularibus agitur, quorum veluti medullis fidem esse defixam, nemo unus ignorat. Tertium denique est, nullo horae momento cum Nos, tum Melitensem episcopatum, in certamen politicum descendisse, qui hoc unum

et memorat diffusam enarrationem.

Dein Apostolicam Sedem et Melitenses Episcopos ab obiecta usurpatione provinciae alienae vel nimis coartata civium libertate vindicat.

haberemus Nobis propositum, ut ea principia easque de moribus leges revocaremus, ediceremus atque inculcaremus, unde catholicorum vita atque actio nec abscedere nec seiungi quoquo modo potest.

In quo aut perperam in res alienas interpositam auctoritatem aut civium libertatem iniuria coërcitam, recte affirmari nequit. Neque enim actionem hac in re Nostram et Melitensis Episcopatus dixeris illicitam in res alienas interpositionem, quando id Apostoli acceperunt mandati, ut non modo mentes doctrina inlustrarent, sed etiam voluntates ad legum observationem permoverent: *Euntes docete omnes gentes..... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* (1) Nec cohibitam imminutamve per Ecclesiae praecepta civium libertatem dixeris, quam, contra, non opprimit, non extenuat — immo etiam protegit vetatque ne in licentiam desciscat — lex morum christiana, cuius est libertatis usum moderari statutosque eidem libiti ac liciti fines efficere ne quis transgrediatur ac violet. Quae tam vera tamque luculenta sunt, ut qui ea in dubium revocare velit, is profecto fundamenta ipsa et privati et publici ordinis debilitare velle videatur.

Inde creat Cardinales.

Iam ut eo veniamus, quo imprimis per sacri huius Consistorii convocationem spectavimus, placet in amplissimum Conlegium vestrum adsiscere egregios Praesules quinque, quorum opera, sive in Apostolicae Sedis legationibus sive in Romanae Curiae officiis sive in episcopalis perfunctione muneris perutiliis, accidit Nobis probatissima.

Hi sunt:

Sebastianus Leme da Silveira Cintra, Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii;

Franciscus Marchetti-Selvaggiani, Archiep. tit. Seleucien. in Isauria, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretarius;

Raphaël Carolus Rossi, Archiep. tit. Thessalonicen., Sacrae Congregationis Consistorialis Adsessor;

Iulius Serafini, Ep. tit. Lampsacen., Sacrae Congregationis Concilii Secretarius;

Achilles Liénart, Episcopus Insulensis.

Quid vobis videtur?

(1) Matth., XXVIII, 19, 20.

Itaque, auctoritate Dei omnipotentis, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, creamus et publicamus S. R. E. Cardinales

Ex Ordine Presbyterorum

Sebastianum Leme da Silveira Cintra,
Franciscum Marchetti-Selvaggiani,
Raphaëlem Carolum Rossi,
Iulium Serafini,
Achillem Liénart.

et viduatis Ecclesiis providet.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus✠ Sancti. Amen.

Annotatio

Ut hoc unum observemus auctor nobis est ipse S. Pontifex, urgendi causam Russiae, cum iubet ut Episcopi et uterque clerus populum studiosissime moneant et in eius memoriam saepenumero revocent, preces quas Leo XIII recitandas cum populo post Missam indixerat, deinceps pro Russia esse dicendas.

47. — S. C. Pro Ecclesia Orientali

Responsiones 5 April. 1930

DE MATRICITATE ET IURIBUS ECCLESIAE ET PAROCHI

(A. A. S., 2 iun. 1930, XXII, 274)

Causae occasio.

Cum diu disputatum sit in oppido Palatii Hadriani, archidioecesis Montis Regalis in Sicilia, de iure matricitatis et praecedentiae ecclesiae paroecialis S. Mariae in caelum assumptae clerique ritus graeci, super ecclesiam S. Mariae de Lumine clerumque ritus latini, delata hac causa ad Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali, ad lites super tota quaestione in perpetuum terminandas, Sacra haec Congregatio in plenariis comitiis diei 31 Martii 1930 in Civitate Vaticana habitis, propositis ut infra dubiis sequentes responsiones ac solutiones dedit.

Dubia.

« I. An constet de iure matricitatis ecclesiae ritus graeci Palatii Hadriani.

II. An et quae onera sint recognoscenda vel imponenda ecclesiae filiali erga matricem in signum et in obsequium matricitatis.

III. An et quae norma statuenda sit circa processiones, praesertim in sollemnitate Corporis Christi, atque circa praecedentiam cleri.

IV. An expediat conferre titulum Archipresbyteri parocho latino Palatii Hadriani; et quatenus *affirmative*, an conferendus sit a Sancta Sede vel a proprio Ordinario.

V. An et quae norma statuenda sit pro visitatione pastorali adimplenda in duabus paroeciis Palatii Hadriani.

VI. An expediat nunc extendere ius commune Codicis iuris canonici ad graecos-albanenses in Italia constitutos, quoad *a)* ritum, quo baptizandi sunt filii parentum mixti ritus; *b)* parochum apud quem matrimonia mixti ritus celebranda sunt; *c)* facultatem uxoris se conformandi ritui mariti ».

Responsa.

R. Ad I. *Affirmative* et amplius; seu: constare de iure matricitatis ecclesiae graecae quatenus importat honorificam praecedentiam; atque iterum perpetuum silentium auctoritate Apostolica super hac quaestione imponitur.

Ad II. Nullum onus ecclesiae filiali imponendum esse, cum iura et officia duarum ecclesiarum et duorum parochorum nulla dependentia seu subiectione respective obstringantur, salvo tamen quod statuitur in responsione ad primum dubium.

Ad III. Nil innovandum; seu quoad processionem Corporis Christi servetur concordatum anno 1660 initum inter clerum graecum et clerum latinum et anno 1678 confirmatum, et quoad processionem in honorem B. M. V. Immaculatae vigens consuetudo servetur. Quod attinet ad praecedentiam: processiones generales seu pro tota civitate Palatii Hadriani, ad normam memorati concordati fiant: in aliis vero sacris functionibus in quibus interventus utriusque ritus cleri praescribitur, serventur normae reverentiae quae pro invitatis ubique et communiter adhibentur, salvo semper iure matricitatis.

Ad IV. *Negative* ad primam partem, et ad secundam provisum in prima.

Ad V. Consuetudo sacram visitationem incipiendi ab ecclesia graeca servetur; salvo tamen iure Ordinarii aliter faciendi, quatenus adiuncta hoc suadeant in aliquo casu.

Ad VI. Dilata; et ad Codificationem canonicam orientalem.

Approbatio SS.i

Facta de his omnibus relatione Sanctissimo ab infrascripto Cardinali Secretario, in Audientia diei 5 Aprilis 1930, Sanctitas Sua datas resolutiones approbare dignata est.

Dies (5 ap. 1930).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 5 Aprilis 1930.

A. Card. SINCERO, *a Secretis.*

L. ✠ S.

H. I. CICOGNANI, *Adsessor.*

ANNOTATIONES

I. Quamvis quaestio *inter ecclesiam* ritus graeci et ecclesiam ritus latini versetur, S. C. tamen Congr. pro Ecclesia Orientali indubia competentia fruitur, cum canon 257 § 1 etiam negotia mixta, « quae scilicet sive rei sive personarum ratione latinos quoque attingant », eidem ascribat.

II. Observes solam *honorificam* praecedentiam ecclesiae et clero ritus graeci agnosci. Quare in resp. ad II nullum onus ferendum ecclesiae filiali admittit.

III. Ut lites inutiles seu otiosae finem habeant, atque attentio ad res maioris momenti convertatur, S. Sedes interdum, ut in praesenti casu, perpetuum silentium de quaestione omnibus subditis suis imponit.

48. — S. Poenit. Apost. *(Offic. de indulgentiis)*

Responsum 29 ap. 1930

(A. A. S., 2 iun. 1930, XXII, 292)

DE MARIANI ROSARII RECITATIONE APUD CHRISTIFIDELES RITUS RUTHENI

Orator.

Ordinarius Stanislaopolitanus Ruthenorum Sanctae Sedi sequens dubium pro opportuna solutione proposuit:

Dubium.

« Utrum christifideles rutheni ritus Indulgentias recitationi Rosarii B. M. V. adnexas lucrentur, quamvis in proprio ritu

angelica salutatio differat ab illa latini ritus et in fine contineat brevem mentionem respectivi mysterii ».

Sacra Poenitentiaria Apostolica, re mature perpensa, respondet: *Negative;* attentis tamen omnibus a Rev.mo Ordinario oratore in suis litteris expositis, auctoritate Ss.mi, de cuius mandato memoratum dubium huic Sacro Tribunali delatum est, benigne indulget ut omnes rutheni ritus christifideles, qui descripta ratione angelicam salutationem in persolvendo Rosario B. M. V. recitare solent, omnes eiusdem Rosarii Indulgentias lucrari valeant. Contrariis quibuscumque non obstantibus. *Solutio dubii et indultum.*

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 29 Aprilis 1930. *Dies (29 apr. 1930).*

S. Luzio, *S. P. Regens.*

L. ✠ S.

S. de Angelis, *Substitutus*

Annotationes.

I. Cum non agatur de foro conscientiae sed de causa delata ad S. Paenitentiariae sectionem quae exstinctam Congregationem SS. Indulgentiarum supplet, ita ut ratione ritus personarum, vi can. 257 § 1 ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali *pertinere* videatur, ne dubium de competentia S. Paenitentiariae moveatur, explicite monemur dubium esse mandato SS^i^ S. Paenitentiariae delatum.

II. Dubio porro elegantissimam solutionem dedit, cum responso *negativo* firmas esse voluerit normas consuetas quibus, propter mutata orationis verba, indulgentias perire docemur; *concesso* autem *indulto* omnia severae solutionis incommoda arceantur.

ACTA SUMMATIM RELATA

49. — SS. D. N. Pius Pp. XI

A. *Litterae de Dioecesibus, Vicariatibus, Praefecturis Apostolicis et Missionibus:*

Erectio praefecturae de Sze-pingkai in Sinis.

Brevi *Ex hac sublimi,* dato *ad futuram* rei memoriam, 2 augusti 1929, distrahitur territorium ex vicariatibus de Mukden et de Jehol et erigitur apostolica praefectura de Sze-pingkai in Sinis (A. A. S., XXII, 264).

Fines de Loago et Brazzaville, in Africa.

Brevi *Quae catholico nomini,* dato ad *futuram* rei memoriam 2 augusti 1929, fines definiuntur inter vicariatus apostolicos de Loango et de Brazzaville in Africa centrali (A. A. S., XXII, 266).

Missio de Ta-li, in Sinis.

Brevi *Munus apostolicum,* ad f. r. m., 22 novembris 1929, separatur territorium e vicariatu apostolico de Yunnanfu in Sinis, et erigitur Missio independens de Ta-li (A. A. S., XXII, 268).

Erectio dioecesis Gravelburgensis, in Canadensi dominio.

Bulla *Universa christifidelium,* 31 ianuarii 1930, ad perp. rei mem., dismembratur archidioecesis Reginatensis et erigitur Gravelburgensis (A. A. S., XXII, 309).

Dioecesis de Townsville in Statu Australiensi de Queensland.

Bulla *Ecclesiarum in Orbe,* 12 februarii 1930, ad perp. r. m., dismembratur dioecesis Rockamptonensis et erigitur illa de Townsville (A. A. S., XXII, 312).

Vicariatus de Kivu in Congo belgico.

Brevi *Vestigiis decessores nostros,* 26 decembris 1929, ad fut. r. m., distrahitur regio septemtrionalis vicariatus apostolici Congi Superioris, et erigitur in vicariatum titulo de Kivu commissum Societati Missionariorum Africae.

B. *Litterae de ecclesiis:*

Ecclesia cathedralis Suessana.

In Basilicam minorem erigitur:

Brevi *Suessanae in Auruncis,* 18 nov. 1929, ad perp. r. mem., ecclesia cathedralis Suessana, sub titulo Ss. Apostolorum Petri et Pauli (A. A. S., XXII, 267).

50. — S. C. Consistorialis

A. *Immutatio finium:*

Praedium Pernye-puszta.

Decreto 7 februarii 1930, praedium *Pernye - puszta* a paroecia *Apc* et ab archidioecesi Agriensi separatur et paroeciae *Lörinci* et dioecesi Vaciensi adiungitur (A. A. S. XXII, 273).

B. Rescripto 10 mort. 1930, designatio Ordinarii de Ponta Grossa pro appellatione a tribunali Cerrotybensis approbata est. (A. A. S., XXII, 273).

Designatio pro appellatione.

51. — S. Congr. Rituum

Causae Beatificationis et canonizationis:

Decretum, 5 iun. 1930, super dubio de tuto in causa beatificationis Ven. Servi Dei Fr. Conradi a Parzham, O. M. C. (A. A. S., XXII, 327).

Conradus a Parzham.

52. — Provisio Ecclesiarum

In Consistorio 30 iun. 1930, nominati sunt:

R. P. D. Salvator Baccarini, metropolitanae ecclesiae Capuanae, ex ep. Terracinensi, Privernensi et Setino. — *Capua (Italia).*

R. P. D. Alexander Macchi, cathedrali ecclesiae Comensi, ex ep. Adriensi. — *Como (Italia).* *Faenza (Italia).*

R. D. Antonius Scarante, cathedrali ecclesiae Faventinae. — *Crema (Italia)*

R. D. Marcellus Mimmi, cathedrali ecclesiae Cremensi. — *Potenza, Marsico Nuovo (Italia).*

R. D. Augustus Bertazzoni, cathedralibus ecclesiis Potentinae et Marsicensi. — *Lincoln (U. S. A.).*

R. D. Aloisius Kucera, cathedrali ecclesiae Lincolnensi. — *Dubuque (U. S. A.).*

R. P. D. Franciscus Beckman, archiep. Dubuquensis. — *Benevento (Italia).*

R. P. D. Adeodatus Iosephus Piazza, archiep. Beneventanus. — *Regina (Canadà).*

R. P. D. Iacobus Carolus Mac Guigan, Reginatensis. — *Hobart (Tasmania).*

R. P. D. Gulielmus Hayden, Hobartensis. — *Pondichery (India).*

R. P. D. Augustus Simeon Colas, Pondicheriensis. — *Tucuman (Argentina).*

R. D. Augustinus Barrère, ep. Tucumanensis. — *Pinerolo (Italia).*

R. D. Gaudentius Binaschî, ep. Pineroliensis. — *Tuy (Spagna).*

R. D. Antonius García y García, ep. Tudensis; — *Peterborough Victoria (Canadà).*

R. D. Dionysius O' Connor, ep. Peterboroughensis. — *Pontremoli (Italia).*

R. D. Gerardus Murray, ep. Victoriensis in insula Vancouver. — *Geraldton (Australia).*

R. D. Ioannes Sismondo, ep. Apuanus. — *Townsville (Australia, Queensland).*

R. D. Iacobus O' Collins, ep. Geraldtonensis. — *Tabasco (Messico).*

R. D. Terentius Bernardus Mac Guire, ep. de Townsville. — *Kottar (India).*

R. D. Vincentius Camacho, ep. Tabasquensis. — *Salem (India).*

R. D. Laurentius Pereira, de Kottar.

R. D. Henricus Amatus Prunier, ep. de Salem.

Decreto S. Congregationis Consistorialis nominatus est:

20 mai 1930, R. P. D. Paulus Rémond, cathedrali ecclesiae Niciensi, ex ep. Clismatensi. — *Nizza (Francia).*

53. — Nominationes

Brevibus apostolicis nominati sunt:

Haiphong. (Indocina) 31 mai. 1930, R. P. Alexander Garcia Fontcuberta, Vicarius Apostolicus de Haiphong in Indocina.

Isole Salomone. (Oceania) 9 iun. 1930, R. P. Thomas Wade, Vicarius Apostolicus Insularum Salomonicarum septemptrionalium.

Wuchang. (Cina) 10 iun. 1930, R. P. Silvester Espelage, Vicarius Apostolicus de Wuchang in Sinis.

Caquetà. (Colombia) 10 iun. 1930, R. P. Michaël Monconill y Viladot, Vicarius Apostolicus de Caquetá in Columbia.

54. — Necrologium.

Crato. 29 dec. 1929, D. Quintinus Rodriguez De Oliveira e Silva, episcopus Cratensis.

Aimer. 4 apr. 1930, D. Fortunatus Henricus Caumont, episcopus Aimerensis.

Fukuoka. 10 mai, 1930, D. Ferdinandus Thiry, episcopus de Fukuoka.

Katowice. 13 mai. 1930, D. Arcadius Lisiecki, episcopus Katovicensis.

Saint-Dié. 27 mai. 1930, D. Alphonsus Foucault, episcopus S. Deodati.

Reims. 28 mai. 1300, D. Card. Ludovicus Enricus Luçon, archiepiscopus Rhemensis.

San Gallo 29. mai. 1930, D. Robertus Bürkler, episcopus S. Galli.

Augsburg. 2 iun. 1930, D. Maximilianus de Lingg, episcopus Augustanus Vindelicorum.

Sandomir. 3. iun. 1930, D. Marianus Ryx, episcopus Sandomiriensis.

Conversano. 10 iun. 1930, D. Dominicus Lancellotti, episcopus Conversanensis.

BIBLIOGRAPHIA

I. *Ex libris.*

Horae diurnae Breviarii Romani. *S. Pii V Pontificis Maximi iussu editi.* Vol. (11×13) Pag. 919-157-95 Taurini ; Marietti, 1930. Editio IV.

Chrétien P. *Quaestiones de poenitentia.* Vol. (14×22) Pag. 150, Giraudon, Parisiis, 1929.

De potestate in ministro requisita. — De iurisdictione sacramentali delegata. — In personas religiosas. — De casuum reservatione. — De sigillo sacramentali proprie dicto, improprie dicto. — Corollaria et quaestiones particulares. — De absolutione complicis in peccato turpi. — De sollicitatione ad turpia. — De modo agendi confessariorum.

Blanco Nájera Francisco. *Derecho Funeral.* Vol. (14×24) Pag. VII-629, Reus (S. A.), Madrid, 1930. Precio: 18 pesetas.

Inhumacion y cremacion. — Nocion de la sepoltura eclesiastica. — Prescripcion de los enterramentos en los cementerios y prohibicion en las iglesias. — Propriedad y posesion de los cementerios. — Entredicho, violacion y reconciliation de los cementerios. — Cementerios parroquiales, de religiosos y sepulturas especiales. — Sepulcros de mayores. — Custodia de los cementerios. — Epitafios, elogios funebres y ornamentaciones de los sepulcros. — Cementerio profano. — Prohibicion de interramientos prematuros. — Exhumacion. — De la traslacion del cadaver a la iglesia del funeral y entierro. — Traslacion del cadaver a la iglesia. — Iglesia funerante parroquial. — En la duda prevalece el derecho de la parroquia. — Traslacion del cadaver para el funeral cuando el fallecimiento occure fuera de la parroquia propia. — Iglesia funerante legal. — Iglesia funerante para los cardenales y obispos residenciales. — Iglesia funerante para los beneficiados. — Iglesia funerante para los religiosos. — Iglesia funerante para los huespedes, educandos y enfermos de casas religiosas y hospitales. Idem para los que mueren en los seminarios. — Iglesia funerante y sepultura electivas. — A quienes se prohibe elegir iglesia funerante o cementerio. — Iglesias elegibles.

— Forma de eleccion. — Elecciones irritas. — Admission de cadaveres extranos. — Preferencia de la sepultura de mayores o gentilicia sobre la parroquial. — Ministro a quien corresponde el derecho y el deber de levantar y asociar el cadaver y celebrar el funeral. — Ubi tumulus ibi funus o ubi funus ibi tumulus? — Derecho a pasar el cadaver por territorio ajeno. — Asociacion del cadaver. — Aranceles funerarios. — Aumento licito de las tasas arancelarias. — Porcion parroquial o cuarta funeral. — De donde se toma la porcion parroquial. — Libro de difuntos. — Exclusion de los infieles y derecho de los bautizados. — Indignos de sepultura eclesiastica por notorio delito o pecado publico y manifiesto. — Privacion de la misa y demas oficios funebres. — Exhumacion de los excomulgados vitandos.

Fouqueray Henri (S. I). *Martyrs du Canada.* Vol (12 × 18) Pag. IX-351, Téqui, Paris, 1930. Prix fr. 15.

Préface. — La mission huronne sous la direction du P. de Brébeuf. — Excursions apostoliques des PP. de Brébeuf et Chaumonot dans la Nation Neutre. — Le P. Jogues captif des Iroquois. — Délivrance du P. Jogues. — Ambassade du P. Jogues auprès des Iroquois. — La mission huronne sous le P. Ragueneau. — Deux portraits du P. Jean de Brébeuf. — Retour du P. Charles Garnier dans la nation du Pétun. — Sa mort.

Jombart Emile, (S. I.) *Le sacrement de l'Ordre.* Vol. (11 × 18) Pag. 132, Paris, Éditions Spes, 1930. Prix fr. 10.

Avant-propos. — Le ministre de l'Ordination. — Le sujet de l'ordination. — Avant l'Ordination. — Rites et cérémonies de l'Ordination. — Temps et lieu de l'Ordination. — Conclusion.

Aznar Severino. *Despoblación y colonización.* Vol. (12 × 18) Pag. 206, Editorial Labor, Barcelona.

Causas fisicas, biológicas, jurídico - legales y económicas de despoblación. - Causas sociales de despoblación. - La propiedad privada de la tierra y la despoblación. - La supresión de la propriedad privada de la tierra y la colonización. - Normas generales de colonización. - Con quiénes y con qué se ha de colonizar. - De donde sacar las tierras colonizables. - El patrimonio familiar.

Hugon Henri. *Le Père Hugon.* Vol. (12 × 18) Pag. VII - 143, Téqui, Paris, 1930, Prix fr. 6.

Lettre du R. P. Triboulez. - Préface. - Chapitres 17. - Pa-

négyrique du R. P. Garrigou-Lagrange. - Les principes et la pratique. - L'obéissance.

R. P. De Ravignan. *Entretiens spirituels, choix de ses pensées.* Vol. (12 × 18) Pag. VII - 303, Téqui, Paris, 1930. Prix. fr. 9.

La retraite du mois. - Le lever. - La prière. - Pour la fête de la Purification. - Jésus-Christ roi et victime du monde. - La dévotion. - La pénitence. - Pour la fête de l'Annonciation: la joie et le sacrifice. - Pour les fêtes de Pâques: la joie spirituelle. - La grâce. - Rapporter tout à Dieu. - La direction de la volonté. - Le mal moral: Ses sources, ses effets. - La mort. - Cultiver son âme. - Les exemples de Jésus-Christ. - L'avancement spirituel. - Persévérer dans la prière. - Dogme et vérités dernières. - Morale chrétienne. - Le retour à Dieu. - Souffrances et consolations. - La prière. - La vie spirituelle. - La vie parfaite.

Fasso Silvio. *La Regina dei cuori. Mese Mariano.* Vol. (13 × 19) Pag. 182, Artigianelli, Pavia. Venit Lit. 4,50.

Ragioni profonde di questa forma di devozione nei titoli principali dati a Maria, che la mostrano signora ed arbitra di tutto. - Natura della vera divozione: culto esterno. - Pratiche interne delle S. Schiavitù d'amore: « per mezzo di Maria, con Maria, in Maria, per Maria ». - Pratiche esterne: consacrazione ed esercizi di pietà.

Duplessy E. *Le catéchisme en problèmes.* Vol. (12 × 18) Pag. VI - 378, Téqui, Paris, 1930. Prix fr. 12.

Première partie: Les vérités à croire. - Deuxième partie: Les devoirs à pratiquer. - Troisième partie: Les moyens à employer pour nous sanctifier.

Witsch A. *Christliches Grab und Feuerbestattung.* Vol. (14 × 22) Pag. 44, Kösel-Pustet, München.

Einführung in den Predigtstoff. - Predigtwinke. - Predigtentwürfe. - Zitatensammlung. - Beispiele.

Messner Johannes. *Um die katholisch - soziale Einheitslinie.* Vol. (13 × 19) Pag. VIII-63 Innsbruck, Tyrolia.

Gegen Schlagwort und Dilettantismus. — Der Richtungsstreit. — Die Lehre des Gegners. — Der soziale Modernismus. — Die Katholische Mitte. — Missverständnisse. — Grundsätze der Sozialkritik. — Die christliche Sozialreform. — Der Weg zur Einheit des sozialen Katholizismus.

Schweigl I. (S. l.). *Moskau gegen den Vatikan.* Vol. (14 × 21) Pag. 36, Augsburg, 1930.

Einleitung: Die Ereignisse bis zum 15 März. — Die neue Phase der Agrarrevolution. — Agrarrevolution und Christen-

verfolgung. — Die letzten Ereignisse seit 15 März und die Aussichten für die Zukunft. — Hoffnungsvolle Ausblicke für die Zukunft.

Maus Isidore, Delannoy Alphonse. *L'application de la loi sur la Protection de l'Enfance.* Vol. (13×23) Pag. 18, Louvain Mafrans.

Ex Periodicis

Apollinaris 1930. DAMEN C. (C. SS. R.). De irritatione et suspensione votorum spectato iure naturali atque iure ecclesiatico antiquo et novo. — BERNARDINI C. Collatio inter definitivum schema novissimi Codicis poenalis italici et librum quintum Codicis iuris canonici. — CANESTRI A. De lege canonica mere poenali. — MAROTO PH. (C. M. F.). De numero religiosorum non impeditorum pro chori obligatione ad normam can. 610. — D'ANGELO S. De tributo pro seminario. — ROBERTI. De causis mixti Fori.

Collationes Gandavenses 1930. CLAEYS BOÚÚAERT. De intentione et attentione in vocali oratione. — BLATON F. De legis classica definitione. De legis promulgatione.

Collationes Tornacenses 1930. *** De secreto professionali praesertim medicorum. — Écueils dans le ministère patriotique. — La liberté de la Presse. — Épreuves de l'Église en Belgique.

Collectanea Mechliniensia 1930. CARTON DE WIART E. Ignorantiae notio et divisiones. — GILLET P. De consuetudinibus momento promulgationis Codicis vigentibus.

Commentarium pro religiosis 1930. LARRAONA A. Commentarium Codicis. can. 522. — GOYENECHE S. Circa ambitum voti obedientiae. Circa subiectionem Regularium Ordinario loci quoad statuta quae respiciunt sedes confessionales et preces in ecclesiis dicendas. — RAUS P. B. (C. SS. R.). De principio quasi-possessionis.

Il Diritto Ecclesiastico 1930. CURCIO FRANCESCO. Lo Stato e il fondo per il culto e le prestazioni di culto. — MAZZONI UGO. I beni degli Enti Ecclesiastici (note intorno all'applicazione degli articoli 29 e 30 del Concordato). — CORNAGGIA MEDICI GABRIELE. Il Codice di Diritto Canonico e il diritto penale anteriore.

Ephemerides Liturgicae, 1930. DE CLERÇO C. « Ordines unctionis infirmi » des IX et X siècles. — PRADO G. Los modernos estudios sobre ritologia Hispano-Gotica o Mozarabica.

TIROZZI V. De expositione SS. Sacramenti, de diacono Eucharistiam administrante, deque baptismo domi collato. — ACADEMICUS. De legibus ritualibus Missae celebrandae. De confessione liturgica initio Missae. De Introitu Missae et « Kyrie eleison ».

Estudios Eclesiasticos, 1930. FUSTER F. Boletín Canónico: valor de matrimonio en caso de bautismo dudoso. — PÉREZ Q. Predicación contemporánea.

Estudis Franciscans, 1930. P. ANTONIO M. DE BARCELONA. La legislació social del Pentateuc. — P. HUMILIS DE GÈNOVA. De sacrae theologiae scientifica natura. — P. FERMI DE LA COT. De Teologia moral.

Gregorianum, 1930. — GALTIER P. (S. I.) Saint Augustin et l'origine de l'homme. — BOYER C. (S. I.). Dieu pouvait-il créer l'homme dans l'état d'ignorance et de difficulté ? Étude de quelques textes augustiniens. — LEEMING B. (S. I.). Augustine, Ambrosiaster and the massa perditionis. — VERMEERSCH A. (S. I.). Le concept de la vie religieuse dans S. Augustin. — D'ALÈS A. (S. I.). Le « De agone christiano ». — JANSEN B. (S. I.). Quomodo Divi Augustini theoria illuminationis saeculo decimo tertio concepta sit. — JANOT E. (S. I.) Le pain de vie. À propos des interprétations du chapitre VI de l'Évangile de St Jean. — MADOZ J. (S. I.). La infalibilidad del Romano Pontefice en el *Conmonitorio* de San Vicente de Lerins. — ARNOU R. (S. I.). La séparation par simple altérité dans la « Trinité » plotinienne.

Ius Pontificium, 1930. PREYSING. De fine matrimonii et secundis nuptiis iuxta Athenagoram. — OESTERLE G. Circa declarationem authenticam can. 1102 de passiva matrimonio adsistentia. — VROMANT. De applicatione can. 1529. — TOSO A. Ad Codicem i. c. commentaria a can. 586 ad can. 599.

Benediktinische Monatschrift, 1930. STOLZ ANSELM. Der Hl. Geist und die Heiligung des Christen. *** Alte liturgische Danksagungsgebete. — HIERONYMUS KIENE. Von der mozarabischen Liturgie. Ein Bericht.

Perfice Munus 1930. *** Mezzi di apostolato presso i non civilizzati. — *** Principali punti di un regolamento di vita sacerdotale. L'importanza e l'urgenza delle scuole nelle missioni. Residenza attiva. — GENNARO ANDREA (S. I.). Binazione in feste soppresse e giorni feriali. — LAGHI LINO. Patria potestà della madre per matrimonio.

Palestra del Clero, 1930. COLOMBINI DANTE. Chiese exconventuali. — BUTTIGNONI (mgr) GIOVANNI. Il riconoscimento

civile degli annullamenti di matrimonii contratti prima del Concordato. Matrimonio in extremis senza testi e con l'impedimento ligaminis. — GRAZIOLI (mgr) ANDREA. L'amministrazione dei Sacramenti ai fanciulli malati. — MANCINI ARGEO. Della menzogna. — BIGAZZI P. D. La radiofonia. — PICCINI G. L'amministrazione delle offerte ad un'immagine su pubblica via. La confessione delle religiose. — MONETTI GIULIO. Questioni su le relazioni tra Chiesa e Stato. — VITO PASQUALE. Parroci nominati anche canonici. — Collazione di due benefici incompatibili.

Pastor bonus, 1930. WEILER. Das Erziehungsrecht der familie; des Staates. — WEHR. Absolution kirchlicher Zensuren. Die Gültigkeit formloser letzwilliger Verfügungen zu frommen Zwecken. Etwas vom Rosenkranz. Einiges über Ablassgebete und Sittenlehre. — TAMBLÉ. Kampf der Kirche um die Einheit und Unauflöslichkeit der Ehe. — RAUSCH JOS., Kampf der Seelsorge um die Unauflösborkeit der Ehe. — KALFF JOS. Liga katholischer frauen und Jungfrauen gegen die unsittliche Kleidung. — MISTER OSKAR, Eugenik als Weltansihanung und Sittenlehre. — *** Priester-Spätberufe. — KEITZ. Die Beginen in Koblenz und der Umgegend.

Theologisch-praktische Quartalschrift, 1930. WAITZ S. (Ill. R.) Klerus und soziale Frage. — FISCHER Z. (O. F. M). Kirche und Proletariat. — MESSNER J. Die pastoral-sozialen Aufgaben der Gegenwart. — GROSAM J. Die Sterilisation auf Grund privatei Autorität und auf Grund gesetzlicher Ermächtigung. — LUTZ OTTO. Die italienische Nationalität der Päpste. — RAUS B. (C. SS. R.) Osterpflicht und leibliche Nüchternheit vor Empfang der Communion. Absolution von Zensuren l. s., ab homine. — CATHREIN VIKTOR, (S. I.). Vom Wandel der Begriffe. — BIEDERLACK JOS., (S. I) Zu P. Horvath's Buch « Eigentumsrecht nach dem heiligen Thomas ». — FISCHER ZYRILL, (O. F. M.). Kirche und Proletariat. — VAN ACKEN B. (S. I.). Welche Frömmigkeit? — UMBERG J. B. (S. I.). Gewissensschwierigkeiten bezüglich de täglichen Kommunion in Frauenklöstern. — JONE HÉRIBERT (O. M. C.). In casibus urgentioribus Simonie. Das Gelübde des Erblassers. Absolution eines Ordens-Flüchtlings. — FRUHSTORFER KARL. Ein in Japan spielender Wucherkasus. — HARING J. Folgen des favor matrimonii. Rückkehr eines verschollenen Kriegers, dessen Gattin inzwischen eine neue Ehe geschlossen hat. Erbschaftsverzicht einer Klosterfrau. Gelten die Notfristen auch für den

defensor vinculi in EheprozeB ?. — OESTERLE G. (O. S. B). Nochmals die Aufsicht des Dechanten über Regularseelsorger.

Le Recrutement sacerdotal, 1930. POURRAT P. La doctrine de l'école française sur le sacerdoce, — FAYARD C. Le recrutement par les écoles cléricales. — CHARMOT F. Soyez personnels. — DUREPAIRE J. Les échecs dans les petits seminaires. — PRÉNAT A. De la politesse sacerdotale. — MUGNIER FRANCIS. Le préjugé utilitaire opposé aux vocations. — LEROUX ANDRÉ. De la formation spirituelle des séminaristes. La lecture spirituelle. — J. J. N. Retraites sacerdotales. — TISSELIN H. La parole, le livre et le dialogue. — GAUTHEROT J. La culture physique et les jeunes clercs. — NAVATEL J. Le retraites d'enfants et la vocation. — PYOTTE. Pour les vocations autres que la vocation sacerdotale.

Resena eclesiástica, 1930. SANABRE JOSÉ. Los sinodos diocesanos en Barcelona. — BOSCH PEDRO. Catequesis.

Revue de l'Aucam, 1930. VILAIN ROBERT (S. I.). Ce qu'est l'Aucam. Ce que l'Aucam demande aux professeurs d'université. — MASSION JEAN. Les origines de l'Aucam. — CHARLES PIERRE (S. I.). Le prestige de notre race. — OLIVIER ALFRED. Cercles coloniaux. — NASSION LÉON. Une oeuvre de salut: l'aide médicale aux missions. — SIMONS PIERRE. L'Aucam et l'étranger. L'Aucam et les Missions. — RYCKMANS G. L'Islam et l'apostasie. — VAN HOVE JULIEN. Précisions sur le problème de l'éducation et de l'enseignement au Congo. — NOUBEL FÉLIX. L'action missionnaire au Xe Congrès des étudiants catholiques français.

Revue des communautés religieuses, 1930. CREUSEN J. (S. I.). S. C. des Sacrements. Administration de la communion. La croisade pour la pureté. GENGLER P. (P. S. C.). Érection d'un chemin de la croix. JOMBART É (S. I.). La renonciation aux biens. La sortie volontaire pendant les voeux de religion. — DE COSTER J. (S. I.). Eau bénite et visite au St. Sacrement.

Revue Ecclésiastique de Liège, 1930. LEROUX E. L'éveil des vocations sacerdotales. De influxu tum ignorantiae tum consuetudinis in moralitatem actuum. Notio devotionis. — G. SIMENON. Notio quasi-domicilii. — KISELSTEIN G. Malitia mendacii. De censibus. — VIEUJEAN J. La spiritualité des Victorins. — RAPPE JOS. Les avantages de la méditation. — G. PHILIPS. Le Sacrifice eucharistique dans la tradition africaine. De operatione theandrica Christi. — A. POSTELMANS. De osculis in Liturgia.

Nouvelle Revue Théologique, 1930. De Lanversin F. (S. I.). A propos de « Prière pure ». — Peeters L. (S. I.). La vie spirituelle est-elle en progrès? — Bourgeois Ch. (S. I.). Pour comprendre les chrétiens d'Orient. Les Gréco-Catholiques en Russie Subcarpathique. — De Ghellinck J. (S. I.) Les rétractations de saint Augustin, examen de conscience de l'écrivain. — Pauwels Jos. (S. I.). Consultations liturgiques. — Claude Robert (S. I.). La dialectique de l'action humaine d'après M. Blondel. — De Lubac H. Apologétique et théologie. — Frutsaert Éd. La réconciliation ecclésiastique vers l'an 200. — Mersch É. Deux traits de la doctrine spirituelle de Saint Augustin. — Arendt Jos. (S. I.). L'Église et les oeuvres d'éducation populaire.

Nederlandsche Katholieke Stemmen, 1930. — Beijersbergen H. (S. I.). E S. Poenitentiaria. Over het verkrijgen van goederen door religieusen. — A. C. M. S. De beteekenis van het « Vidi aquam ». Rozenkrans-oefeningen in October nog steeds verplicht. Practische vragen betreffende het Breviergebed. — V. G. Welk kalendarium te volgen in een Missiegebed. — Jansen J. L. (C. SS. R.). « Ut hos electos benedicere digneris »... bij de Priesterwijding. — Bender L. (O. P.). Dispensatie in een huwelijk, dat is ratum et non consummatum. Van twee kwaden het minste kiezen? — Mulder W. Consanguinitas in tertio gradu mixto cum primo.

PARS ALTERA

MONUMENTA

55. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Motu Proprio 5 augusti 1930

PONTIFICIUM OPUS PRAESERVANDAE FIDEI NOVISQUE ROMAE TEMPLIS EXSTRUENDIS

(A. A. S., 7 aug. 1930, XXII, 337)

PIUS PP. XI

Consilium in Consistorio adumbratum

In Allocutione habita in Consistorio, die elapsi mensis Iunii tricesimo, summatim consilium proposuimus, quod iam diu in animo Nostro maturuisset, opportunas rationes ineundi, per quas nonnullis praesentioribus gravioribusque carissimae dioecesis Nostrae Romanae spiritualibus necessitatibus prospiceremus.

explanaturus et effectum daturus,

Placet nunc verba illa consiliumque illud Nostrum cum explanare fusius, tum, una simul, effecta dare quo aptiore ad propositum adipiscendum modo visum Nobis est.

Pontifex opus erigit de quo in titulo.

Atque ut ad rem confestim aggrediamur, dicimus, hanc esse mentem Nostram, ut erigamus — quemadmodum reapse per hasce Litteras Motu proprio datas erigimus — « Pontificium Opus praeservandae Fidei novisque Romae templis exstruendis ».

Opus Leonis XIII de Fidei praeservandae

Quo quidem Opere illud immutatur atque amplificatur, quod fel. rec. decessor Noster Leo XIII Litteris suis Motu Proprio datis die XXV m. Novembris an. MDCCCCII auspicato condiderat.

immutat in Opus Pontificium,

Immutatur, inquimus, quandoquidem id ipsum Opus, quod Commissio, ut aiunt, Patrum Cardinalium ante moderabatur, fit nunc Opus Pontificium, ad leges regundum quas tempestive, pro huius renovationis modo ac fine, laturi Nos sumus. Amplificatur praeterea, siquidem cum pristino eiusmodi Opere con-

et amplificat, subiungendo excitationem novorum templorum.

iungitur atque ordinato quodam nexu copulatur — ut ipsa utriusque rei natura postulat — aliud illud novis in Urbe templis excitandis, in iis praesertim Romae partibus ac regionibus, quae tali praesidio imprimis destituuntur. Hoc « Pontificium Opus praeservandae Fidei novisque Romae templis exstruendis » est persona iuridica, idemque, congruenter « Pontificii » titulo quo distinguitur, a potestate atque auctoritate Nostra proxime pendebit.

Natura novi Operis Pontificii:

Praeses,

Praeses eius effectivus, ut vocant, unus erit e Purpuratis Patribus, quem Nosmet ipsi — ut Cardinalem pro Urbe eiusque Districtu Vicarium Nostrum in spiritualibus Generalem aliqua ex parte a tam multiplicibus gravibusque curis laxemus quibus oneratur — consulto designabimus, ad Nos de rerum cursu, stato quoque tempore, relaturum.

Conferens cum Card. Vicario.

At Cardinalis Operis Praeses cum memorato Cardinali pro Urbe eiusque Districtu Vicario Nostro in spiritualibus Generali rationes habebit frequentissimas, ut eum de omnibus certiorem faciat cum eodemque consilia opportune conferat. Cardinalis idem Praeses novi personam Operis geret ad omnes quod pertinet effectus, quos iuridicos atque administrativos vocant.

Binae operis sectiones:

Itaque novum « Pontificium Opus praeservandae Fidei novisque Romae templis exstruendis » ex duabus sectionibus constat, quarum unaquaeque certum quoddam ac proprium persequitur propositum, quamvis, ut patet, arcte sit alterum cum altero copulatum.

De Praeservanda Fide,

Ad praeservationem Fidei quod attinet, Opus Pontificium, praeterquam quod provehere ea perget, quae usque adhuc pristinum Opus, Leonianum dicimus, promovere non destitit, curas atque incepta sua ad novas temporum rerumque condiciones proferendo accommodabit, ut aptioribus cotidie efficacioribusque artibus id, quo tendit, assequatur, scilicet ut avitam fidem in dilectissima hac Nostra Urbe ac dioecesi incolumem tueatur.

De exaedificatione templorum paroecialium.

Quod autem spectat ad templorum paroecialium exaedificationem — de quibus primum ac praecipue, si non unice, loqui volumus — Pontificii Operis erit, quamprimum fieri poterit, novas erigere, instituere ac dotare paroecias, vel veteribus, si quando oporteat, dismembratis; areas acquirere, templa exstruere continentesque aedes, itemque de necessariis veniis cum civitatis magistratibus agere. Quibuscum praeterea Pontificium Opus de modis ac de compensationibus tractabit convenietque, quotiescumque veteres sacrae aedes cedi debent, publicae utilitatis causâ necessario deiiciendae.

Quibusnam opibus.

Novum Opus utrumque finem sibi propositum persequetur per eas pecuniae summas, quas unicuique ex iis attributas vo-

lumus; in templorum vero paroeciarumque exstructionem erogabuntur quoque cum pecuniae e cessione veterum ecclesiarum perceptae, tum largitiones, quibus filii e dioecesi Nostra dilectissimi Nobis opitulaturi sunt — ut in ipsa Consistoriali Allocutione confidere Nos diximus — cum de re agatur, quae et sibi ipsis et suae posteritati tantopere profutura erit.

Abrogantur Lex propria Leonis XIII; Commissio, consultorum coetus, etc.

Lex propria Operis Praeservationis Fidei, quam fel. rec. decessor Noster Leo XIII Litteris Motu proprio die XXV m. Novembris an. MDCCCCII datis probavit, Nostrarum harum promulgatione Litterarum abrogatur; item esse desinere volumus Commissionem, Consultorum Coetum et cetera omnia, quae ex iisdem Leonianis praescriptis esse coeperunt. Interea operibus negotiisque expediendis, quae in cursu sunt, opportune providebitur.

Commissio adiuncta sectioni de templis

In sectione, quae nova templa Romae excitanda curabit, Cardinali Praesidi laborum socia aderit Commissio, ut aiunt, quae constabit non modo ex uno e curionibus urbanis atque ex iis aliis ecclesiasticis viris, quos mox deligere placebit, sed etiam e iurisperito uno artificibusque tribus, quos pariter Nosmet ipsi nominabimus. Omnia autem, quae supra memoravimus, ut ad effectum rite deducantur, opportunas posthac normas traditurus sumus.

Concepta spes

Interea spe fruimur laetissima, fore ut Pontificium Opus, quod, post assiduas commentationes ac preces, modo condidimus, fructus illos ferat uberrimos, quos vehementer optamus ardenterque ominamur, cum Dei benignissimi deesse Nobis praesidium non possit, apud quem Deiparae Virginis, Apostolorum Petri et Pauli omniumque caelestium Almae huius Urbis ac dioecesis Patronorum deprecationem adhibuimus atque adhibemus.

Apostolica Benedictio.

Divinorum autem munerum conciliatrix sit apostolica benedictio, quam, praecipua animi effusione, iis universis impertimus, qui aut pristino Leoniano Operi dedidere usque adhuc se totos, aut novi Operis modo erecti commoda tuebuntur, in eius profectum precibus, favore ac liberalitate sua conspirando. Sensum vero aperimus, quem in animo Nostro nemo non legat, cum dicimus, plurimum Nos pastorali studio confidere, quo parochi urbani tam Nobis cari apud suum quisque gregem valent, et niti Nos item admodum acri actuosoque apostolatus spiritu, quo dilectos omnes de Actione Catholica filios Nostros flagrare novimus.

Quaecumque a Nobis hisce Litteris statuta sunt, ea omnia

firma ac rata esse iubemus, contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die v mensis Augusti, in festo Dedicationis Sanctae Mariae ad Nives, anno MDCCCCXXX, Pontificatus Nostri nono.

PIUS PP. XI

ANNOTATIONES

Insigne opus praeservationis Fidei in Urbe prima sua initia repetita P. PIO DE MANDATO S. I., Pontificiae Universitatis Gregorianae Professore. A LEONE XIII fuit libentissime probatum. Subinde, anno 1902, Motu Proprio *Litteras ante,* 25 nov., LEO XIII Consilium Cardinalium eidem moderando praefecit. Ei Motu Proprio annexa erant statuta italice conscripta. Consilium supremam gerebat moderationem et Operis protectionem. Praeses eius erat Cardinalis Vicarius pro tempore; quattuor praeterea Cardinalibus et Praelato Secretario constituebatur. Deliberare poterat si duo Cardinales erant praesentes. Commissioni isti astabat Consilium Praelaticium, constans Secretario Commissionis Cardinalium et quinque Consultoribus, quorum unus e parochis Urbis; Consilium administrativum. Comitatus virorum et Mulierum, praeter zelatores et zelatrices. Cfr *Acta Leonis XIII,* tom. 22, p. 241.

56. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Bulla « Ubi primum », 23 apr. 1930

DE PONTIFICIO COLLEGIO NEPOMUCENO IN URBE

(A. A. S., 7 aug. 1930, XXII, 340)

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Extensio ad omnes cives no-

Ubi primum Cecoslovacha Respublica constituta fuit, opportunum sane atque consentaneum visum est ad omnes eius-

dem dioeceses illud extendi beneficium quod f. r. Leo Papa XIII, Praedecessor Noster, per Bohemorum clericorum Collegium, Apostolicis litteris *Vicariam potestatem,* kalendis lanuariis anno millesimo octingentesimo nonagesimo datis, in Urbe conditum, Bohemiae dioecesibus iam attribuerat, ita ut omnibus liceret novae reipublicae dioecesibus alumnos, pietate quidem ingenioque praestantes, in hanc almam Urbem Nostram mittere, qui, sub fere ipsis Christi Vicarii oculis ac in tot sacrorum monumentorum conspectu, ecclesiasticis disciplinis darent operam. Iamvero cum ad hanc rem assequendam satis idonea non esset domus in Urbe vico Sixtino sita, quam ipse Decessor Noster Bohemorum Collegio assignaverat, consilium initum est ampliores exstruere aedes, quae melius temporum necessitatibus responderent. Quapropter lata area eademque saluberrima a sacrosancta Nostra Patriarchali Basilica Lateranensi haud procul disiuncta, Apostolicae Sedis sumptibus coëmpta, novum aedificium aere tum quidem Nostro atque a sacrorum Cecoslovachiae Antistitibus et Reipublicae Moderatoribus et christifidelium etiam in America degentibus oblato, tum ex venditis veteribus Bohemorum Collegii aedibus contiguisque ipsius domibus percepto, ibidem a fundamentis feliciter est excitatum. Novis itaque aedibus nunc solemniter dedicatis, huic sacrorum studiorum domicilio iuridicam constitutionem mutatis rerum condicionibus congruentem dare volentes, suppleto quorum interest vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardilium Congregationi de Seminariis et Studiorum Universitatibus praepositorum consulto, quas supra memoravimus Apostolicis Litteris *Vicariam potestatem,* suprema Nostra auctoritate, quatenus opus sit, derogamus, et quae sequuntur statuimus ac decernimus:

vae rei publicae Cecoslovachae, usus coll. Bohemorum.

Opportunitas novae sedis;

quibusnam sumptibus erectae et iam dedicatae.

Derogatur Litt. Vicariam potestatem.

I. Clericorum hoc Institutum, Bohemorum Collegii sublato nomine, a viro illo sanctissimo Ioanne, qui sane est sacri ordinis gloria et patriae decus, *Pontificium Collegium Nepomucenum* posthac nuncupari volumus ac mandamus; illudque in posterum alumnos excipiet, pietate quidem ingenioque praecellentes, quos Cecoslovachae Reipublicae venerabiles fratres Nostri Antistites e suis ipsis dioecesibus Romam, ibidem ecclesiasticis imbuendos disciplinis, missuri sunt.

Collegii mutatur nomen;

II. Pontificio huic Collegio Nepomuceno iura omnia et privilegia tribuimus, atque bonorum mobilium et immobilium possessiones eorumque reditus eidem assignamus, quibus Bohemorum Collegium fruebatur, ipsorum tamen natura et fine

servat iura privilegia, bona cum oneribus.

religiose servatis; itemque officia omnia, onera et obligationes, Collegio Bohemico hucusque adnexa, a Nepomuceno Collegio posthac absolvi volumus ac praecipimus.

Ei sedem propriam assignat.

III. Novum quod supra memoravimus aedificium, vico vulgo *Concordia* nuncupato, prope vicum *Magna Grecia*, exstructum, cum contiguo fundo, Pontificio Collegio Nepomuceno suum proprium assignamus, tamquam Instituti sedem.

Aequalia iura et officia Antistibus Cecoslovachiae.

IV. Cecoslovachiae sacrorum Antistites eadem iura eademque officia in Collegio singuli habeant eique omnes pro virili parte consulant.

Collegii moderator.

V. Collegii Moderator a Summo Pontifice per Sacram Congregationem de Seminariis et de Studiorum Universitatibus eligetur; isque parochi munere in Collegio fungetur, idemque ipso iure Archiepiscoporum et Episcoporum Reipublicae Cecoslovachae erit procurator.

Dependentia a S. Cong. de Seminariis.

VI. Collegium sub eiusdem Sacrae Congregationis de Seminariis iure ac potestate erit, et ideo legibus ab ipsa latis regetur.

Devolutio bonorum.

VII. Si quavis ex causa Pontificium Collegium Nepomucenum esse desierit, omnes eius possessiones, bona mobilia et immobilia, pecuniae, reditus, aliaque huiusmodi ad Sanctam Sedem devolventur, ut, quantum fieri poterit, ad alumnos e dioecesibus, quas nunc Cecoslovacha Respublica complectitur, ecclesiastice educandos et erudiendos erogentur.

Fides danda transumptis

Volumus denique ut harum Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius viri, in ecclesiastica dignitate vel in officio constituti, munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent.

Clausula

Quae autem per hanc Nostram Constitutionem statuimus, decrevimus, ediximus et mandavimus, rata omnia et firma permanere auctoritate Nostra volumus, iubemus, quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.

Dies (23 ap. 1930).

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo ac trigesimo, die vigesima tertia mensis Aprilis, in festo S. Adalberti Ep. M., Pontificatus Nostri anno nono.

CAIETANUS Card. BISLETI,
Praefectus S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus.

Loco ✠ Plumbi

Fr. ANDREAS Card. FRÜHWIRTH,
Cancellarius S. R. E.

Alfonsus Carinci, *Protonotarius Apostolicus.*
Hector Castelli, *Protonotarius Apostolicus.*

Reg. in tab. Cancellariae Apostolicae, Vol. XLII, n. 5. - M. Riggi.

57. — S. C. Concilii

Instructio 25 iun. 1930.

DE ECCLESIIS ET ALIIS ENTIBUS CULTURALIBUS

(A. A. S., 2 sept. 1930, XXII, 4:0)

Istruzioni circa le Chiese ed altri enti di culto ai Rev.mi Ordinari diocesani d'Italia

Instructionis opportunitas S. Pontifici probata.

In applicazione degli articoli 27 e 29 del Concordato Lateranense e per l'esecuzione dell'articolo 14 e degli altri relativi, di cui nelle *Istruzioni* del 20 Giugno 1929, n. 2076/29, concernenti l'amministrazione dei beni beneficiari ed ecclesiastici in Italia, questa Sacra Congregazione del Concilio, con la piena approvazione del Santo Padre, crede necessario impartire le seguenti *Istruzioni* circa le chiese, le fabbricerie, i santuari, le confraternite e le fondazioni di culto, sicura che, attesa l'importanza della materia, i Rev.mi Ordinari porranno ogni diligenza e cura nell'osservarle e farle osservare.

Capo I

Chiese

I. De ecclesiis.

Ordinarii si ipsis videbitur poterunt petere agnitionem personalitatis iuridicae ecclesiarum quae cultui patent;

Art. 1. — In base all'art. 29, lett. *a*), del Concordato, e secondo l'art. 4, comma 1, della legge civile 27 Maggio 1929, n. 848, e l'art. 10 del regolamento esecutivo, approvato con regio decreto 2 Dicembre 1929, n. 2262, gli Ordinari, ove lo credano opportuno, potranno domandare al Ministero per la giustizia e gli affari di culto il civile riconoscimento della personalità giuridica delle chiese aperte al culto, che già non la posseggano.

earum etiam quae pertinent ad suppressa entia ecclesiastica.

Art. 2. — Con la stessa procedura di cui al precedente articolo, in base all'art. 29, lett. *a*), del Concordato ed in conformità all'art. 6 della citata legge e dell'art. 11 del relativo regolamento, gli Ordinari potranno domandare, ove occorra, il civile riconoscimento della personalità giuridica delle chiese aperte al culto, già appartenenti ad enti ecclesiastici soppressi, e la eventuale consegna delle medesime, almeno in uso.

Quaedam exigenda.

Art. 3. — § 1. Gli Ordinari cureranno che, secondo l'art. 29, lett. *a*), del Concordato, alle chiese di cui al precedente art. 2 sia riconosciuta e costituita a carico del Fondo per il culto la dotazione per l'ufficiatura, le spese di culto e l'adempimento delle pie fondazioni secondo le norme, di cui all'art. 13 del predetto regolamento; in caso di dubbio o contestazione, si rivolgeranno a questa Sacra Congregazione per le opportune istruzioni.

§ 2. A norma dell'art. 8 della citata legge e dell'art. 15 del relativo regolamento, esigeranno che dalle Amministrazioni civili (Comuni e Provincie) cui spetta, sia rilasciata, senza alcuna indennità, una congrua parte dei fabbricati già appartenenti agli enti ecclesiastici soppressi, per essere destinata a conveniente abitazione del rettore e, ove occorra, anche dei cappellani necessari al servizio della chiesa.

Interventus peritorum

Art. 4. — All'atto di consegna delle chiese, di cui nei precedenti art. 2 e 3, e dei locali di abitazione, gli Ordinari procederanno all'accertamento delle condizioni di statica e manutenzione delle medesime per mezzo di perizia con annessa carta catastale.

Processus verbalis triplici exemplo scribendus

Art. 5. — Della consegna di ciascuna chiesa e dei locali di abitazione, a norma dell'art. 12 del citato regolamento, sarà redatto un processo verbale in tre esemplari, di cui uno sarà consegnato al rappresentante dell'Amministrazione civile, e gli altri due saranno rispettivamente conservati nell'archivio della Curia diocesana ed in quello della chiesa.

Quae continebit

Art. 6. — Il verbale conterrà, come allegati:

a) la perizia di cui al precedente art. 4;

b) i libri d'amministrazione, le carte, i documenti ed istrumenti, che possono occorrere per la tutela dei diritti e delle consistenze patrimoniali;

c) l'inventario degli oggetti mobili di ogni specie appartenenti a dette chiese, con l'indicazione del loro stato di manutenzione e conservazione e con particolare menzione degli oggetti di valore e di pregio artistico o storico.

Tale inventario sarà redatto in base a quello della primitiva concessione delle chiese fatta ai Comuni, alle Provincie o ad altri concessionari.

Praesumpta destinatio rerum cultus.

Art. 7. — A mente del canone 1536, § 1, ed a norma dell'art. 7 della citata legge, i quadri, le statue, le suppellettili, gli arredi sacri e gli altri oggetti inservienti al culto, che si trovano nelle chiese, si presumono destinati dai fedeli irrevo-

cabilmente al servizio delle medesime, salva la prova in contrario, con l'eventuale azione di rivendicazione da esercitarsi, sotto pena di decadenza, entro due anni dall'8 Giugno 1929.

Capo II

Fabbricerie

II. De Fabricis.

Art. 8. — Gli Ordinari, i parroci, i rettori e gli altri preposti alle chiese, di cui all'art. 29, lett. *a*) del Concordato, ne hanno la rappresentanza giuridica, a norma dell'art. 15, comma 1, della legge 27 Maggio 1929, n. 848.

Quinam ecclesias repraesentent.

Art. 9. — § 1. Gli stessi, ove non esistano vere e regolari fabbricerie, amministrano anche i beni destinati alla manutenzione di dette chiese con gli edifici annessi, ed all'esercizio del culto, secondo i canoni 1182, 1519-1528, e l'art. 15, comma 1, della citata legge 27 Maggio 1929.

Quinam eas administrant.

§ 2. Ove poi esistano tali fabbricerie, l'amministrazione dei beni per la manutenzione di dette chiese con gli edifici annessi e per l'esercizio del culto è affidata alle medesime, le quali funzionano come organi amministrativi a nome e per conto delle chiese, conforme ai canoni 1183, 1521, § 2, ed all'art. 15, comma 2, 3, della citata legge.

Art. 10. — § 1. Le funzioni delle fabbricerie sono determinate dai can. 1521-1528, combinati con gli articoli 37-39 del regolamento 2 Dicembre 1929, n. 2262.

Partes fabricae.

§ 2. Secondo l'art 29, lett. *a*), comma 2, del Concordato, e l'art. 15, comma 3, della menzionata legge, dette fabbricerie non possono aver alcuna ingerenza nel servizio del culto e nell'esercizio del ministero spirituale, come è specificato dai canoni 1184, 1185, e dagli art. 40, 41 del ricordato regolamento.

Art. 11. — § 1. A norma del canone 1183, § 1, gli ecclesiastici rappresentanti delle chiese, od i loro delegati, sono di diritto presidenti delle fabbricerie.

Quinam iure praesint vel socii sint fabricarum.

§ 2. È poi da ritenersi che gli stessi, secondo lo spirito dell'art. 42 del citato regolamento, saranno proposti e nominati presidenti delle fabbricerie.

§ 3. In ogni caso, essi sono membri di diritto delle fabbricerie, in forza dell'art. 35, comma 1, dello stesso regolamento.

Art. 12. — § 1. Le fabbricerie, a norma dell'art. 34 del predetto regolamento, continueranno a reggersi secondo i pro-

Modus quo se gerant fabricae.

pri regolamenti o statuti ora vigenti, ferma l'osservanza delle disposizioni canoniche e concordatarie.

Recognitio statutorum.

§ 2. Gli Ordinari promoveranno, ove occorra, l'eventuale revisione di detti regolamenti o statuti, per metterli in armonia con le direttive del Concordato, a norma dell'art. 34, comma 3, del citato regolamento.

Vigilantia Ordinariorum.

Art. 13. — Gli Ordinari vigileranno affinchè le fabbricerie compiano regolarmente le loro funzioni, di cui al precedente art. 9, § 2, ed esercitino le attribuzioni di cui negli articoli 43-46 del citato regolamento: in caso contrario promoveranno, d'accordo con l'Autorità civile, i necessari provvedimenti.

Art. 14. — In conformità ai can. 1521, § 2, 1522 e seg., ed all'art 16 della menzionata legge, essi sorveglieranno la regolare amministrazione delle stesse fabbricerie, ed, occorrendo, promoveranno, d'accordo con l'Autorità civile, gli opportuni provvedimenti, non esclusi quelli indicati negli articoli 47-51 del predetto regolamento.

Ipsis ratio reddenda.

Art. 15. — A norma del can. 1525, gli stessi Ordinari esigeranno i bilanci preventivi e i rendiconti delle fabbricerie e li esamineranno, valendosi dell'opera del Consiglio diocesano amministrativo, di cui al canone 1520, e di altre persone di loro fiducia, in ordine all'approvazione dei medesimi, conforme all'art. 46 del ricordato regolamento.

Varia petenda pro Curia dioecesana.

Art. 16. — Inoltre essi inviteranno le fabbricerie a presentare alla Curia diocesana, entro un congruo tempo, in duplice copia:

a) le risposte al *questionario*, di cui all'art. 14 delle precedenti *Istruzioni* del 20 Giugno 1929, n. 2076/29;

b) l'atto di costituzione e di approvazione della fabbriceria;

c) il regolamento e lo statuto;

d) l'elenco dei fabbriceri;

e) lo stato patrimoniale ed economico attivo e passivo;

f) il rendiconto del 1929 ed il bilancio preventivo del 1930.

Capo III

III. De Sanctuariis.

Santuari

Vindicanda libera administratio.

Art. 17. — § 1. In forza dell'art. 27, comma 3, del Concordato, gli Ordinari, per i santuari, nei quali esistano Amministrazioni civili di qualsiasi specie, ne rivendicheranno a sè

la libera gestione, con i beni, edifici ed opere annesse, escluse quelle di carattere meramente laico.

Quo pacto

§ 2. A tale scopo faranno regolare domanda al rappresentante delle stesse Ammistrazioni civili od al Ministero per la giustizia e gli affari di culto; ed, in caso di opposizione o contestazione, informeranno questa Sacra Congregazione per le opportune istruzioni ed i provvedimenti del caso.

Attributio bonorum.

Art. 18. — Dovendosi procedere alla ripartizione dei beni appartenenti a detti santuari, in mancanza d'accordo tra l'Ordinario e l'Amministrazione civile, tale ripartizione si farà per mezzo di Commissione mista, composta di membri scelti, in numero pari, dall'Ordinario e dall'Amministrazione civile, e si avrà riguardo ai diritti dei terzi ed alle dotazioni necessarie per le opere meramente laiche, come all'art. 27 comma 2, 3, del Concordato.

Processus verbalis.

Art. 19. — Gli Ordinari, nel ricevere la gestione dei santuari dalle Amministrazioni civili, redigeranno con il rappresentante delle medesime uno speciale verbale di consegna in triplice esemplare, come ai precedenti articoli 5, 6.

Inventarium.

Art. 20. — § 1. In particolare cureranno che l'inventario dei beni mobili ed immobili, da allegarsi al verbale, sia esatto e completo, facendo risultare le condizioni di statica e di conservazione del santuario e degli edifici annessi, nonchè lo stato dei fondi rustici ed urbani, ove esistano, per mezzo di perizia con unita pianta catastale, salvo le riserve del caso.

Varia exigenda.

§ 2. Esigeranno:

a) lo stato patrimoniale ed economico attivo e passivo dei santuari alla data della consegna;

b) il rendiconto del triennio 1926-1928 e dell'anno 1929, nonchè il bilancio preventivo del 1930;

c) i libri di amministrazione, le carte, i documenti e gli istrumenti, che possono occorrere per la conservazione dei diritti e delle consistenze patrimoniali.

§ 3. Richiederanno i certificati delle eventuali iscrizioni ipotecarie a carico, e cureranno, ove occorra, presso l'Ufficio delle ipoteche la trascrizione del verbale di consegna e la regolarizzazione dell'intestazione dei beni immobili ai santuari stessi.

Reservanda confirmatio.

Art. 21. — Gli Ordinari avranno cura di inserire nel verbale di Consegna dei santuari più celebri la riserva della conferma da parte di questa Sacra Congregazione, alla quale quindi rimetteranno copia del verbale stesso con la relativa relazione.

Capo IV

Confraternite

IV. De Confraternitatibus.

Undenam associationes piae personalitatem sortiantur.

Art. 22. — § 1. Le confraternite ripetono la loro personalità giuridica dalla competente Autorità ecclesiastica, la quale, a norma dei canoni 686, § 1 e 2, 687, 708, le ha erette od almeno approvate.

§ 2. Lo stesso dicasi delle associazioni erette od approvate dall'Autorità ecclesiastica a scopo di religione o di culto, a norma dei canoni 686, § 1 e 2, 708.

Ordinarii, si id expedire putent, possunt civilem agnitionem postulare.

Art. 23. — § 1. Gli Ordinari, credendolo opportuno, potranno chiedere il riconoscimento civile della personalità giuridica delle confraternite e delle stesse pie associazioni di religione o di culto, le quali già non la posseggano, a norma dell'art. 4, comma 1, della legge 27 Maggio 1928, n. 848, ed a forma dell'art. 16 del regolamento 2 Dicembre 1929, n. 2262.

§ 2. Tale riconoscimento importa la capacità civile di acquistare e possedere beni temporali, a norma dell'art. 30, comma 2, del Concordato e dell'art. 4, comma 2, della citata legge, e di amministrarli, escluso ogni altro intervento da parte dello Stato che non riguardi l'acquisto dei beni immobili e l'accettazione di donazioni, eredità e legati, secondo gli art. 9 e 10 di detta legge, e senza obbligo di assoggettare a conversione i beni immobili, a tenore del citato art. 30, comma 1, del Concordato.

Dependent, etiam si agnitae, ab auctoritate ecclesiastica.

Art. 24. — § 1. Le confraternite di ogni specie civilmente riconosciute ed aventi scopo esclusivo o prevalente di culto, a norma dell'art. 29, lett. *c*), del Concordato, non sono soggette ad ulteriori trasformazioni nei fini, e dipendono dall'Autorità ecclesiastica per quanto riguarda la loro esistenza, il funzionamento e l'amministrazione, in conformità ai canoni 688-725.

Quid si mixtae rationis.

§ 2. Norme analoghe, d'intesa con l'Autorità civile, si applicano anche alle altre confraternite non aventi scopo esclusivo o prevalente di culto, salve le attribuzioni dell'Autorità civile per quanto concerne gli scopi meramente laici, a tenore dell'art. 17 della detta legge e degli articoli 52-55 del relativo regolamento.

Quae Ordinarii ab iis petent.

Art. 25. — Gli Ordinari inviteranno le confraternite d ogni specie e le pie associazioni di religione o di culto a presen-

tare alla Curia diocesana, entro un congruo tempo, in duplice copia:

a) le risposte al *questionario*, di cui all'art. 14 delle precedenti *Istruzioni* del 20 Giugno 1929, n. 2076/29;

b) l'atto di costituzione della confraternita o pia associazione;

c) il decreto di erezione od approvazione;

d) le antiche costituzioni ed, in ogni caso, quelle anteriori al 1890;

e) l'attuale statuto e regolamento;

f) la relazione circa lo scopo di culto;

g) l'elenco dei confratelli o dei consociati;

h) lo stato patrimoniale ed economico attivo e passivo;

i) il rendiconto del 1929 ed il bilancio preventivo del 1930.

Duplex catalogus conficiendus.

Art. 26. — Gli stessi Ordinari, compiute le debite indagini, ed invitati i rappresentanti delle singole confraternite a fornire gli opportuni schiarimenti e documenti, compileranno un duplice elenco tanto delle confraternite aventi scopo esclusivo o prevalente di culto, quanto delle altre che non lo abbiano, valendosi dell'opera del Consiglio diocesano amministrativo, di cui al canone 1520, e di altre persone di loro fiducia.

Quibusnam tradendus

Art. 27. — § 1. Presenteranno, poi, all'Ufficio distrettuale per gli affari di culto, uno dei due elenchi che, dietro eventuale revisione, fatta di comune accordo, in base ai documenti, diverrà definitivo.

§ 2. Rimetteranno, quindi, copia di tale elenco definitivo a questa Sacra Congregazione per la relativa conferma.

§ 3. Trasmetteranno pure a questa Sacra Congregazione, per i provvedimenti del caso, copia dell'elenco di quelle confraternite, sul cui scopo non sia stato raggiunto l'accordo.

Capo V

Fondazioni di culto

V. De Fondationibus cultus.

Earum autonomia.

Art. 28. — § 1. Le fondazioni di culto o di religione, di cui all'art. 29, lett. *d*) del Concordato, con riferimento alle pie fondazioni, di cui ai canoni 1489-1494, 1513-1517, 1544-1551, hanno carattere autonomo con patrimonio proprio.

Facultas petendi civilem agnitionem.

§ 2. Gli Ordinari, ove lo credano opportuno, potranno chiedere il riconoscimento civile di tali fondazioni autonome

di culto o di religione, anche se già esistenti di fatto, nelle forme di cui all'art. 17 del citato regolamento civile.

Confirmantur canones.

§ 3. Restano ferme, come oneri di culto, le altre pie fondazioni ed ultime volontà, di cui ai canoni 1513-1517, 1544-1551.

Dies (25 iun. 1930).

Roma, dalla Segreteria della Sacra Congregazione del Concilio, 25 Giugno 1930.

† D. Card. SBARRETTI
Vescovo di Sabina e Poggio Mirteto, *Prefetto.*

L. ✠ S.

† G. SERAFINI, Vesc. tit. di Lampsaco, *Segretario.*

ANNOTATIONES.

1. Inter alia beneficia, magni profecto momenti, quae ex pactis conventis inter Sedem Apostolicam et Gubernium italicum initis orta sunt, ea quoque merito adnumerari liceat, quae in hac Instructione S. Congregationis Concilii die 25 iunii 1930 ad omnes locorum Ordinarios Italiae missa recensentur.

Ex traditis normis aliae respiciunt *ecclesias*, aliae *Sanctuaria*, aliae *fabricas ecclesiarum*, aliae *confraternitates*, aliae *pias fundationes*. De singulis nonnulla.

2. Ecclesiae sunt natura sua personae morales non collegiales, utpote iuridica personalitate praeditae ex competentis auctoritatis ecclesiasticae praescripto, *independenter* et *antecedenter* ad quamcumque concessionem vel recognitionem ex parte Status. Proinde, qua personae morales sunt iurium et officiorum subiectum capax, ita ut bona temporalia possint acquirere, possidere ac ministrare aliaque id genus agere valeant ex iuridica sibi concessa personalitate. Quae iura civilis auctoritas religiose recognoscere ac sancte custodire tenetur ratione ipsius officii quo, Deo utriusque societatis conditore iubente, erga Ecclesiam obstringitur.

Hinc patet quinam sit sensus verborum: « potranno domandare al Ministero per la giustizia e gli affari di culto *il civile riconoscimento della personalità*

giuridica delle chiese aperte al culto » (art. 1). Ista *recognitio* personalitatis iuridicae ex parte Status respicit dumtaxat effectus civiles, quatenus ecclesiae *etiam in foro civili* habeantur tamquam subiectum capax iurium et officiorum ideoque peculiari tutela ipsius legis civilis protegantur.

Praefata *recognitio* respicit ecclesias « *aperte al culto* », seu actu cultui divino destinatas, sive iam pridem iste usus habitus fuerit, sive recens inductus ; imo, etsi *ad tempus* talis usus fuerit suspensus ob peculiaria motiva, non ideo cessat applicatio huius praescripti. Attenditur praesertim celebratio Missae. Iudicium authenticum de huiusmodi destinatione ad locorum Ordinarios spectat.

Dicitur: « Il civile riconoscimento della personalità giuridica delle chiese... *che già non la posseggano* », quia nonnullae ecclesiae — paroeciales, cathedrales et illae quae pertinent ad instituta ecclesiastica a lege civili italica iam antea recognita — nova peculiari recognitione, ut patet, nullatenus indigent, cum in foro civili censeantur iuridica personalitate adornatae.

Peti potest recognitio personalitatis iuridicae etiam illarum ecclesiarum quae pertinuerunt ad instituta ecclesiastica civili lege *suppressa*, « già appartenenti ad enti ecclesiastici *soppressi*, e la eventuale consegna delle medesime, almeno in uso » (art. 2). Huiusmodi instituta suppresa, sunt praesertim conventus seu domus religiosae.

Petitio, licet agatur de ecclesia olim pertinente ad familiam religiosam, v. g. ad monasterium, fieri debet a loci Ordinario, qui, perspecta Instructione S. Congregationis Concilii die 12 maii 1929 ad Ordinarios data, non tenetur de rigore iuris ecclesiam restituere eidem familiae religiosae. Utrum illius proprietas adhuc ad hanc familiam religiosam pertineat necne,— perspecto art. 28 Concordati quo amplissima condonatio con-

ceditur a S. Sede « a tutti coloro che, a seguito delle leggi italiane eversive del patrimonio ecclesiastico, si trovino in possesso di beni ecclesiastici », et attenta praedicta Instructione S. Congregationis Concilii diei 12 maii 1929, — iure dubitari potest. De hac quaestione, quae huc non spectat, opportunam nacti occasionem, in posterum sermonem faciemus.

Verba « *almeno in uso* » non excludunt proprietatem ratione iustitiae seu legis canonicae penes instituta ecclesiastica. Usus autem, prudenti Ordinarii arbitrio, potest esse sive perpetuus sive temporarius.

In art. 7 legitur: « I quadri, le statue, le suppellettili, gli arredi sacri... si presumono destinati dai fedeli irrevocabilmente al servizio delle medesime, salva la prova in contrario, çon l' eventuale azione di rivendicazione, da esercitarsi, sotto pena di decadenza, entro due anni dall' 8 Giugno 1929 ».

Haec iuris praesumptio, in favorem ecclesiarum statuta, nonnisi certis atque indubitatis argumentis auferri potest. Auctoritas competens in hac re est ecclesiastica, cuius erit singulis in casibus probationes contrarias admittere easque mature perpendere ac sententiam ferre.

Verba « *sotto pena di decadenza* », attentis principiis generalibus Codicis civilis italici, terminum absolutum ac peremptorium designant, ita ut, tempore praefinito iam elapso, ipsa actio « *di rivendicazione* » perempta seu exstincta dicenda s it.

3. Ordinarii, parochi, rectores ecclesiarum ceterique quibus earundem cura commissa est, *iuridice* ecclesias sibi concreditas repraesentant, *in foro civili,* quoad omnes actus et universa negotia, ad normam sacrorum canonum (art. 8). Haec dispositio est maximi momenti, cum dubia et controversias dirimat, quae olim ex doctrina et iurisprudentia civili habebantur.

Administratio bonorum quae spectant ad ecclesias aut earundem conservationi aut cultui exercendo destinantur, est penes fabricas ecclesiarum, si adsint; secus penes Ordinarios, parochos, rectores, etc., secundum praescripta Codicis (can. 1182-1183, 1519-1528).

Lex ecclesiastica ita plenam vim atque efficaciam, Deo favente, sortitur etiam in foro civili (art. 9-11).

Statuta quibus reguntur ecclesiarum fabricae, recognosci et approbari debent ab ecclesiastica auctoritate, i. e. ab Ordinariis, quibus ius et officium quoque est advigilandi super bonorum ac redituum administratione, super muneribus rite impletis vel minus, etc. (art. 13-16).

Quaestio, si forte occurrat, ecclesiasticae auctoritati subiicienda est eiusque sententia definienda.

Ex iuridica conditione, in qua ecclesiarum fabricae olim reperiebantur in Italia, momentum maximum apparet immutationis recens inductae. Egregius Calisse ait: « Le fabbricerie non esistono in tutta Italia, ma dove abbondano, e dove mancano del tutto; le meglio costituite si hanno nelle provincie lombarde, venete, liguri, parmensi; scarseggiano nell' Italia centrale, quantunque se ne abbiano in Toscana col nome di opere; in Sicilia si chiamano maramme; sagrestie e cappelle nelle provincie napoletane... Quando si fu ai grandi cambiamenti politici e legislativi del principio del secolo, lo Stato diè regole proprie per governare questa parte del patrimonio ecclesiastico, che fu conservato, e la cui amministrazione, *di carattere laico*, fu riconosciuta come persona giuridica. Due principalmente sono i provvedimenti più importanti su questa materia: la legge del regno italico del 15 settembre 1807 e il decreto imperiale del 30 dicembre 1809... L' ordinamento generale degli economati ha tolto alle fabbricerie, dove l' avevano, l' amministrazione dei bene-

fizi vacanti od altro che oggi spetti; le leggi di trasformazione del patrimonio ecclesiastico hanno pur colpito le fabbricerie, le quali perciò non hanno più beni stabili, e sono soggette alla quota di concorso e della tassa di manomorta » (1).

4. Complura sunt in Italia *Sanctuaria,* tum antiquitate et arte tum fidelium peculiari veneratione valde insignia. Inter haec eminent v. g. Basilica Lauretana, Basilica S. Antonii in urbe Patavina, Basilica S. Lucae prope Bononiam, Basilicae *di Pompei, di Monte Berico, d'Oropa, di Caravaggio,* etc. Quaedam ex his Sanctuariis sive templis insignioribus speciale consilium laicum administrationis habent, ita ut multa incommoda eaque non levia inde oriantur, quoad Missarum onera praesertim ceteraque pia legata. Quam provide administratio vindicanda dicatur ecclesiasticae auctoritati, nemo est qui non videat (art. 17-21).

Non omnes et singulae causae seu fundationes *laicae* excluduntur ab huiusmodi omnimoda subiectione auctoritati ecclesiasticae, sed eae dumtaxat quae sunt *mere* laicae, « *di carattere meramente laico* » (art. 17), « *opere meramente laiche* » (art. 18); eae scilicet, quae ad finem *mere* profanum referuntur, absque ulla relatione directa vel saltem indirecta ad scopum religiosum, etsi non stricte ecclesiasticum. In dubio, utrum causa seu fundatio sit mere laicalis necne, iudicium pertinet ad Ordinarium vel ad Sedem Apostolicam: in praxi res amice componenda.

5. Confraternitates proprie dictae sunt personae morales ex decreto formali erectionis a competente auctoritate ecclesiastica lato ad normam can. 708. Aliae piae fidelium associationes, quae ad exercitium pietatis vel caritatis ordinantur, sunt personae morales

(1) *Diritto ecclesiastico,* p. 151 ss. ed. 3. Cfr. Bianchi, *I decreti imperiali sulle fabbricerie raffrontate con le nuove leggi del regno d' Italia.* Piacenza, 1885, p. 16 ss.

vel non, prout canonice erectae sint, necne, ab ecclestica auctoritate. Deficiente autem canonica erectione, requiritur necessario legitima approbatio eiusdem auctoritatis ecclesiasticae, ita ut nulla in Ecclesia recognoscatur associatio, quae a competente Superiore ecclesiastico erecta vel saltem approbata non fuerit.

De vi et efficacia *recognitionis* personalitatis iuridicae, qua fruuntur confraternitates aliaeque piae fidelium associationes, ex parte civilis auctoritatis, huc spectant, quae supra de ecclesiis dicta sunt.

Quaeri potest: si pia quaedam associatio non sit persona moralis ecclesiastica, potestne peti a civili auctoritate, ut agnoscatur tamquam persona moralis? *Negative* respondendum, quia ipsa vox « *riconoscimento* » manifesto supponit agi de ea fidelium pia associatione, quae iuridica personalitate iam gaudeat ex Ecclesiae concessione, ita ut Status, in foro civili, recognoscat, praesertim quoad ius acquirendi et possidendi bona temporalia, talem associationem prout exsistit in foro canonico.

Ulterius quaeri potest: si forte pia quaedam consociatio, carens personalitate iuridica, agnoscatur a Statu tamquam persona moralis, actus auctoritatis civilis obtinetne vim atque efficaciam in foro ecclesiastico? *Per se* respondendum *negative*, ut patet: civilis sane auctoritas nihil potest quoad forum canonicum. *Per accidens* recognitio a civili auctoritate facta potest attendi etiam in foro ecclesiastico, praesertim si ea petita et obtenta fuerit de concursu legitimi Superioris ecclesiastici.

Confraternitates, ad normam can. 707, § 2, eriguntur in publici cultus incrementum. Qui finis considerari potest tamquam elementum essentiale ipsius confraternitatis, in quantum a ceteris piis unionibus distinguitur. Porro iste finis potest esse unicus et exclusivus vel principalis vel tantum secundarius.

Hinc verba: « Le confraternite... *aventi scopo esclusivo o prevalente di culto* » (art. 24, § 1); « confraternite *non aventi scopo esclusivo o prevalente di culto* » (art. 24, § 2).

Iudicium de huiusmodi fine unico vel principali aut secundario in cultus publici incrementum, spectat authentice ad Ordinarium.

6. Piae fundationes, de quibus in art. 28, non intelliguntur dumtaxat illae, quae *adiective* exsistunt, utpote alicui personae morali ecclesiasticae in perpetuum vel in diuturnum tempus adnexae ad normam can. 1544, § 1, sed eae quoque, quae in se ipsis consistunt, peculiari autonomia donatae. Sane art. 28, § 1 statuit: « Le fondazioni di culto o di religione... *hanno carattere autonomo con patrimonio proprio* ». Etiam istae piae fundationes possunt a civili auctoritate recognosci.

Art. 833 Codicis civilis italici haec habebat: « Sono nulle le disposizioni ordinate al fine d'istituire o dotare benefizi semplici, cappellanie laicali od altre simili fondazioni ». Quod iuris praescriptum nunc abrogatum est.

Quot quantaque bona ex inductis immutationibus sperare liceat in Ecclesiae et Status italici utilitatem, quisque facile perspicit.

FELIX M. CAPPELLO S. I.

58. — S. Cong. S. Officii

Decretum 13 iul. 1930

DE RITIBUS SINENSIBUS
(A. A. S , 7 aug. 1930, XXII, 344)

DECRETUM

DE RITIBUS SINENSIBUS

De vi decreti 25 sept. 1710 de commentatione rituum Sinensium.

Supremae Sacrae Congregationi Sancti Officii proposito dubio: « An decretum Supremae Congregationis S. Officii diei 25 Septembris 1710, quo commentatio quaecumque de Ritibus Sinensibus sine expressa et speciali licentia Sacrae Congregationis S. Officii prohibetur, post Codicis iuris canonici promulgationem in suo pleno vigore persistat ».

Dies S. Cong.

E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales, fidei et moribus tutandis praepositi, in plenario Congressu habito feria IV, die 18 Iunii 1930, responderi mandarunt:

Responsum.

Affirmative.

Approbatio SS.i

SS.mus Dominus Noster D. Pius div. Prov. Pp. XI subsequenti feria V, die 26 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, relatam sibi E.morum Patrum decisionem approbavit et publicari iussit.

Dies (13 iul. 1930).

Datum Romae ex Aedibus S. Officii, die 13 Iulii 1940.

A. Subrizi, *S. C. S. O., Notarius.*

L. ✠ S.

59. — S. C. Pro Ecclesia Orientali

Decretum 24 maii 1930 et declaratio 11 iun. 1930

I. — DECRETUM 24 MAII 1930
(A. A. S., 7 aug. 1930, XXII, 346)

DE ADMINISTRATIONE ORDINARIATUS GRAECO-RUTHENI IN REGIONE CANADENSI.

Causa et occasio innovandi leges de admin.

Graeci-rutheni ritus fidelibus, qui in regione Canadensi commorantur, anno 1912 Episcopus Ordinarius eiusdem ritus

Ordinariatus latas 18 aug. 1913.

constitutus est, qui ordinaria potestate eos regat atque gubernet; et pro spirituali huius ordinariatus graeco-rutheni administratione opportunae leges ad decennium a Sacra Congregatione de Propaganda Fide pro negotiis rituum orientalium die 18 Augusti anni 1913 latae sunt (1), quas leges Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali, mutatis rerum temporumque circumstantiis eo modo, qui sequitur noviter aptare et praesenti decreto iterum ferre censuit et statuit.

Caput I.

I. De Episcopo-Ordinario.

De Episcopo Ordinario graeco-rutheni ritus

Episcopi nominatio.

Art. 1. Nominatio Episcopi Ordinarii graeco-rutheni ritus pro regione Canadensi Apostolicae Sedi reservata est.

Eius iurisdictio.

Art. 2. Episcopus Ordinarius graeco-rutheni ritus in regione Canadensi huic S. Sedi erit immediate subiectus plenamque iurisdictionem ordinariam in omnes fideles graeco-rutheni ritus, permanenter vel ad tempus in regione Canadensi commorantes, exercebit, sub dependentia R. P. D. Delegati Apostolici Canadensis.

Praecipuum munus.

Art. 3. Eidem ius ac potestas competit regendi ac gubernandi gregem suum ac leges et statuta condendi in iis quae iuri communi non adversantur. Praecipuum vero eius munus erit invigilare ut tum doctrina et boni mores, tum ritus et disciplina huic Ecclesiae propria, sancte et integre custodiantur. Eius igitur erit uniformitatem caeremoniarum in variis devotionibus nec non in tradendis Sacramentis secundum rubricas librorum liturgicorum a S. Sede approbatorum, introducere aut servare et eiusdem uniformitatis strictam observantiam a sacerdotibus suis expostulare.

Coetus consultorum.

Ad bonum regimen ordinariatus, Ordinarius constituat coetum saltem quatuor Consultorum, qui sint sacerdotes pietate, moribus, doctrina ac prudentia commendati, et in civitate episcopali seu Ordinarii, vel in locis vicinioribus, commorantes.

Visitatio canonica.

Art. 4. Ordinarius paroecias et missiones suae curae concreditas saepe visitare tenetur ita, ut, saltem singulis quinquenniis, ipse, vel per se, vel, si fuerit legitime impeditus, per Vicarium generalem, aut alium specialiter delegatum sacerdotem, lustret, ut gregem suum adprime cognoscat, eisque omnibus quae ad spirituale eius bonum attinent, melius provideat.

---

(1) Decretum exstat in A. A. S., 30 aug. 1913, V, 393; summarie refertur in *Per.*, VII, 216).

Inquirenda visitanti.

Art. 5. In canonica visitatione paroeciarum inquirat Ordinarius an parochi omnia paroecialia munera, praesertim infirmorum, puerorum instructionem, et, in diebus dominicis ac festis, verbi Dei praedicationem diligenter absolvant; videat insuper omnes libros baptismatum, matrimoniorum ac mortuorum; inventariumque bonorum ecclesiasticorum ex ultimo saltem biennio: ac rationes ab unoquoque rectore missionis expostulet, id est introspiciat ac probet libros proventuum et expensarum cuiuslibet ecclesiae, statum materialem eiusdem, debita, etc. Hac praesertim occasione diligenter advigilet ne abusus in disciplinam ecclesiasticam irrepant, praecipue circa administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum, praedicationem verbi divini, implementum piarum voluntatum; serioque curet ut puritas fidei et morum in clero et populo conservetur, ut in scholis puerorum ac iuvenum institutio secundum catholicae religionis principia tradatur. Si compererit irrepsisse abusus, eos prudenter, sed fortiter compescat, adhibitis etiam, si opus sit, poenis canonicis.

Cautio de securitate bonorum temporalium.

Art. 6. Ut autem securitati bonorum temporalium ecclesiarum, coemeteriorum, scholarum et omnium eorum quae ad Ecclesiam pertinent, summa cum diligentia prospiciatur, curet Ordinarius, ne rector consiliumve administrationis nomine ac iure proprio retineat, pro quorum adquisitione fideles quovis modo subsidia contulerunt; atque satagat, audito in pertractandis negotiis virorum peritorum ac consultorum suorum consilio, eas tituli possessionis formas adhibere, omnesque praescriptiones servare, quae legibus civilibus respondeant, quaeque ecclesiasticorum bonorum administrationi, conservationi ac plenae in posterum transmissioni faveant. Itemque Ordinarius normas quas iudicaverit de bonis ecclesiasticis administrandis opportunas, statuat.

Ordinarii sustentatio.

Art. 7. Annua sustentatio Ordinarii consistet in praestationibus ad instar cathedratici, quae iuxta aequitatem ab Ordinario, auditis suis consultoribus, determinabuntur, quasque singulae ecclesiae Ruthenorum Ordinariatus solvere tenentur, servato more regionis. Rectores vero ecclesiarum respondere tenentur de exacta solutione harum praestationum et aliarum ab Ordinario eiusque consultoribus determinandarum, pro Seminario vel pro alumnis sacrorum, pro orphanotrophio, missionibus, etc.

Residentia.

Art. 8. Residentia Ordinarii rutheni ritus erit in urbe Winnipeg.

Relatio quinquennalis. Decennalis s. liminum visitatio.

Art. 9. Ordinarius singulis quinquenniis plenam et accuratam relationem de statu personali, morali ac materiali mis-

sionum proprii ritus exhibeat Delegato Apostolico, qui, cum suis adnotationibus seu animadversionibus, eam transmittet ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali, atque singulis saltem decenniis, ad sacra Apostolorum limina accedat, ut obsequium et oboedientiam suam Pontifici Summo praestet, eique rationem reddat de pastoralis muneris implemento, deque omnibus quae ad Ecclesiae suae statum et cleri populique mores ac disciplinam, animarumque sibi concreditarum salutem pertinent.

Controversiae inter Ord. graeco-ruthenum et Episcopos latini ritus.

Art. 10. Controversiae, si quae exoriantur inter Ordinarium graeco-rutheni ritus et Episcopos latini ritus regionis Canadensis, deferantur ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali.

Caput II

II. De clero.

De clero graeco-rutheno

Seminarium excitandum et aedificandum.

Art. 11. Cum necesse sit ut habeantur sacerdotes indigenae, integrae vitae, zelo ac prudentia praediti, in scientiis sacris eruditi, curet Ordinarius, ut quam primum erigatur Seminarium saltem minus (cum pro Seminario maiore aliquatenus Romae provisum sit) pro pueris graeco-ruthenis rite instituendis. Quare S. Congregatio enixe rogat Ordinarium Ruthenorum et Delegatum Apostolicum, ut, collatis consiliis, et adiuvantibus aliquot saltem Episcopis regionis Canadensis, omnia parent quae necessaria sunt ad hoc Seminarium excitandum et aedificandum, pro modo facultatum et amplitudine ordinariatus.

Subsidia institutionis.

Art. 12. Ad subveniendum clericorum educationis expensis, tum rectores ecclesiarum tum ipsi fideles ritus graeci-rutheni in Canadensi regione pro posse contribuant. Enixe Ordinarius commendabit clero fidelibusque pium opus vocationum ecclesiasticarum, curabitque ut sacerdotes, praesertim parochi, pueros, qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis, a saeculi contagiis arceant, ad pietatem informent, divinaeque in eis vocationis germen foveant. Sed non nisi qui se coelibatum perpetuo servaturos coram Ordinario promiserint, in Seminarium admittere licebit, et non nisi coelibes ad sacros Ordines promoveri poterunt.

Quomodo interim providendum.

Art. 13. Interim vero seu donec Seminarium aedificatum fuerit, Ordinarius Ruthenorum roget Episcopos latinos, ut in sua Seminaria unum vel alterum puerum ruthenum qui indicia praebeat ecclesiasticae vocationis admittant, ibique ad pietatem et ad sacras scientias efforment, firmis quoad coelibatum quae in superiore articulo statuta sunt. Si vero studiis expletis non satis calleant caeremonias proprii ritus, Ordinarius Ruthenorum

satagat, ut in iisdem, quatenus indigeant, per sacerdotem eiusdem ritus plene diligenterque edoceantur.

Quomodo penuriae sacerdotum consulendum.

Art. 14. Itemque, antequam habeatur numerus sufficiens presbyterorum graeco-ruthenorum indigenarum, qui in regione Canadensi instituti sint, si providenda occurrat de suo rectore aliqua missio ruthenorum vel vacans vel noviter erecta, Ordinarius postulare poterit sacerdotes ab Episcopis ritus graeco-rutheni; vel ab ipsis Episcopis canadensibus roget ut aliqui ex eorum clero, qui ritui rutheno adoptando pares sint, huiusmodi missionibus praeponi valeant, donec aliter provideri possit. Culibet vero sacerdoti, qui proprio marte, seu neque ab Ordinario graeco-rutheno vocatus, neve ab aliquo Episcopo canadensi datus, aut a S. Congregatione missus, illuc perrexerit, Ordinarius ipse graeco-ruthenus nullas concedere potest facultates, sive celebrandi Sacrum sive administrandi Sacramenta, sive munia ecclesiastica quomodocumque obeundi.

Quinam sacerdotes ex Europa admitti possint.

Art. 15. Quoad autem sacerdotes ex Europae regionibus provenientes, ad sacrum ministerium exercendum apud fideles rutheni ritus non admittantur nisi sint coelibes (vel saltem vidui sine liberis) integri vita, zelo ac pietate praediti, sufficienter eruditi, et a politicis factionibus alieni.

Horum iuridica condicio.

Art. 16. Quilibet sacerdos, ex Europa proveniens et in regione Canadensi commorans pro fidelium ritus graeco-rutheni spirituali cura, manebit incardinatus dioecesi originis, nisi, servatis de iure servandis, incardinetur ab Ordinario graeco-rutheno regionis Canadensis. Interim tamen Episcopus originis iurisdictionem in eum nullo modo exercebit, sed praedictus sacerdos unice pendeat a iurisdictione Ordinarii graeco-rutheni praefatae regionis. In patriam redire aut revocari supradicti sacerdotes nequeant sine expressa licentia tum Ordinarii originis, tum Ordinarii graeco-rutheni ritus regionis Canadensis in scriptis concedenda.

Condicio laicorum ad ordines aspirantium.

Art. 17. Laici rutheni cuiuscumque originis ac domicilii fuerint, qui sacros Ordines in Canada suscipere cupient, sub omnimoda iurisdictione manebunt Ordinarii rutheni ritus regionis Canadensis, in cuius manus iuramentum missionis seu stabilitatis ad inserviendum in territorio emittent.

Rectorum amovibilitas.

Art. 18. Omnes rectores paroeciarum et missionum graeco-ruthenarum in regione Canadensi amovibiles sunt ad nutum Ordinarii graeco-rutheni ritus.

Congrua sustentatio.

Art. 19. Congruae sustentationi rectorum paroeciarum et missionum consulat Ordinarius, pro modo muneris et facultatum, ex Ecclesiae proventibus, iuxta consuetudines regionis.

Iura stolae.

Art. 20. Iura stolae et emolumenta sacri ministerii in singulis missionibus determinanda sunt ab Ordinario graeco-rutheno, iuxta probatas regionis consuetudines.

Populus Ordinario subiectus.

Art. 21. Ordinarius graeco-ruthenus non nisi in clerum et populum graeco-ruthenum iurisdictionem suam exerceat.

Si tamen aliquo in loco exsistant fideles graeco-rutheni ritus, in eoque non sit missio constituta aut nullus adsit presbyter eiusdem ritus, Ordinarius iurisdictionem suam in fideles graeco-ruthenos presbytero latino loci communicet, certiorato Ordinario, quoadusque sacerdos graeco-ruthenus ibi habeatur.

Facultas Ordinariorum latinorum.

Art. 22. Possunt pariter Episcopi latini canadenses, certiorato Ordinario rutheno, iurisdictionem dare presbyteris ruthenis illis in locis in quibus fideles latini ritus adsunt sibi subditi, sed nullus adest presbyter latinus qui curam eorum gerere queat.

Condicio sacerdotum latinorum transeuntium ad ritum ruthenum.

Art. 23. Sacerdotes latini ritus qui a Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali facultatem obtinuerunt aut obtinebunt transeundi ad ritum ruthenum in auxilium Ordinarii rutheni pro spirituali adsistentia fidelium ruthenorum, quoadusque in ritu rutheno permanebunt, unice et omnino sub iurisdictione Ordinarii rutheni erunt. S. Congregatio autem iterum iterumque hortatur Episcopos latinos canadenses clero locupletiores, ut Ordinario rutheno in animarum bonum aliquot sacerdotes ad tempus concedant, si ab eodem requirantur.

Quid si regulares sint.

Art. 24. Si qui vero sunt sacerdotes regulares qui transitum ad ritum ruthenum obtinuerunt, ipsi, in his quae ad vitam religiosam spectant, a propriis Superioribus regularibus, in his vero quae ad curam animarum et ritum ruthenum pertinent, ab Ordinario rutheno dependent.

Commendatio sanctioris vitae.

Art. 25. Meminerint sacerdotes se debere sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute in exemplum excellere. Ideo frequenter ad Poenitentiae sacramentum accedant, quotidie orationi mentali per aliquod tempus incumbant, Sanctissimum Sacramentum visitent, Deiparam Virginem colant, conscientiamque suam discutiant.

Praescripta exercitia spiritualia.

Art. 26. Omnes sacerdotes debent tertio saltem quoque anno vel etiam frequentius, si opportunam habuerint occasionem, spiritualibus exercitiis per tempus a proprio Ordinario determinandum vacare; nec ab eis quisquam eximatur, nisi in casu particulari iusta de causa ac de expressa Ordinarii licentia.

Officia erga Ordinarium.

Art. 27. Omnes speciali obligatione tenentur suo quisque Ordinario reverentiam et oboedientiam exhibendi eamque fidelibus saepius inculcandi.

Commendativo studiorum.

Art. 28. Sacerdotes studia, praesertim sacra, ne intermittant, et in sacris disciplinis solidam illam doctrinam a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam.

Examen post studia.

Art. 29. Expleto studiorum curriculo, sacerdotes omnes, nisi ab Ordinario ob iustam causam fuerint dispensati, examen singulis annis, saltem per triennium integrum in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, subeant, secundum modum ab eodem Ordinario determinandum.

Collationes.

Art. 30. Pariter saepius in anno, locis et diebus ab Ordinario praestitutis, conventus habeantur seu collationes de re morali et liturgica; quibus addi possunt aliae exercitationes, quas Ordinarius opportunas iudicaverit ad scientiam et pietatem clericorum promovendam. Si quis conventui interesse non poterit, resolutas quaestiones scripto mittat, secundum normas ab Ordinario determinatas.

Homilia vel catechetica instructio.

Art. 31. Gravi obligatione tenentur parochi, quasi parochi, missionariique diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto fidelibus, brevi Evangelii aut alicuius partis doctrinae christianae explanatione, verbum Dei nuntiandi necnon catholicam fidelium institutionem curandi, praesertim puerorum, secundum instructiones ab Ordinario receptas. Qui si negligentes reperti fuerint, pro gravitate culpae puniantur.

Conventus sacerdotum instituendi.

Art. 32. Iuxta opportunitatem, Ordinarius graeco-rutheni ritus sacerdotes, saltem praecipuos, tum saeculares tum religiosos suae iurisdictioni subiectos congreget semel saltem in anno, ut etiam singulorum experientia et consilio uti valeat.

Caput III

De fidelibus graeco-ruthenis

III. De fidelibus.

Obligationes fidelium.

Art. 33. Fideles graeco-rutheni tenentur observare praescripta sui ritus ac frequentare et libenter sustentare suas proprias ecclesias. Tamem in regionibus ubi desunt ecclesiae ac sacerdotes proprii ritus et ubi propter longinquitatem ecclesiae suae non eam possunt, nisi cum gravi incommodo, adire, debent, ut praeceptis Ecclesiae satisfaciant, Missam audire in ecclesia catholica alterius ritus, nec non Sacramenta accipere a presbytero alterius ritus. Huiusmodi observantia impense evulgetur, ac instent super hoc sacerdotes, cum de gravi praecepto agatur.

De ritus mutatione.

Art. 34. Frequentatio ex parte graeco-ruthenorum, etiam continua, ecclesiarum ritus latini, non inducit mutationem ritus. Circa transitum ab uno ritu ad alium, normae rite observentur a Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali datae per decretum « Nemini licere » diei 6 Decembris 1928. Idcirco fideles graeco-rutheni quod transitum spectat ad alium ritum, petitionem ad Delegatum Apostolicum mittant, et simul exponant veraciter causas canonicas, quae eundem transitum suadere videntur. Satius vero erit si hanc petitionem ad eundem Delegatum Apostolicum transmittant per tramitem proprii Ordinarii.

Vetitum sacerdotibus latinis.

Art. 35. Non licet sacerdotibus ritus latini quempiam graeco-ruthenum ad latinum ritum amplectendum inducere contra vel praeter canonica praescripta quae transitus ritus moderantur.

Usus sacramenti paenitentiae.

Art. 36. Fideles latini, etiam si adsit presbyter latini ritus, apud sacerdotem graeco-ruthenum ab Ordinario suo adprobatum, peccata sua confiteri et beneficium sacramentalis absolutionis, valide et licite obtinere possunt. Item, fideles graeco-rutheni peccata sua confiteri possunt apud sacerdotem latinum ab Episcopo suo approbatum. Presbyteri vero latini absolvere non possunt fideles graeco-rutheni ritus a censuris et casibus sibi reservatis ab Ordinario graeco-rutheno absque venia eiusdem. Vicissim idem dicatur de presbyteris graeco-ruthenis quoad censuras et reservationes statutas ab Ordinario latini ritus. Ad devitandas vero difficultates, quae frequentius in praxi occurrent, Ordinarii omnes a se reservatos casus, si qui sint, sibi invicem communicent.

Usus SS Eucharistae.

Art. 37. Omnibus fidelibus cuiuscumque ritus datur facultas ut, pietatis causa, Sacramentum Eucharisticum, quolibet ritu confectum, suscipiant: ac insuper, ubi necessitas urgeat, nec sacerdos diversi ritus adsit, licebit sacerdoti graeco-rutheno ministrare Eucharistiam consecratam in azymo et vicissim sacerdoti latino ministrare in fermentato; at suum quisque ritum in ministrando servabit.

Communio paschalis.

Art. 38. Quilibet orientalis valide ac licite praecepto communionis paschalis satisfacit etiamsi alieno ritu communicet. Suadendum tamen est ut suo quisque ritu et in propria paroecia fideles praecepto communionis paschalis satisfaciant: qui vero in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere.

Viaticum.

Art. 39. Sanctum Viaticum moribundis ritu proprio a manibus proprii parochi accipiendum est; sed, urgente necessitate, fas esto a sacerdote quolibet illud accipere: qui tamen ritu suo ministrabit.

Funerandi ius.

Art. 40. Funerum celebratio ac emolumentorum perceptio in familiis mixti ritus ad parochum illius ritus pertineant ad quem defunctus pertinebat.

Observatio festorum et ieiuniorum.

Art. 41. Ad vitanda gravia incommoda, quae inde ruthenis evenire possunt, facultas eis fit festa et ieiunia observandi iuxta consuetudines locorum in quibus degunt, quae observantia minime inducit mutationem ritus.

Celebratio festorum incidentium in eandem diem. Praeceptum audiendi Missam.

Art. 42. Festis vero incidentibus, in utroque ritu, in diem eamdem, graeco-ruthenis suadetur ut intersint sacrae liturgiae in ecclesia sui ritus, si in loco habeatur, salvo tamen praescripto can. 1249 quoad satisfactionem legis de audiendo Sacro, quocumque catholico ritu Missa celebretur, sub dio aut in quacumque ecclesia vel oratório publico aut semipublico et in privatis coemeteriorum aediculis, de quibus in can. 1190, non vero in aliis oratoriis privatis, nisi hoc privilegium a Sede Apostolica concessum fuerit.

Cooptatio in associationes.

Art. 43. Adsociationes fidelium ritus graeco-rutheni sint sub vigilantia Ordinarii, qui sacerdotem moderatorem nominet, ne forte abusus circa doctrinam, mores disciplinamve in eis irrepat. Ideo laude digni sunt fideles qui sua dant nomina adsociationibus ab auctoritate ecclesiastica erectis vel saltem commendatis; caveant autem ab associationibus secretis, damnatis, seditiosis, suspectis aut quae student sese a legitimae auctoritatis ecclesiasticae vigilantia subducere.

Diaria catholica.

Pariter diaria, folia vel libelli periodica catholica sint sub vigilantia Ordinarii, nec in eis sine eius consensu sacerdotes scribant vel eadem moderentur.

Caput IV

De matrimoniis inter fideles mixti ritus

IV. De Matrimoniis.

Facultas nuptiarum.

Art. 44. Matrimonia inter catholicos graeco-ruthenos et latinos non prohibentur; sed ad vitanda incommoda, quae ex rituum diversitate in familiis evenire solent, uxor, in ineundo matrimonio aut eo durante, ad ritum viri transire potest. Matrimonio autem soluto, assumendi proprii ritus originis libera est ei potestas.

Forma servanda.

Art. 45. Matrimonia tum inter fideles graeco-ruthenos, tum inter fideles mixti ritus, servata forma decreti « Ne temere » contrahi debent, ac proinde pro regula coram sponsae parocho celebrentur, nisi aliqua iusta causa excuset.

Dispensationes.

Art. 46. Dispensationes matrimoniales in matrimoniis mixti ritus, si quae sint petendae, petantur ab Ordinario sponsae.

Baptismus prolis.

Art. 47. Nati in regione Canadensi ex parentibus diversi ritus, ritu patris sunt baptizandi.

Infantium parochus.

Art. 48. Infantes ad eius parochi iurisdictionem pertinent, cuius ritus est eorum pater, exceptis natis ex illegitimo thoro, qui sequuntur ritum matris.

Approbatio SS. D. ad decennium.

Quae omnia Ss.mus Dominus Noster Pius div. Prov. Papa XI rata habuit ac confirmavit, praesensque decretum ad decennium valiturum edi iussit.

Clausula

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (24 maii 1930).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 24 Maii 1930.

A. Card. SINCERO, *a Secretis.*

L. ✠ S.

H. I. CICOGNANI, *Adsessor.*

60. — II. Declaratio 11 iun. 1930

EXTENDENS NORMAS CANADENSES AD AMERICAM

(A. A. S., 7 aug. 1930, XXII, 354)

Recolitur decretum de praecepto festivo.

Statuitur in decreto die 24 Maii anno 1930 ab hac Sacra Congregatione dato pro graeci-rutheni ritus fidelibus, qui in regione Canadensi commorantur, quod: « festis incidentibus, « in utroque ritu (seu graeco-rutheno et latino) in diem eam- « dem, graeco ruthenis suadetur, ut intersint sacrae liturgiae « in ecclesia sui ritus, si in loco habeatur, salvo tamen praes- « cripto can. 1249 quoad satisfactionem legis de audiendo « sacro, quocumque catholico ritu Missa celebretur » (art. 42).

Extenditur ad Foederatos Status Americae Septemtrionalis.

Ad servandam unitatem disciplinae omnium fidelium graeco-rutheno ritui pertinentium, praesentibus litteris declaratur hanc normam, pro degentibus in Canada datam, extendi seu vim habere etiam pro fidelibus eiusdem ritus, qui in Statibus Americae Foederatis commorantur.

Clausula,

Contrariis minime obstantibus.

Dies (11 iun. 1930).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 11 Iunii 1930.

A. Card. SINCERO, *Secretarius.*

L. ✠ S.

H. I. CICOGNANI, *Adsessor.*

61. — S. C. Pro Ecclesia Orientali

Responsum 26 iul. 1930

DE COMPETENTIA S. POENITENTIARIAE PRO ORIENTALIBUS

(A. A. S., 2 sept. 1930, XXII, 394)

Postulatum.

Cum postulatum fuerit « utrum ad ea quae forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt, de quibus in can. 258 Codicis iuris canonici, fideles ad Ecclesias rituum orientalium pertinentes recurrere debeant ad Sacram Poenitentiariam Apostolicam », Sacra haec Congregatio, collatis consiliis cum E.mo D. Card. Poenitentiario Maiore, respondendum censuit *Affirmative.*

Resolutio.

Approbatio Pontificis (10 maii 1930).

Quam resolutionem Ss.mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XI, in Audientia diei 10 Maii 1930, adprobare ac ratam habere dignatus est.

Dies (26 iul. 1930).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die Iulii 1930.

A. Card. SINCERO, *Secretarius.*

L. ✠ S.

H. I. CICOGNANI, *Adsessor.*

ANNOTATIO

Responso isto dubium non modici momenti valde eleganter solvitur. Cum enim res fori interni pertineant ad forum Dei, apud quem non est distinctio Graeci et Barbari, et cum in ritu orientali simile tribunal supremum pro foro interno non exsistat, apprime est opportunum et Orientalibus proficuum ut authentice constet ipsos beneficio S. Paenitentiariae uti posse.

62. — S. Congregatio Rituum.

Rescriptum 31 maii 1930

DE SIGNIS PASSIONIS ET STATUA VIRGINIS PERDOLENTIS PROCESSIONE

(A. A. S., 7 aug. 1930, XXII, 361)

Dubium. Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione sequens dubium propositum fuit, nimirum:

« Stante antiqua consuetudine, licetne, piis Sodalitiis laicalibus, processionaliter procedentibus ad visitanda sepulcra, primo mane feriae VI in Parasceve, deferri signa Passionis et et statuam Beatae Mariae Virginis Perdolentis sine Christo mortuo, iuxta responsum *permitti posse*, datum per decreta n. 2375 Bergomen., 21 Martii 1744 ad 4 et n. 2682 Marsorum 12 Novembris 1831 ad 52? »

Responsum. Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus sedulo perpensis, propositae quaestioni ita rescribendum censuit:

« In singulis casibus stetur mandatis respectivi Ordinarii loci ».

Atque ita rescripsit atque declaravit.

Dies (31 maii 1930). Die 31 Maii 1930.

C. Card. LAURENTI, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

A. CARINCI, *Secretarius.*

ANNOTATIO

Dubium istud et rescriptum cohaerent cum quaestione soluta a R. P. BATTISTINI, C. M., supra, p. 85*.

Dum antea responsum erat *permitti posse*, S. Rituum Congr. nunc definit a quonam licentia dari possit et debeat.

63. — S. Poenitentiaria Apostolica (*Off. de indulgentiis*)

Decretum 5 iul. 1930

DE VISITATIONE PRO INDULG. « TOTIES QUOTIES »
(A. A. S., 7 aug. 1930, XXII, 363).

SS. D. in audientia Card. Poenitentiario maiori, de qualibet indulgentia plenaria « toties quoties » pro qua ecclesia visitari debet, statuit requiri et sufficere ut recitentur sex Pater, Ave, Gloria.

Cum responsione diei 13 Ianuarii anni currentis ad II (*A. A. S.*, vol. XXII, pag. 43) per hanc Sacram Poenitentiariam, Officium de Indulgentiis, authentice declaratum fuerit *saltem sex Pater, Ave et Gloria,* de quibus in decreto diei 10 Iulii 1924 sub n. IX (*A. A. S.*, XVI, pag. 347), in visitationibus ecclesiae ad Indulgentiam plenariam *Portiunculae* nuncupatam *toties quoties* ut aiunt, lucrandam necessaria esse ita ut hae ipsae preces in unaquaque visitatione solvi debeant; Ss.mum Dominus Noster Pius Papa XI, uniformitatis gratia atque ad omnem hac in re dubitationis rationem auferendam, in audentia infrascripto Card. Poenitentiario Maiori die 4 Iulii 1930 impertita, id de omnibus Indulgentiis plenariis *toties quoties* lucrandis, pro quibus alicuius ecclesiae visitatio est iniuncta, benigne decernere dignatus est, ita ut in posterum oporteat et sufficiat eiusmodi preces in singulis visitationibus in omnibus hisce casibus recitare.

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 5 Iulii 1930.

L. Card. Lauri, *Poenitentiarius Maior*

L. ✠ S.

I. Teodori, *S. P. Secretarius.*

Annotatio

Authenticae declarationes, quae nunc omnibus similibus *Portiunculae indulgentiis applicantur,* habentur in *Per.*, XIII, 163-169, et supra, in hoc tomo, 218. 219.

Observes sex Pater, Ave et Gloria ita taxative esse praescripta ut nulla aequivalenti prece suppleri possint.

Observes quoque non sola *Pater* et *Ave* sed etiam *Gloria Patri* esse sexies iteranda.

---

64. — S. POENIT. APOST. *(Off. de indulgentiis)*

Decretum 23 oct. 1930 (ex aud. SS.ⁱ)

INDULG. PLENARIA RECITANTI DIV. OFFICIUM CORAM SS.º
(A. A. S., 4 nov. 1930, XXII, 493)

Occasio et finis gratiae. Ss.mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XI, in Audientia die 17 Octobris c. a. infrascripto Card. Poenitentiario Maiori impertita, vota sacerdotum in civitate Lauretana occasione X Eucharistici conventus nationalis coadunatorum libentissime excipiens, ad cleri devotionem et amorem erga Augustissimum Eucharistiae Sacramentum magis magisque fovendum, benigne concedere dignatus est ut clerici in sacris constituti, qui integrum *Gratia.* divinum Officium, quamvis in partes distributum, coram Ss.mo Sacramento sive publicae adorationi exposito, sive in tabernaculo adservato, recitaverint, indulgentiam plenariam, suetis *Clausulae.* conditionibus, lucrari valeant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione et contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Dies (23 ott. 1930). Datum Romae ex Aedibus S. Poenitentiariae, die 23 Octobris 1930.

L. Card. LAURI, *Poenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. TEODORI. *S. P. Secretarius*

ANNOTATIONES

I. Opus indulgentia plenaria ditatum est recitatio, sive uno tenore, sive per varia intervalla, divini Officii *integri*, seu nulla dempta parte, coram SS. Sacramento, sive in tabernaculo, sive publicae adorationi exposito.

Verba *coram SS. Sacramento,* eandem interpretationem reciplunt quam dedimus hic supra, p. 165.*

II. Indulgentia concessa est suetis condicionibus:

a) *Confessionis* peragendae intra octo dies immediate praecedentes diem recitationis coram SS.º, vel

infra octavam. Sed condicio ista remittitur tum iis qui solent saltem *bis in mense* confiteri, tum iis qui solent *quinquies in hebdomada* s. dapem recipere;

b) *Communionis* factae ipsa die, vel in pervigilio recitationis vel infra eius octavam. De qua condicione cfr dubium et privatam solutionem datam *Per.* XVI, 74-76.

c) Orationis, saltem partim vocalis, addendae ad mentem S. Pontificis.

65. — Pontificia Commissio interpretando Codici

Responsa 13 iul. 1930

DE CAN. 556, § 1 ET § 4; 845, § 2; 1363, § 1.

(A. A., S. 7 aug. 1930, XXII, 365)

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. — DE NOVITIATUS INTERRUPTIONE

Noviciatus interruptio.

D. An sub verbis *quacumque ex causa* canonis 556 § 1 comprehendatur etiam transitus in aliam novitiatus domum, de quo in § 4 eiusdem canonis.

R. *Affirmative.*

II. — DE DIACONO SACRAM COMMUNIONEM MINISTRANTE

Ministratio communionis a diacono.

D. An Diaconus, sacram Communionem ad normam canonis 845 § 2 ministrans, possit et debeat in fine ritus benedictionem manu impertire iuxta Rituale romanum, tit. IV, cap. II, n. 10.

R. *Affirmative.*

III. — DE FILIIS LEGITIMATIS

Legitimati receptio in seminarium.

D. An filii legitimati per subsequens parentum matrimonium habendi sint uti legitimi ad effectum, de quo in canone 1363 § 1.

R. *Affirmative.*

Dies (13 iul. 1930).

Datum ex Civitate Vaticana, die 13 mensis Iulii anno 1930.

P. Card. GASPARRI, *Praeses.*

L. ✠ S. I. BRUNO, *Secretarius.*

[64 65]

Annotationes

Ad I. Controvertebatur quaestio de relatione inter § 1 et § 4 can. 556. Plures negabant § 4 affici dispositione § 1, eo quod § 4 regebat casum iuridicum specialem quo genericae dispositioni § 1 derogabatur; et quia translatio in alterum noviciatum fieri consuevit propter ipsam religionis vel vitae religiosae utilitatem, dum aliae absentiae saepe causis privatis imperantur vel suadentur.

Sententiam illam tenebant Schaefer, O. M. Cap., *De religiosis*, n. 241, recedens a sententia severiore quam in priore editione germanica proposuerat, p. 177; Voltas, C. M. F. in *Comment. pro religiosis*, II, 108; Creusen, in *Religieux et Religieuses*, in ed. tertia, n. 161; Parisi, in *Monitore ecclesiastico*, 1928, 88 et nos ipsi in *Epitome* I, ed. 4, n. 660, 3.

Sententia severior vim universalem § 1 urgebat, et silentium quod de tempore servat § 4. Ita Blat, O. P. in h. l. et Pruemmer, O. P. *Man. iuris can.*, ed. 2, p. 279; Fanfane, O. P. *de iure religiosorum*, n. 166 praesertim R. P. Adeodatus, C. D., nunc archiep. Barensis, qui erudite et eleganter de re scripsit in *Monitore eccl.*, 1928, 155-167.

Hi nunc causam vicerunt apud Pont. Commissionem.

Itaque constat iam § quartae eam solam vim inesse ut noviciatus possit in duabus noviciatibus ex parte fieri, seu ut translatio, qua talis, noviciatum non interrumpat; verum observandum esse, etiam in tali casu, normam generalem de interruptione noviciatus per absentiam ultra 30 dies protractam.

Simul, consequenter admittenda quoque est applicatio § 2 de supplendis vel non suppiendis absentiae diebus, ita ut dies absentiae novicio qui, propter translationem ultra 15 dies abfuerit sint supplendi.

Sed quia responsio ista legem vere dubiam explicat, ut ipsa controversia demonstratur, ac proin non valet nisi a promulgatione (c. 17); et ex c. 15 leges etiam irritantes in dubio iuris non urgent, de valore noviciatus et professionis post translationem antea factam non est scrupulus habendus, etiamsi, propter translationem, novicius ultra mensem abfuerit.

Ad II. Vix erat locus dubii, cum casus expresse solutus videatur novissima editione Ritualis, Tit. IV. c. 2, quod, post descriptum ritum distribuendae sacrae dapis, subiungit, n. 10: « Ritus superius descriptus servandus est etiam a diacono sacram communionem ministrante ». Cfr de re *Ephemerides Liturgicae,* 1930.

Ad III. Aliqualis ratio dubitandi haec esse poterat. Dum c. 984, de irregularibus ex defectu, expresse legitimatos excipit, c. 1363 videtur absolute, sine addita exceptione, decernere: « In seminarium ne admittantur nisi filii legitimi »; et in § 2 obligat cooptandos, ut « antequam recipiantur », documenta exhibeant de legitimitate natalium. Sed nubeculam dissipat aperte pronuntiatum c. 1117: « Filii legitimati per subsequens matrimonium, ad effectus canonicos quod attinet, in omnibus aequiparantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit ».

Immo solutio confirmatur ipso can. 984 § 2, qui obicitur. Si enim non iam sunt irregulares, cur ingressu in seminarium prohiberentur?

Quid si legitimentur rescripto? In primis tenor rescripti est attendendus; si autem cooptationem in seminarium non excipiat, legitimatus rescripto valide et licite in seminarium admittitur.

A. VERMEERSCH S. I.

---

66. — Pont. Commissio pro Russia

Hortatio 11 iul. 1930

DE COMMENDANDA RUSSIA IN LITURGIA
(A. A. S., 7 aug. 1930, XXII, 366).

Hortationis occasio et obiectum.

Cum Summus Pontifex Pius div. Prov. Papa XI in Consistorio secreto diei 30 Iunii c. a. praeceperit ut latini sacerdotes toto orbe terrarum preces, post sacrum expletum iussu Leonis Papae XIII recitandas, nunc pro Russia applicent, haec Pontificia Commissio sacerdotes non latinos sibi subditos hortatur, ut dum Sacram Liturgiam celebrant, eandem intentionem Deo commendent.

Ideo:

Quaenam ideo addenda sint.

1) in sic dicta Ectenia Magna, inter preces seu invocationes (*δέησις* proscenie) post verba pro civitate hac, (pro) omni civitate (1).... haec addantur: pro persecutione affectis fratribus nostris, Dominum precemur.

2) In fine Liturgiae, in oratione sic dicta post ambonem (*ὀπισθάμβωνον* zaämbonaja), post verba pacem mundo tuam dona, ecclesiis tuis, haec addantur: sanctissimo Oecumenico Pontifici Pio Papae Romano, sacerdotibus, tribulatis fratribus nostris, et omnibus fidelibus (litt. gens) tuis.

Dies (11 iul. 1930).

Datum ex Secretaria Pontificiae Commissionis pro Russia, die 11 Iulii 1930.

† Michael D'Herbigny, *Praeses.*

L. ✠ S.

Ph. Giobbe, *a Secretis.*

(1) In *A. A. S.* verba ponuntur lingua slavonica. Non nulla tamen irrepserunt menda typographica.

INDEX SCRIPTORUM HUIUS VOLUMINIS

P. Battistini, C. M., 85*.

Felix M. Cappello, S. I., *Prof. iuris can. in Pont. Univ. Gregoriana,* 1* ss.; 30* ss.; 71*; 87* ss.; 133* ss.; 213. 322.

E. Jombart, S. I., 122*; 124*.

R. Leiber, S. I., 136.

Mich. Mostaza, S. I., *Prof. iuris can. in Pont. Univ. Gregoriana,* 96* ss.

E. Ranwez, *Prof. theol. mor.,* 67* ss.

A. Vermeersch, S. I., *Prof. theol. mor. et scientiae soc. in Pont. Univ. Gregoriana,* 10* ss.; 21* ss.; 25*; 26* ss.; 42*; 43*; 44*; 45*; 49* ss.; 63* ss.; 70*; 77* ss.; 83*; 111*; 112*; 114* ss.; 117*; 120*; 121*; 126*; 127*; 130*; 143*; 159*; 162*; 164*; 165*; 167*; 168*; 15; 28 ss.; 133; 140; 173; 176; 251 ss.; 260 ss.; 267 ss.; 297; 312; 342; 344.

Summa Dissertationum, Quaestionum et Casuum

Dissertationes.

	Pag.
De Vicario substituto	1*
De die qua leges Pontificiae vim suam exserere incipiunt	10*
De oratione Sanctissimi in Missa propter SS.i expositionem	21*
De locis in quibus Episcopi indulgentias concedere possunt	25*
De canone, 1116, seu de legitimatione per subsequens matrimonium parentum	26*
De vi quod ad praeterita mutatae reservationis censurae	29*
De Testamento ad causas pias et canone 1513 § 2	49*
Caput I° A. Quid sit causa pia	50*
B. Occasio errandi	55*
C. De Instituto pio, domo pia	55*
Caput II° Obligatio exsequendi legata ad causas pias	56*
Familiares in genere et in Codice.	
I. Generalia de Familiaribus	63*
II. De Familiaribus in Codice	66*
Dispensatio ab impedimento disparitatis cultus post usum privilegii Paulini	77*
Quaenam sit causa publica exponendi Sanctissimum	83*
Nova Bulla Cruciatae pro Hispania 1928-1940.	
I. Notiones et notae historicae	93*
II. Indoles novae Bullae Cruciatae	98*
III. Indultorum summaria quinque	100*
IV. Facultates Eminentissimi Commissarii	108*
V. Eleemosynarum Bullae destinatio	109*
Conclusio	110*
De absolutione recidivorum in missione	111*
De decreto erectionis quoad quasi-paroecias	122*
De obligatione audiendi Missam in mari	124*
Quaenam expositio publica seu cum ostensorio die festo Corporis Christi et intra octavam in omnibus ecclesiis permittitur per haec verba can. 1274, « inter Missarum sollemnia »?	127*
De Consecratione ecclesiarum.	
I. Consecratio ecclesiarum est actus potestatis ordinis	133*
II. Potestas ecclesiam consecrandi characteri episcopali adnexa	135*
III. Delegatio facultatis	137*
IV. Facultas consecrationis a R. Pontifice commissa	139*
V. Limitata facultas consecrationis Abbati vel Praelato « nullius » concessa	139*
VI. Potestatem habet sanandi R. Pontifex consecrationem invalide factam	142*
De pereclitanti honestate coniugali	143*
I. Resolutio 15a conventus Anglicani in Lambeth	145*
II. Examen rationum	149*
Statisticae rationes incolarum, matrimoniorum, divortiorum, neonatorum, in 17 Statibus, civilis divortii lege affectis	154*

Pag.

Exempla nationum quae a lege divortii sunt immunes 158*
De vocatione Sacerdotali et religiosa.
I. Error corrigitur ubi deprehenditur 159*
II. Apta ratio excitandi vocationes 161*
De primo noviciatus initio 162*

Quaesita varia.

De clausura Monialium 12*
De exercitiis spiritualibus ante ordinationem, quod ad religiosos 16*
De probabiliter valida voti irritatione 17*
De Episcopo proprio pro ordinatione subiecti Orientalis 19*
De suffragiis ante mortem oblatis 19*
Non nullae quaestiones canonicae.
I. Quinam sit sensus et valor can. 63, § 2 . . . . . 30*
II. Irrogatio poenae per modum praecepti extra iudicium 36*
III. Collatio primae tonsurae 38*
IV. Vis et ratio monitionis de qua in can. 1513, § 3. . . . . 40*
De consecrationis forma 42*
De calicis exsecratione 43*
De usu patinae, in s. dapis distributione 44*
De legitimo usu can. 6, 4° 45*
Quaestio de enc. litteris "Miserentissimus" 70*
Quaestio canonica 71*
Quaesita de rubrica in Parasceve 85*
Quaestiones de matrimonio et extrema unctione 87*
Quaeritur quinam sint casus qui, in can. 518 et 519, vocantur « in religione » *reservati?* 112*
De iudicibus synodalibus. 114*
De can. 883 seu iurisdictione in mari. Quaeritur qua facultate in casus reservatos fruantur qui, vi can. 883, secum navigantes absolvere possunt 119*
Debentne adhuc celebrari, per mensem octobrem, in ecclesiis cathedralibus, parochialibus et Oratoriis publicis B. M. V. dicatis, inter missas recitationes Rosarii cum Litaniis et oratione S. Ioseph? 120*
De fuga cum persona alterius sexus, in casu can. 646 § 1, 2° 121*
De iure postliminii 130*
De Transeunte ad aliam religionem 164*
De SS. Rosario coram SS° 165*
De Filiatione et relatione in tabulas baptismi 167*

Casus.

Casus Conscientiae De Iustitia 20*
Solutio casus De Iustitia propositi p. 20.* 46*
Casus de Iustitia 48*
De culpa theologica ad restitutionem imponendam requisita. 67*
*Solutio casuum de Iustitia qui propositi sunt pag. 48** 73*
Casus de Iustitia 76*
De irregularitatibus propter positum actum ordinis clericis in ordine sacro constitutis reservatum. 117*
*Solutio casus de Iustitia propositi pag. 76** 131*
Casus de legitimo usu matrimonii 132*
*Solutio casus propositi p. 132** 168*

Index analyticus Monumentorum

SS. D. N. Pius Pp. XI. *Pag.*

11. Inter S. Sedem et Romaniae regnum sollemnis conventio (10 maii 1927 - 7 iul. 1929). 97
Annotationes. 134
2. Epistola ad Card. Dubois, de « hebdomada » exercitiorum Versaliis ineunte aprili 1929 habenda (28 mart. 1929) 21
13. Conventio inter S. Sedem et Lusitanam rempublicam de dioecesi Meliaporensi (11 apr. - 29 iun. 1929) 128
Annotationes. 133
12. Inter S. Sedem et Borussiae rempublicam sollemnis conventio (14 iun. - 13 aug. 1929). 107
Annotationes. 136
3 Epistola *Laetus sane nuntius*, ad Card. Segura et Saenz, de conventu nationali actioni catholicae provehendae (6 nov. 1929) 23
Annotationes. 28
1. Litt. enc. *Mens Nostra*, de usu exercitiorum spiritualium magis magisque promovendo (20 dec. 1929) 1
Annotationes. 15
4. Litt. enc. *Quinquagesimo ante anno*, de feliciter exacto quinquagesimo sui sacerdotii anno, et de prorogatione iubilaei (23 dec. 1929) 31
6. Sermo ad Cardinales et Praelatos Beatissimo Patri ominantes (24 dec. 1929) . . 79
5. Litt. enc. *Rappresentanti in terra*, de christiana iuventae educatione (31 dec. 1929). 45
Annotatio 78
14. Litt. enc. *Divini illius*, de christiana iuventutis educatione (31 dec. 1929) . . 140
Annotationes. 173
7. Epistola ad Card. Pompili, de « expiatione sollemni pro Russia » (2 febr. 1930). 82
Annotationes. 88
15. Motu proprio *Già da qualche tempo*, de institutione « Sectionis historicae » penes S. Rituum congregationem (6 febr. 1930) 173
Annotationes. 176
16. Chirographus cum epistola Em. Card. Bisleti, de commissione pro graduum collatione et ratione studiorum (6 febr. 1930) 178
